Soulsby no. 817, 104 p. ✓ (final secti
of volum

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.

Ann. CIƆIƆCCCXIX - CIƆIƆCCCXX.




ANNALES
ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE,

Ann. CIƆIƆCCCXIX - CIƆIƆCCCXX.

HERMANNO ROYAARDS,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,

PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE,
SENATUS GRAPHIARIO.



TRAIECTI AD RHENUM,
APUD OTTON. IOANN. VAN PADDENBURG,
ET I. VAN SCHOONHOVEN,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXXI.



HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR:

Nomina Professorum et Lectorum in Academia Traiectina. § I.

Quaestiones ad certamen literarium propositae A. CIƆICCCCXIX. *§ II.*

Series lectionum habendarum. § III.

Series disputationum publice et privatim defensarum. § IV.

Solemnia. § V.

H. ROYAARDS, Oratio.

G. Fr. HEYLIGERS, Oratio.

Reſponſiones ad propoſitas quaestiones.

HENRICI WOERMAN, ad quaestionem Theologicam.

IANI CONRADI PRUIMERS, ad quaestionem Iuridicam.

LUDOVICI GERLACHI PAREAU; et

PETRI IOSUAE LUDOVICI HUËT, ad quaestionem Literariam.

HERMANNI CHRISTIANI VAN HALL, ad quaestionem Botanicam.

AN-

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.

CIƆIƆCCCXIX - CIƆIƆCCCXX.

§ I.

In Academia Traiectina a die XXVI *Martii A.* CIƆIƆCCCXIX. *ad diem* XXVI *Martii A.* CIƆIƆCCCXX, *munus obierunt docendi*,

THEOLOGIAM,

HERMANNUS ROYAARDS, *h. t. Academiae Rector.*

IODOCUS HERINGA, EL. F.

GABRIËL VAN OORDT.

IU-

IURISPRUDENTIAM,

CORNELIUS WILHELMUS DE RHOER.
HERMANNUS ARNTZENIUS.
IOANNES RICHARDUS DE BRUEYS.

MEDICINAM,

IANUS BLEULAND.
NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY.
BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN.
IANUS ISAACUS WOLTERBEEK.
IACOBUS VOSMAER, *Prof. extraord.*
PHILIPPUS FRANCISCUS HEYLIGERS, *Prof. extraord. munus suum auspicatus est oratione solenni d.* XXI. *Martii* CIↃIↃCCCXX.

PHILOSOPHIAM THEORETICAM ET LITERAS HUMANIORES,

PHILIPPUS GUILIELMUS VAN HEUSDE, *h. t. Acad. Graph.*
DITHMARUS HUISMAN.
IOANNES HENRICUS PAREAU.
ANTONIUS VAN GOUDOEVER.
ADAMUS SIMONS.

MA-

MATHESIN ET PHILOSOPHIAM NATURALEM.

GERARDUS MOLL.

IOANNES FREDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER.

IANUS KOPS.

THEODORUS GERARDUS VAN LITH DE IEUDE, *Prof. extraord.*

LECTORES.

SAMUEL NYHOFF, *Linguae Graecae Lector.*

GERARDUS DORN SEIFFEN, *literarum humaniorum Lector creatus die 2. Martii a.* CIϽIϽCCCXX.

LUDOVICUS PINO, *Lector literarum Italicarum.*

MARIE FRANCISCUS XAVIERIUS D'ANGELY, *Lector literarum Gallicarum.*

CAROLUS THOMPSON, *Lector literarum Anglicarum.*

MAGISTER ACADEMICUS EQUITATIONIS,

IOHAN SALENTYN HOFFMAN.

§ II.

§ II.

Quaestiones ad certamen literarium ſingularum disciplinarum ſtudioſis in Academiis et Athenaeis univerſi Belgii, anno CIↃIↃCCCXX *fuerunt propoſitae his formulis.*

QUAESTIO THEOLOGICA.

Strictim describatur librorum veteris foederis praeſtantia, et uſus in doctrina Christiana intelligenda, aestimanda, tuenda et ad virtutis ſtudium adhibenda.

QUAESTIO IURIDICA.

Quid ſtatuerunt auctores Codicis Civilis de rerum mobilium vindicatione? Quibus de cauſis hac in re a Iure Romano receſſerunt? Qua tandem ratione utriusque iuris doctrina optime temperari poſſe videtur, ut tum in iure dominii tuendo, tum in libero rerum mobilium commercio haud impediendo, aequitatis et boni publici, quoad eius fieri posſit, habeatur ratio?

QUAES-

QUAESTIO MEDICA.

Indicentur: 1°. labii leporini varia exempla, a praecipuis de re Chirurgica auctoribus enarrata, atque in ſpecies quasdam diviſa. 2°. De huius vitii congeniti origine, in primis recentiorum, anatomico-pathologicae opiniones. 3°. Belgarum merita in hocce morbo curando.

QUAESTIO LITERARIA.

Disquiratur, quaenam univerſe fuerit Tragoediae Graecae ratio; ad eamque exigatur nobilisſima Vondelii *fabula:* Gijsbrecht van Aemſtel.

QUAESTIO MATHEMATICA.

Comparatio inſtituatur parabolae, ellipſeos, circuli atque hyperbolae, ut vel ex coni ſectione, vel ex earum curvarum aequatione, vel ex utraque appareat, quaenam his curvis, vel omnino, vel quadam ratione communia ſint. Brevitatis ita ratio habeatur, ut coniuncta ſit cum perſpicuitate et accurata rerum expoſitione, at-

que

que ut ea, quae comparationi inserviant, diligenter congerantur. Non requiritur, ut calculus differentialis et integralis in auxilium adhibeatur, neque tamen eius usus prohibetur; dummodo quae in propinquo sint, non ex remotioribus fontibus hauriantur.

QUAESTIO BOTANICA.

Conficiatur brevis enarratio systematum botanicorum, quae inde a Caesalpino usque ad Linnaeum inprimis inclaruerunt. Addatur expositio praestantiae systematis sexualis Linnaei, qua non tantum perspiciatur, quibusnam in rebus praecedentia systemata superaverit, verum etiam, quaenam ipsi desint, atque impediant, quo minus perfectum dici possit.

§ III.

Lectionum a feriis inde aestivis A. CIƆIƆCCCXIX. *ad ferias aestivas A.* CIƆIƆCCCXX. *habendarum haec fuit ratio constituta.*

In FACULTATE THEOLOGICA,

docebunt

Theologiam naturalem G. VAN OORDT, diebus lunae et iovis, hora XI.

Historiam ecclesiasticam D. HUISMAN, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora X, aut aliis, auditoribus magis commodis.

Fundamenta interpretationis V. T. I. H. PAREAU, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Selecta Euangeliorum loca interpretabitur I. HERINGA, E. F. diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Introitum in Novi Foederis libros praebebit I. HERINGA, E. F. diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora VIII.

In D. Ioännis Euangelio aut *perget*, aut *Epistolam ad Ephesios interpretabitur* H. ROYAARS, die mercurii, hora XII.

Theologiam Dogmaticam docebit H. ROYAARDS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora IX.

Collocutionibus de Locis theologicis vacabunt I. HERINGA, E. F. die iovis, horis vespert.

a VII. ad IX. et G. VAN OORDT, die mercurii horis vespertinis a VII. ad IX, vel saturni horis vespert. VI. ad VIII.

Christianam morum disciplinam docebit G. VAN OORDT, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora X.

Praecepta *homiletica* tradet H. ROYAARDS, die mercurii, hora X.

Exercitationes Oratorias Sacras moderabitur I. HERINGA, E. F. die saturni, hora I. vel alia magis commoda.

Officia nuntiorum Euangelii exponet H. ROYAARDS; die mercurii, hora IX.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationes instituent I. HERINGA, E. F. die veneris, hora XI. et G. VAN OORDT, die mercurii, hora XI. vel aliâ magis commodâ.

Orationibus Sacris pronunciandis praeerunt H. ROYAARDS, die martis, hora XII, I. HERINGA, E. F. die lunae, hora XII. et G. VAN OORDT, die mercurii, hora XI, qui eâdem horâ et aliis exercitationibus vacabit.

Disputandi exercitationibus praeerunt H. ROYAARDS, die veneris, hora I.; I. HE-

RINGA, E. F. privatim die ſaturni, hora IX. vel alia commodiore, publice, data opportunitate, die mercurii, hora I. et G. VAN OORDT, publice eadem die ac hora; hi vero alternis hebdomadibus.

In FACULTATE IURIDICA, docebunt

Inſtitutiones, Westenbergio duce, H. ARNTZENIUS, diebus martis, iovis et veneris, hora IX. mercurii et ſaturnii, hora X.

Pandectas, eodem duce, H. ARNTZENIUS, diebus martis, iovis et veneris, hora X. lunae, mercurii et ſaturni, hora IX.

Ius Criminum et poenarum, C. W. DE RHOER, diebus mercurii et ſaturni, hora XI., vel alia, auditoribus forte magis commoda.

Ius naturae C. W. DE RHOER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XI.

Ius gentium et publicum C. W. DE RHOER, iisdem diebus, hora I. pomer.

Ius Belgicum I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Hiſtoriam iurisprudentiae Romanae, H. ARNT-

ARNTZENIUS, diebus mercurii et saturni, hora XII.

Elementa Oeconomiae politicae I. R. DE BRUEYS, diebus lunae et iovis, hora deinceps definienda.

Disputandi exercitationibus alternatim praeerunt H. ARNTZENIUS et I. R. DE BRUEYS.

In FACULTATE MEDICA,

docebunt

Anatomiam B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora IV.

Physiologiam I. BLEULAND quater, h. VIII.

Specimina Anatomiae Subtilioris, tam humanae quam animalium comparatae. in Museo Academico demonstrabit I. BLEULAND, diebus et horis, auditoribus commodis.

Pathologiam B. F. SUERMAN, die lunae, martis et iovis, hora IX.

Semioticam I. VOSMAER, bis, horâ auditoribus commodâ.

Therapiam generalem I. VOSMAER, die lunae et iovis, hora XI.

Praxin medicam I. I. WOLTERBEEK, die lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Phar-

Pharmaciam, secundum Pharmacopoeam Batavam, vernaculo sermone, N. C. DE FREMERY, diebus martis et veneris, hora III.

Materiem Medicam sive *Historiam Remediorum* I. I. WOLTERBEEK, enarrabit diebus lunae, et mercurii, hora I.

Institutionibus Clinicis vacabit I. I. WOLTERBEEK, singulis diebus, in Nosocomio Academico.

Chirurgiam tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

Morbos ossium tractabit, vernaculo sermone Ph. F. HEYLIGERS, diebus lunae, martis et veneris, hora II.

Institutioni clinicae in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Operationes chirurgicas in cadavere humano publice demonstrabit Ph. F. HEYLIGERS, tempore hyemali, earumque encheiresium rationem, vernaculo sermone, exponet quater per dierum hebdomadem, hora V.

Artem obstetriciam theoreticam et practicam docebit Ph. F. HEYLIGERS, quater quavis hebdomade, hora I.

Me-

Institutionibus Clinicis in arte obstetricia vacabit I. I. WOLTERBEEK.

Medicinam Forensem tradet N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Encyclopaediam medicam I. VOSMAER, diebus mercurii et saturni, hora XII.

Historiam Medicinae I. VOSMAER, diebus et horis, auditoribus commodis.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, die saturni hora I. Professores in Facultate Medica alternatim praeerunt.

In FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM,

docebunt

Logicam, atque *Metaphysicam* I. F. L. SCHRÖDER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Philosophiam moralem D. HUISMAN, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XI.

in-

interpretandis cum ſelectis Virgilii, Horatii aliorumque Poëtarum locis et Ciceronis prima Tusculana quaestione explicandâ.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus lunae hora IX, mercurii hora IX et XII et ſaturni hora XII.

Historiam Latinae Poëſeos tradet A. VAN GOUDOEVER, die ſaturni, hora IX. et mercurii, hora I.

Exercitationes Oratorias moderabitur A. VAN GOUDOEVER, die ſaturni, hora I. aut aliâ magis commodâ.

Literas Graecas tradet Ph. G. VAN HEUSDE, interpretandis cum locis ſelectis N. Foederis, Herodoti et Xenophontis, diebus lunae et iovis, hora X: tum Platonis Sympoſio et Euripidis Iphigenia in Aulide, diebus martis et veneris, hora X.

Antiquitatem Graecam, Ph. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et ſaturni, hora X.

Literas Hebraicas I. H. PAREAU, ita ut *Grammaticam* exponat diebus lunae et iovis hora IX, eademque hora, diebus martis et veneris, quaedam tractet capita e priore *Samuelis* libro.

Literas Chaldaicas et *Syriacas* I. H. PAREAU, diebus lunae et iovis, hora XI.

Literas Arabicas I. H. PAREAU, diebus martis et veneris, hora XI.

Antiquitatem Hebraicam I. H. PAREAU, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora IV.

Historiam universam praesertim *medii aevi, et recentiorum temporum* Ph. G. VAN HEUSDE, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Historiam humanitatis, Ph. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii et saturni, hora XI.

Historiam Patriae A. SIMONS, diebus mercurii, iovis, veneris et saturni, hora VIII.

Literas Belgicas et Eloquentiam A. SIMONS, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora III.

Aestheticam, quae poësin spectat, A. SIMONS, diebus martis et veneris, hora IV.

Praecepta styli bene Belgici tradet A. SIMONS, diebus martis, hora VIII. mercurii et iovis, hora IV.

Selecta Poëtarum Belgic. recent. loca exponet A. SIMONS, die saturni, hora X.

Disputandi exercitationibus praeerunt, alter-

nis

nis hebdomadibus, die ſaturni hora I. alternatim Ph. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.

In FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

docebunt

Elementa Matheſeos I. F. L. SCHRÖDER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora VIII.

Trigonometriam rectilineam et ſphaericam, adhibitam ad Geometriam practicam, atque Aſtronomiam, I. F. L. SCHRÖDER, die mercurii atque ſaturni, hora VIII.

Elementa Mechanicae atque Opticae I. F. L. SCHRÖDER, die mercurii atque ſaturni hora IX.

Mechanicam ſublimiorem I. F. L. SCHRÖDER, diebus mercurii et ſaturni, horâ XI.

Phyſicam experimentalem G. MOLL, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Aſtronomiae primas notitias G. MOLL, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora IX. vel alia auditoribus magis commoda.

Astronomiam theoreticam et practicam G. MOLL, iisd. d. hora III.

Chemiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Botanicam et Physiologiam plantarum I. KOPS, diebus martis, iovis et veneris, hora X.

Zoölogiam generalem, cum *Anatome comparata* coniunctam, N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XI.

Historiam Naturalem Molluscorum, Vermium et Zoöphytorum Th. G. VAN LIDTH DE IEUDE, diebus lunae et martis, horâ auditoribus commodâ.

Historiam Naturalem Crustaceorum et Insectorum Th. G. VAN LIDTH DE IEUDE, diebus iovis et veneris, horâ auditoribus commodâ.

Mineralogiam N. C. DE FREMERY, bis per dierum hebdomadem, horâ auditoribus commodâ.

Oeconomiam ruralem I. KOPS; diebus lunae et martis, hora III. mercurii et saturni, hora VIII. vel aliis diebus ac horis, auditoribus magis commodis.

F. L. PINO, *Literas Italicas* docebit diebus martis et veneris, hora vespertina VI. vel alia auditoribus magis commoda; horis vero deinceps indicandis, historiam earum literarum ſermone Gallico et Italico tradet.

Literas Francicas tradet F. M. D'ANGELY, diebus lunae et iovis, hora IV.

Literas Anglicas tradet C. THOMPSON, diebus lunae et iovis, hora V.

Bibliotheca Academica, diebus Lunae et Iovis, ab hora I. in II. et diebus Mercurii et Saturni ab hora II. in IV, et, feriarum tempore, ſingulis diebus Iovis, ab hora I. in II, unicuique patebit.

§ IV.

A die XXVI *Martii, A.* CIↃIↃCCCXIX, *ad diem* XXVI *Martii, A.* CIↃIↃCCCXX, *disputationes publice vel privatim defenſae ſunt hoc ordine:*

Anno CIↃIↃCCCXIX.

d. VII. *Maii, Specimen Medico-Therapeuticum* de

de medicamentorum in corpore humano agendi ratione, eorumque adminiſtratione externa in morbis internis, *pro gradu Doctoris Medicinae, privatim defendit* Io. Iac. Pennink.

d. x. *Maii*, *Specimen Medicum* de Hydrope ligamentorum uteri, *pro gradu Doctoris Medicinae, publice defendit* Petrus Ioannes Isaacus de Fremery, Traiectinus.

d. xv. *Iunii*, *Specimen Physiologico-Medicum* de uſu placentae humanae comparatione eiusdem cum animalium placentis illustrato, *pro gradu Doctoris Medicinae, publice defendit* Gerardus Munniks van Cleeff, Traiectinus.

d. xvi. *Iunii*, *Dissertationem Iuridicam* de Iure accrescendi ex legibus Romanis, *pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni, publice defendit* A. G. Huidecoper, Amſtelodamenſis.

d. xvii. *Iunii*, *Dissertationem Chirurgico-Therapeuticam* de ani intestinorumque atreſia, *pro gradu Doctoris Medicinae, publice defendit* Iac. Ger. Hasselman, Haganus.

d. v. *Nov.* *Dissertationem Iuridicam* de testamentis ordinandis ex Iure Romano et Hodierno, *pro gradu Doctoris Iuris Romani et Ho-*

dier-

dierni, *publice defendit* W. I. BACKER, Amstelodamensis.

d. XIV. *Dec. Dissertationem Iuris Civilis* de absentibus, *pro gradu Doctoris Iuris Romani et Hodierni*, *publice defendit* M. WIARDI BECKMAN, Amstelodamensis.

d. XVII. *Dec. Dissertationem Physico-Mathematicam* de celeritate soni per fluida elastica propagati *pro gradu Doctoris Matheseos et Philosophiae Naturalis*, *publice defendit* RICHARDUS VAN REES, Neomagensis.

Quibus addenda est Disputatio de Casuario novae Hollandiae, *quam praeside patre V. Cl.* NICOLAO CORNELIO DE FREMERY, *publice defendit* PETRUS IOANNES ISAACUS DE FREMERY, Rheno-Trai. *die* XXVII. *Ian.* CIƆIƆCCCXIX.

§ V.

Die XXI. *Martii*, CIƆIƆCCCXX. PHILIPPUS FRANCISCUS HEYLIGERS, *Vir Clar.*, *designatus Medicinae Prof. extraordinarius*, *praestito solemniter iureiurando*, *munus suum adiit oratione publice habenda:* de vero chirurgo.

Quum in proximum annum Academicum, *a die*

die inde xxvi. *Martii*, CIↃIↃCCCXX, *Rectoris Magnifici munus ex decreto Regio delatum esset V. Cl.* Hermanno Arntzenio, *atque in consessu Curatorum, Rectoris atque Assessorum, graphiarii Senatus partes mandatae essent V. Cl.* Hermanno Royaards, *die* xxiii. *Martii h. anni in Senatu facta est horum virorum solemnis inauguratio. Qua peracta V. Cl.* Hermannus Royaards *munere Rectoris se abdicaturus, orationem habuit* de Guilielmo Emmerio a Perponcher, *atque, enarratis quae ipso Rectore Academiae acciderant cum adversa, tum prospera, victoribus in certamine literario*, Henrico Woerman, Iano Conrado Pruimers, Ludovico Gerlacho Pareau, Petro Iosuae Ludovico Huet *et* Hermanno Christiano van Hall, *praemia distribuit, atque pro meritis laudavit* Ioachimum Coops *et* Iacobum van Hall. *Quibus omnibus rite peractis, munere se suo abdicavit et datum sibi successorem V. Cl.* Hermannum Arntzenium, *proclamavit Academiae Rectorem Magnificum.*

HER-

HERMANNI ROYAARDS

ORATIO,

CUM MAGISTRATU ACADEMICO
ABIRET

DE

GUILIELMO EMMERIO
A PERPONCHER,

HABITA

d. XXIII. Martii, A. C. CIↃIↃCCCXX.

QUOD FELIX FORTUNATUMQUE ESSE IUBEAT SUMMUM NUMEN!



ACADEMIAE TRAIECTINAE CURATORES, VIRI GRAVISSIMI!

QUI IN BELGII REGNO, IN REGIONE, ET IN CIVITATE TRAIECTINA, REBUS PUBLICIS PRAEESTIS, VIRI AMPLISSIMI!

QUARUMVIS ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES CLARISSIMI, COLLEGAE AESTUMATISSIMI!

LITTERARUM LECTORES PERITISSIMI!

Doctrinae Christianae nuntii et interpretes, facundissimi, dignissimi!

Cuiuscunque doctrinae formulae Doctores doctissimi, expertissimi, consultissimi!

Academicae Iuventutis corona, amor noster et gaudium!

Quotquot praeterea adestis, cives, hospites, suis meritis praeclari!

Tertium hunc gessi Academiae magistratum: tertium hunc depositurus sum, depositurus quodam cum gaudio, et haud sine grati animi sensu. Per triginta et duos fere annos in hac bonarum artium palaestra Theologiam, et quae cum illa erant copulata, palam docui. E mea quoque Schola multi prodierunt, qui Ecclesiae ornamento sunt. Per omne illud tempus, quae est singularis Dei in me benignitas, innumera apud me fuere collocata beneficia, quorum recordatio mentem delectat: et quanquam, ut fit in rebus humanis, fuerunt bona mix-

mixta malis, non posſum tamen non publice profiteri, cumulum bonorum longe ſuperasſe malorum numerum, et ingratus esſem erga Deum, niſi ſummam eius beneficentiam, miſericordiam et opem, ingratus esſem erga Dominum meum Ieſum Christum, niſi Conſervatoris mei gloriam, quae in peccantibus, afflictis, prorſusque miſeris ad felicitatem ducendis ſita est, palam praedicarem. Sed de me ipſo loqui non iuvat. Quodſi vero ad hanc Clarisſimorum virorum coronam oculos converto, nemo ſuperest eorum, quos reperi primum ad hanc provinciam admotus; video autem collegas meos aestumatisſimos, qui postea advenerunt, bene valentes, hoc loco praeſentes: unus abest tantummodo Rhoerius noster, ſed vivit, ſed docet, docet egregie; et ego quidem multis eorum, qui me in Academia regunda egregie ſustentarunt, gratias ago quam maximas. Quin inter nostros intueor Ph. Fr. Heiligerſium, qui ſolenni iam oratione munus Medicinam extra ordinem docendi feliciter adiit, et cui, ut Deus in omnibus adſit, et ut nobiscum multis uſui ſit, vehementer opto. Intueor praeterea Doctisſimum Dornſeiffe-

fe-

senum, novo honoris titulo ornatum, et Lectoribus litterarum adscriptum, quibus ut ornamento sit, et exspectamus, et precamur. Tanta igitur doctrinae et eruditionis facta est accessio, ut locus iis capiendis vix par sit! Vidimus nos omnes anno proxime exacto, praeclaros admodum iuvenes, alios morbis gravioribus laborantes, alios morte nobis ereptos, Iongeneelium, Treffersium, Persynium, Hinlopenium, Alewynium et nuperrime Roermondium, quos dolet Senatus, dolet Iuventus Academica, dolent amici et propinqui, et quorum nomina nulla facile delebit oblivio. Dolebant iam dudum omnes boni duumviros suis meritis praeclaros, et huic Academiae praefectos Rammium, et Bothum Henrici diem obiisse supremum, quorum propter obitum, omnium luctum iam testificati sunt, eorumque laudem extulerunt Viri disertissimi, qui ante me Rectoris munere fuerunt functi. Sed hoc ipso anno Vir admodum spectabilis, Curatorum Academiae inde ab initio rerum instauratarum praeses, morte, eheu! fuit extinctus, Guilielmus ille Emmerius a Perponcher. Vixerat quidem satis diu, se-

nex

nex enim ſeptuaginta et octo annorum mortuus est, ſed eius vita ita omnibus cara fuit et exoptata, ut diutius etiam fructus integerrimos ex eius praeſentia et ſapientia percipere omnes deſiderasſent, niſi obſtitisſet Dei omnia gubernantis et optimi voluntas, niſi obſtitisſet felicitas, cui conſequendae par erat. Quodſi autem eius vita adeo omnibus exoptata, mors adeo omnibus lugubris, ſed beata, et *Deo* grata fuerit: quidni ex hoc tali tantoque viro eos adhuc perciperemus fructus, quos posſimus! Quidni eius vitam intentis intueremur oculis! Quidni, ubi eum pari pasſu ſequi non posſumus, eius exemplum admiraremur! Equidem, A. H. haec mecum reputans, non ingratum me vobis facturum, nihilque ab hoc die alienum putavi, ſi *de Viro hoc praeclaro* vobis coram verba fecerim, *eumque multa et varia doctrina excultum*, *rarisſimis mentis ingeniique dotibus praeditum*, *pietatis amorisque erga Deum et homines exemplar*, et *Rei Academicae ſtudioſisſimum*, ante oculos poſuerim.

Sed qui me horror perfudit! Perponcherii enim animus, ſi e ſedibus coeleſtibus in hunc noſtrum reſpiceret locum, aut hîc praeſens adesſet,

ubi tam lubenter, dummodo per valetudinem licuit, versabatur; nonne totus obstupescerem, de eo verba facturus? Nonne animus ille, tanta modestia imbutus, hunc relinqueret coetum? Sed maneas, maneas, quaeso! Nihil enim nisi verum dixerim, nec adulationis vitium incurram, locuturus de te, qui ab omni adulationis culpa eras quam maxime alienus! Vos interea, quod spero, A. A., me in dicendo valde tenuem, in laudando exiguum, in excitando satis infirmum, me, ut videtur, non amplius ex hoc loco ad vos verba facturum, vestra in audiendo benignitate sublevetis, rogo.

Fuit illustris ille Perponcherius e gente nobilissima ortus, quae olim in Gallia summis honoribus, tam in re civili, quam militari fuit aucta, et Maisonneuviorum nomine inclaruit: e gente, cum Polonorum magnatibus, si non principibus iuncta, unde nomen Sedlnitzkyorum repetiit, sed quae per magnum iam annorum decursum has nostras incoluit regiones, et tum consanguinitate, tum affinitate multos contigit, qui ab antiquis retro temporibus Batavorum nobilibus adsciscebantur, inter quos

im-

inprimis honestisſimum illud ſimul et illustre Wasſenaeriorum nomen mihi memorandum videtur. A parentibus, iisque praeclaris, honeste admodum fuit educatus, et ad omnem pietatem et virtutem informatus. Illa enim aetate, A. hominum animos haud leviter occupaverat religio, et ii, qui altiori loco erant collocati, ſecum frequenter reputabant, ſine verae religionis beneficio caetera vana et irrita esſe. Ea aetate honestatis et honoris erat, Deum ſummum profiteri, et Christum, religionis nostrae auctorem et Dominum, honori habere. Quapropter noster quoque a primis inde annis praecepta religionis avidis hauſit auribus, et quae a teneris hauſerat, ſecum ſervavit, auxit, totusque in iis erat. Inprimis animum eius vera erga Deum pietate inſtruxit familiare commercium, quod cum Maclainio et Chaiſio, viris Doctisſimis, illo olim Euangelii nuntio apud Haganos, qui Anglica, hoc vero, qui Gallica utebantur lingua, mature iniit. Horum a praeceptis pendebat: erant autem illa (id omnes testantur) ſapientiae et prudentiae effata; ita, ut mirum non ſit, illa menti eius adhuc iuvenis fuisſe impresſa, ita impresſa, ut nulla unquam

quam aetas, nulla vis, nulla ars, illa aut obſcurare, aut debilitare potuerint. Quod eo magis commemoro, ut cum parentes, tum iuvenes perſpiciant, quaenam ſit educationis bonae vis ſalutaris, quidque debeatur iis, qui mentem noſtram ad virtutem efformarunt, et eiusmodi nobis inſtillarunt praecepta, quibus quis aeternum glorietur.

Didicerat praeter alias linguam quoque Anglicam, multosque libros eo ſermone conſcriptos, inprimis Miltoni, Herveii, Youngii aliorumque ſummo perlegerat ſtudio, hisce legendis adeo asſuefactus, ut quod tempus alii ludis impendunt, illud hisce daret, cuius eum nunquam poenituit. Maximo autem in pretio habebat Diogenis Laërtii libros *de Vitis Philoſophorum*, omnibus doctis adeo commendatos; et, quod illa aetate magni habebatur, *Theatrum Naturae Pluchianum* dies noctesque volvendo, perpendendo, et, quod aiunt, in ſuccum ſanguinemque vertendo, iam id temporis quosdam in Philoſophia fecit progresſus, et animus eius a rebus terreſtribus ad altiora cogitanda fuit impulſus et ſapientiae praeceptis imbutus.

Quae omnia eo lubentius refero, cum pleraque

que ex ipſius ore hauſerim, quo cum non tantum affinitate, ſed, quod maius eſt, amicitia eram coniunctisſimus, ita ut ſaepius mihi familiari eius commercio frui fuerit datum, non ad edendum, non ad bibendum, (hisce enim haud magnopere delectabatur) ſed ad colloquendum de rebus gravisſimis. Alia autem mihi tradita fuerunt a Virginibus illis lectisſimis et nobilisſimis, quae mortem patris defuncti, eiusque carisſimi, deplorant, et a Sorore eius dignisſima, quae annorum octoginta et quinque numerum excedens, dolet fratrem, ſolum ſuperſtitem, nunc morte ſibi ereptum; ita vero dolet, ut eius mens rebus divinis cogitandis asſueta, in omnibus Dei benignisſimi, Patrisque eius amantisſimi, voluntatem veneretur. Bina profecto pectora, forſitan iam brevi, beatiori vinculo copulanda!

Perponcherius igitur ſermonis Latini, aliarumque artium et disciplinarum notitia haud vulgari imbutus, Academiam Traiectinam adiit, et in illa per plures verſatus annos, lauream Doctoralem accepit, conſcripta disſertatione *de Origine Dynastiarum Hollandiae* (1), re-

(1) 1765.

reportata haud exigua a praeceptoribus laude; facile ſuſpicantibus hunc iuvenem ad maiora eſſe natum. Ipſe autem ea cum animi voluptate in alma hac nostra Academia degit, ut peractis ſtudiis, nullum alium locum ſibi magis gratum, et ad litteras ulterius excolendas aptiorem fore ratus, huc habitatum conceſſerit, praeſertim cum haud vana ei affulgeret ſpes, ut ad promovenda civitatis, pagique Traiectini, commoda adhiberetur. Post quatuor igitur annos urbis nostrae magistratibus, postea Provinciae Traiectinae ordinibus fuit adſcriptus: quibus in muneribus ita ſe geſſit, ut quamvis non omnibus (quod viri ſapientes et boni nunquam posſunt), tamen plerisque, et inprimis ſibi Deoque placere conaretur. Cuius rei Tu testis eſſe posſis, Nobiliſſime Lyndeni! ſenex venerabilis, cuius praeſentiam nos veneramur, qua gaudemus, et qua ut diutiſſime gaudeamus, opto. Tu P e r p o n c h e r i i familiaritate plures per annos magna ſemper cum animi voluptate uſus es, et quemadmodum omnes Te, ita Tu eum magni feciſti.

Sed, ut ad Litterarum ſtudia revertar, non ita quidem litteris operam dedit, ac ſi aliquando Academicis eſſet muneribus idoneus, ſed ut rebus pu-

publicis praeësſet, et nihilominus nullam praetermiſit occaſionem, qua cuiusvis artis et ſcientiae initia perciperet, et laborando, cogitando, ſuam eruditionis et doctrinae copiam in dies magis magisque augeret. Quod quo melius intelligatis, cogitetis velim, A. H., nullam fere fuisſe artem aut doctrinam, in qua hospes peregrinusque esſet. Testis ſit ſeries operum eius, quae edidit, quam dedit ad finem libri eius ultimi, paullo post pluribus commemorandi. Philoſophicis a rerum initiis fuit exorſus in *Epiſtolis de Beatitudine* (1), quae ingenium ſapiunt ſapientiae praeceptis ſubactum, dein in *Initiis illis Philoſophicis* (2), admodum praeclaris, in *Vita* etiam *Altamonti* (3). Quantopere vero omnia ad vitam mortalium, ad eorum ſpem feliciter revocaverit, multis ſcriptis in uſum puerorum et puellarum ostendit, quibus exponuntur educationis verae officia et praecepta, nec minus, cogitatis, gnomis, ſententiisque gravioribus, ab eo in lucem editis, quovis auro dignioribus, et

(1) *Zedekundige Brieven over het Geluk.*

(2) *Wijsgeerige Gronden.*

(3) *Het leven van* Altamont.

et Philoſophiae eius atque experientiae testibus. Nec ipſam neglexit Poëſin, ſed in illa haud parum valuit, ſive Zeelandiae agriculturam deſcriberet, ſive carmina in lucem emitteret, ſive quod primo loco appellari meretur, Ioſephum, Iacobi Patriarchiae filium, eleganter pingeret, ita quidem ut argumentum ex ipſa historia hauſerit, ſed ἐπεισόδιον ab eo fuerit inventum, in quo, iudice Ariſtotele, vera Poëſeos vis cernitur, et quam agendi viam in Carmine Heroico, ei Homerus et Virgilius praeierunt. Ita autem illud invenit, ut veterum Aegyptiacorum rituum, Geographiae antiquae, et hominum indolis notitiam fecerit testatam. De quo igitur vere dici potest, quod Castellanius (1) de Virgilio dixit, eum primum Bucolica cecinisſe, dein progresſum fuisſe ad Georgica, ſed postea demum illud Aeneidos fastigium attigisſe; quod in pictorum quoque principibus, e. g. in Raphaele, cernitur, qui *Ioannem Baptistam in deſerto* ita pingere non potuisſet, niſi antea multis aliis fuisſet exercitatus. Non posſum interea praeterire ſilentio Poëtae nostri elegantisſimi, quem oculis intuemur, iudicium, qui ita ſcripſit:

„ Per-

(1) Castellan, *Lettres ſur L'Italie* T. III. p. 125.

„ Perponcherii carmina, varii etsi ar-
„ gumenti, quadam tamen omnia excellunt
„ praestantia. Si minus sonorum harmonia
„ delectant, rerum tamen pondere eminent.
„ Carminibus in suis Perponcherius,
„ uti et amicus eius, Beatus ille Hiero-
„ nymus Alphenius, docet, et usui est;
„ et tametsi Alphenius ad altiora ferri vide-
„ tur, noster tamen, tum in aliis, tum in Io-
„ sepho pingendo egregie ostendit, ingenium,
„ mentis solertiam et vim, quin imagines instau-
„ randi facultatem, foecundam illam poëse-
„ os matrem, ei vel in ipsa senectute nun-
„ quam desuisse. Pingitur in hisce natura,
„ pinguntur omnia, quae homines circumdant,
„ describuntur mortalium ingenia moresque
„ coloribus nativis, ita ut ipse tuis oculis res
„ hominesque intueri, horumque indolem
„ perspicere tibi videaris."

Laudanda haud minus eius in carminibus illa videtur praestantia, quod non, uti plures solent, gentium diis ita fuerit delectatus, ut eos, si quid deficeret, si quid ornatui deësset, in subsidium vocaverit, sed quod veriora dixerit, et Miltoni aeque ac Klopstockii aliorumve exem-

exemplum imitatus, angelorum operam in medium produxerit, qua multa, eaque egregia, perficerentur.

In Poësi igitur eum eminuisse quis quaeso miretur! Erat enim sedulus venusti et pulcri investigator, quod *Epistolis ad* Alphenium *de Elegantia* et *de Pulcri sensu* conscriptis, satis ostendit: erat Historiae gentium peritissimus, documento sit liber ille ultimus, qui, proh dolor! ultimus e calamo eius profluxit, et cuius partem tantum primam ad finem perduxit, morbo et morte impeditus, ut nulla supersit spes, alteram partem unquam prodituram (1).

Totus autem a pueris erat rebus divinis intelligendis, interpretandis et ad usum hominum referendis, deditus. Anno iam antegressi seculi sexagissimo et nono Youngii librum *Christiani Triumphum* ex Anglica in Gallicam converterat: deinceps Ioannis Davidis Michaelis

(1) *Overwegend verslag van den oorsprong en voortgang zoo der verwildering, als der beschaving, onder de menschen en volken, naar den loop der geschiedenis ingerigt.*

elis V. C. ſive commentarios, ſive notas, et verſionem librorum V. F., Belgica civitate donavit, et in Salomonis Eccleſiaſtico, in Epiſtolis quibusdam Paulinis eandem collocavit operam: et probe ſibi conſcius, ſe non illa ſermonis aut Hebraici aut Graeci notitia inſtructum esſe, qua opus erat, optimos tamen conſuluit interpretes, ut horum ſtaret iudicio. Quod utinam facerent omnes eiusmodi ſermonum haud ſatis periti!

Nec tamen ingenium eius interpretandis aliis potuit coerceri, ſed ſapientis esſe putavit, ut quis ab aliis eruditus et ipſe ſaperet, adeoque omnia, quae legerat, quae perceperat, tam diu mente volvebat, usque dum veram rei intelligentiam erat asſecutus, ex illa ſuâ copia protinus in alios redundaturus. Ipſa eius *Theologia* a multis ſcholasticorum vitiis, tametſi non ab omnibus, purgata, *Ambulationes per V. T.* (1), quibus plurima et difficiliora V. T. loca explicantur, alii etiam libri, quibus nexum inter praecipua capita doctrinae in libris ante adventum, et post Christi mortem conſcriptis,

(1) *Beſpiegelende wandeling door 't Oude Testament enz.*

tis, dilucide expoſuit (1): *cogitationes* (2) praeterea abunde testantur, eum non in litterarum initiis ſubſtitisſe, ſed ad ipſos penetrasſe fontes, et ex iis hauſisſe, quae aliis traderet. Quid multa! vix ulla est doctrinarum pars, quam non attigerit, et de qua ſi vel non ſcripſerit, tamen accurate ſatis iudicaverit.

Sed ſingulares eius ingenii mentisque dotes, nunc deinceps, mihi commemorandae videntur. Quarum haud minima fuit *illa ingenii felicitas*, qua ſua, ſibique propria via, quam ingenium invenerat, ſemper incesſerit, et tametſi ab aliis edoctus, omnia ita ordinare, iungere, ſeiungere, proponere ſoleret, ut mentis quaſi imago omnibus ſcriptis imprimeretur, et omnia ex eius cerebro quaſi enata viderentur. Centies eius in ſcriptis talia reperias, quae nuspiam alibi ita legisſe tibi videaris: quod in eius cogitatis, gnomis, et dictis quibusdam acutis cernitur, quibus antiquorum nonnulli in his

re-

(1) *Het Oude Testament, de voorbereiding van 't N. T. — de Geest van 't Evangelisch Christendom.*

(2) *Overdenkingen*, quibus add. *ſpreuken, opgaven, overwegingen, bepalingen, gronden.*

regionibus adeo inclaruerunt, e. g. C a t ſ i u s, et quorum anteſignanus facile ab omnibus haberetur Salomo, regum ſapientisſimus, niſi virorum divorum numero contineretur. Quamquam, ut verum dicam, multi hanc non commiſerunt culpam. Singularis esſe videtur in conſcribendis librorum ab eo editorum titulis, quos aiunt, qui peregrini cuiusdam climatis esſe videntur, et tamen in ipſo P e r p o n c h e r i i cerebro foti et nati, uti occaſio ferebat, ſive ambularet, ſive domi ſederet, ſive ſuos contemplaretur, aut denique rusticos laborantes videret, beneficiis divinis affectos.

Loquendi et ſcribendi ratio ei ſoli erat propria, et quaſi innata. Ita enim ſcribebat et loquebatur, non quoniam alios eo modo loquentes et ſcribentes reperierat: ſed quoniam notiones, quas animo conceperat, ſuo modo conferre, ornare, et eloqui ſolebat. Quin id adeo verum est, ut ſe vix coerceri pateretnr limitibus illis, quos aut S i e g e n b e e k i u s noster, egregius caeteroquin harum rerum arbiter, aut acutisſimus ille W e i l a n d i u s in pronuntiando, et in ſcribendo poſuerant. Mens eius nullis limitibus terminisque, niſi ab eo clare per-

 ſpec-

ſpectis poterat contineri: quos ſi perſpexerat, vel in rebus diiudicandis, et in capitibus doctrinae explicandis, vix ab iis ſe dimoveri patiebatur. Sed, quod praeclarius est, vero investigando ſemper occupabatur, illudque ſimulac ſibi reperiisſe videbatur, protinus conſcripſit, et quae conſcripſerat, typorum formulis exprimenda dedit, ſuis tamen ſumtibus; aliis enim prodesſe, non nocere volebat. Verbo reperias forte inter nostros, qui magis eleganter, et ad gustum hominum ſcripſerint, ſed an reperiatur, cuius mentis indoles magis ſcriptis ſit indita, et ſcriptis plenius pingatur, id est, de quo merito dubites. Cogitandi ratio, rerum inventio, illarum adornatio, confirmatio quoque, tota erat P e r p o n c h e r i a n a. Ita ut in ſcriptis ipſe ſuis adhuc ſpiret, et ſemper futurus ſit ſuperſtes.

Est autem illa quoque ingenii dos in ſcriptis inprimis conſpicua, quae cernitur in connexione cogitatorum ordinata, qua non confuſe, nec ſine gravi causſa, ab uno ad alterum ſcriptum transiliret, et indeliberato impetu ferretur, ſed ſapientisſimis duceretur causſis, quoties, uno ſcripto abſoluto, aliud pararet. Ubi ſcribebat, non librorum gravis ſuppellex, non argenti copia,

quae

quae ex iis comparatur, non hominum gratia ei placuerunt; ſed placuit ſemper ordo et ſeries, qua unum alterum explicaret, firmaret, et ad hominum revocaret uſus. Non ὕδραν τέμνειν ſolebat in ſcribendo, ita ut uno abſciſſo capite, decem loco unius provenirent, (quod quis ſatis eleganter de elegantiſſimo Lafontainio, dixit). Ipſe ſibi teſtis eſt Vir Nob. in Prologo Libri cuiusdam (1), quomodo iisdem finibus, quibus Ampl. Alphenius, inſervire voluerit, qui omnia ad unum Dei conſilium, quod in Chriſto Ieſu perficeretur, ducere conatus eſt: quod cum vidisſet et probasſet, variis libris, pasſim, et continuato ordine editis, in *Naturae et Patefactionis Philoſopho*, in *Hodierno Stoico*, in *Euangelici Chriſtianismi argumento*, et in aliis, idem fuit conatus. Deus Chriſtusque fuisſet igitur omnium rerum geſtarum meditullium et quaſi centrum. Nec a vero aberrasſent hi duumviri praeclari, ſi vel omnia ad unum eundemque Dei Spiritum πάντα ἐνεργοῦντα retulisſent: cuius verba litteris continentur divinis, ſolae quae idoneae ſunt, teſte Doct. Stu-

(1) *Overwegend verſlag, enz.*

Stuartio, ad omnes gentes edocendas, et vera luce illustrandas (1). Praeterea alibi accurate refert (2), quomodo pedetentim ab uno ad alterum scriptum progressus fuerit, ita ut conscripto uno, ei necessitas fere imposita videretur alterum exarandi, quo cum priori iungeretur, unam eandemque rem doceret, et ulterius confirmaret. Quam librorum eius genealogiam, cum auctor ipse scripserit, non est quod de consensione amica inter omnes dubitemus, aut statuamus e mente bene ordinata illa haud fuisse profecta. Contra quam varia erat doctrina, quam varium dicendi genus, erant omnia amice et apte inter se copulata et nexa.

En eximias illas ingenii dotes, quae mentem eius ornarunt! Erant autem hae in dies magis magisque auctae. Perponcherium certe haud cognovit, palam scribere nuper qui fuit ausus „ *ultimis eius scriptis inesse senectutis ves-*

[illegible] *ti-*

(1) *Redevoering en Algemeen Verslag wegens 't Nederlandsche Bijbelgenootschap*, *voor de afdeeling Amsterdam op den* 21 *October* 1819, *door* M. Stuart.

(2) *Bijbeloefeningen*, *bedenkingen*, *gissingen*, *enz. in de Voorrede bl.* 15.

tigia." Contra quo magis corpus infirmari coepit, mentis vis increscere videbatur: ita quidem ut nihil tenue, nihil quod ſenis esſet decrepiti unquam proferret. In ſenectute illa ultima asſiduus erat in litterarum ſtudiis interdiu et noctu, matutino inprimis tempore litteris delectabatur; et quod ſilentio praeterire nolo, quoniam in viris magnis omnia ſunt notatu digna, ſi quid ei noctu in mentem venisſet, ſtatim id annotare ſolebat, ſandaliis ſuis loco menſae uſus.

Cognovistis iam virum A. A. H. H., multis dotibus praeſtabilem, ſed hisce addidit *ſingularem Dei, praeceptorumque eius obſervantiam, ſingularem Christi Conſervatoris nostri reverentiam, uti et amorem integerrimum, quo omnes complectebatur.* Deum quoties cogitabat, (cogitabat autem ſaepisſime) totus erat in eo admirando, venerando, et mente complectendo. Os eius pietatem erga Deum ſpirabat, ſcripta nihil aliud complectebantur, et actiones prorſus testabantur, quid intus animo ſentiret; ubi poterat, frequens aderat publicis Christianorum coetibus, uti Christianos decet, nec aderat tantum, ſed quamvis aliquando ſpeciem dormitantis indueret, probe tamen perce-

ceperat omnia, quae dicerentur, ut illa deinceps in ſuis deponeret horreis, et ſecerneret, quid bonum, quid malum esſet. Nunquam puduit eum religionis Chriſtianae. Summa ſcriptorum ſatis docet, quid inprimis mentem eius occuparet, quid meditaretur, quid ſperaret. Veram Christi religionem nunquam abnegavit (illud enim foret exiguum), ſed ne disſimulavit unquam, ne quidem iis temporibus, quibus quis talia cogitando, aut profitendo vix ſe commendaret multorum animis: contra palam teſtatus fuit et ore et ſcriptis, quantopere averſaretur omnes artes, quibus doctrinae ſalutaris vis frangeretur, aut debilitaretur; et quamvis alienus perquam erat ab omnibus contentionibus rixisque, ab omnibus controverſiis, quae mentem non alant, ſed ſenſum virtutis exſtinguant, non verebatur tamen palam proponere et tueri, quae animo tecta clauſaque habere potuisſet, vere putans, ſibi licere ſua abundare copia, dum alii ſua delectantur. Imo vero, qua voluptate Iudaeos Deo et Christo reconciliasſet, ſemel iterumque oſtendit, hortando eos, qui revertantur, excitando eos, ne id longius differant, tollendo obſtacula, quibus prohibeantur. Ita

ut

ut Viri praeclari, qui Societati ad Biblia disseminanda coactae praesunt (1) merita venerabilis huius senis grati agnoscerent, qui toties vim religionis expertus fuerat, eumque debitis prosequerentur laudibus. Nec mirum: ipse enim in disseminandis Bibliorum S. exemplaribus erat assiduus, nec minus in excitandis aliis, ut gentibus Christi religionem annuntiarent: nec tamen ex eorum erat numero, qui se pietati et officio iam satisfecisse putent, si talia curaverint. Saepius ex ipsius ore audivi, quid in Deo Christoque reperiisset, quo omnem pelleret mortis metum, quo futuram illam beatitudinem fidenter exspectaret. Eximia semper erunt verba, quibus in Appendice libri, quem postremum in lucem emisit, spem suam, fidemque certam testificatus est! Eximium est carmen illud, quo omnia claudit, quodque, quamvis multi de Cygnorum cantu dubitant, carmen eius Cygneum appellari possit, ita ut morti iam proximus, Deo, Christo, et certa felicitatis spe gloriaretur, et nauci floccive faceret eorum iudicia, qui eum in Germa-

nia

(1) In Narratione rerum per annum 1818 gestarum p. 54.

nia *Religiosum Fanaticum* appellaverant; titulo satis splendido in eorum ore, qui Deum haud venerantur, sed quo a recte opinantibus is certe appellari nequit, cuius animo nihil impressum, cuius ori nihil inditum, cuius calamo nihil discribendum erat, nisi illud, quod rationi et verae Philosophiae consentaneum ei videretur. Testabatur autem aperte, id ei honori, id voluptati esse, si post annum aetatis septuagesimum et nonum iam exactum, ea mentis adhuc indole gloriari posset, qua omne mentis solatium, et perfugium ad subeundas quasvis calamitates in Christi doctrina quaesiverit, et invenerit. Nostis enim A. A. hunc virum e medio nostrum vi Napoleontica, (qua nulla poterat esse maior) abreptum, cum aliis, iisque praestantissimis, in Gallorum sepulturam delatum, carceri inclusum, et nonnisi illa benignitate, qua Deus Europae, nostrisque adeo regionibus consuluit, liberatum, ad nos reversum, cum omnium applausu gaudioque intra haec moenia receptum, salvum, sospitem, Deo toties commendatum! Quam confidenter autem id temporis spem in Deo collocaverit, quantopere aliorum solatio fuerit, habeo testes quam pluri-

mos,

mos, et iam mortuos, et adhuc superstites, qui cum eo in eodem versati fuerint periculo, quorum unus dixit, *Nisi adfuisset* Perponcherius, *succubuisset nostrum quisque aerumnis.*

Tanta A. A. Religionis Christianae vis est, tanta fiducia, ut quis mediis in aerumnis Deo gloriari possit! Detur id Philosophis, ut mortem spernant et contemnant: sed Christi asseclis et cultoribus, iisque solis, id datum est, ut in vitae exitu, bono non tantum sint animo, sed mortem, sed Deum laete exspectent. Eo modo vixit, ita mortuus est Perponcherius, qui ubi fari amplius non poterat (ipse id meis conspexi oculis, meis audivi auribus) scripto consignavit, se omnem spem in Deo collocasse, se nihil in se reperiisse unquam, quo gloriaretur, Iesum Christum unicum eius esse praesidium solatiumque, atque ita mortem intrepidus obiit, non sibi, sed nobis eheu! flebilis occidit! Magnus semper, quoniam Magnus erat in Iesu Christo.

Novistis A. A. virum inter vos versantem. Videor mihi eum adhuc intueri, annis gravem, lento gradu incedentem, prono, ut videbatur, vultu terram aspicientem, sed sereno animi vultu coelos suspicientem, et dum terram versus

cor-

corpus pendebat, mente ad altiora evolantem! Nunc terram sub pedibus habet, in coelo est, aeternum, semper beatus!

Quid autem coram vobis A. A. H. H. eius virtutem commemorem? Quis vestrum, quaeso, unquam conspexit Virum adeo Nobilem, et qui magis modesto et humili esset animo? Non vestium ornatu, sed honestate, non aedium aut suppellectilis splendore, sed nitore, non hominum adeo, quam Dei laude delectabatur. Inprimis ornatum vestium respuit, ubi infantes ad fontem S. deferebantur; abluendos enim eos esse censuit, ut a vitiis purgarentur, non ut mundi vanitatibus ornarentur. Id semper dilexit humilitatis genus, quod, suasore Hieronymo, *non ostenditur, aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed puro cordis affectu exprimitur*, memor Lipsiani illius, *sicut in segete spicarum vacuae attolluntur, gravidae et feraces inclinant, ita, quo quis sapientior, eo magis se demittit et sustinet.* Affabilis erat cuivis, qui eum adiret, colloquebatur suaviter cum omnibus, quibus interesset, nec difficilis, molestusve erat monitor, ubi suavitati et gaudio esset locus. Musicâ, cantuque delectabatur et aliis

vi-

vitae amoenitatibus, ſed ſaepius factum, ut, dum in hisce verſaretur, quaſi extra ſe raperetur, et mens vix intelligeret illa, quae ibi agerentur. Quam quidem viam excultis huius mundi hominibus, Libro ſingulari (1) commendavit, ſed vereor, ut homines, huius vitae amoenitatibus dediti, iis ita frui velint. In hisce enim gustandis, fruendisque toti occupantur.

Hominum erant amantisſimus: ſed non ſatis ſibi cavisſe videtur, ne in gubernationis divinae vi recte ponderanda, in poenis divinis vere definiendis, unam Dei bonitatem, non adeo iuſtitiam ſemper cogitaverit. A poenis enim erat paullo alienior, adeo quidem, ut cum munus ei mandatum esſet de rebus minoribus iudicandi (iudicem pacis appellant) et primum ſuspicaretur, ſe uſui esſe posſe (pacis enim erat ſtudioſus) protinus tamen, ut percepit molestiis et poenis minoribus infligendis rem peragi debere, oneri facile ſuccubuisſet, niſi ſe eo abdicasſet munere. Caeteroquin muneribus fideliter fungi ſolebat: norunt id omnes, etiam Viri Amplis-

(1) *Aan de lieden der beſchaafde Waereld.*

plisſimi, qui in conſesſu ordinum Deputatorum agri Traiectini ei asſesſores fuerunt.

Quid plura? ſi enim omnia commemorare vellem, dies et latera me deficerent! Habemus certo, quod nobis gratulemur, de eiusmodi viro, huius urbis incola, huius regionis moderatore. Sed habemus praeterea, quod nobis gratulemur, de eiusmodi Curatorum praeſide.

Aliis praeësſe qui velit, eorum, quibus praeest, indolem, ſtudia et officia pernoſcat necesſe est, ſi de iis recte iudicare velit, et deſiderio feratur perficiendi omnia, quae ad eorum utilitatem et felicitatem pertineant. Sed in his omnibus eximius erat noster, quarumvis doctrinarum apparatu inſtructus, vero erga Deum, hominesque amore flagrans, ſedulus hominum ipſorumque indolis ſcrutator, iuvenum amantisſimus, Rei Academicae ſtudioſisſimus.

Summa iam ante plures annos cura id peregerat, ut cum viris praeclaris ad id electis, de Lege quadam Academica ferenda conſuleret, quae tamen res id temporis ſuo caruit fructu. Sed habemus monumentum aere perennius, quod ſibi ante mortem ſtruxit, quotannis, ſi quid video, iis qui in rebus Academicis ver-

ſan-

ſantur, et occupantur, ſive viris, ſive iuvenibus, monſtrandum vel praelegendum: est enim ſi cum Lege Academica, a ſummo nostro Rege ſapienter lata, conferatur, quaſi Codex Academicus, quo cuiusvis, qui ad altiora tendit, et aut humanae ſocietati, aut Dei eccleſiae inſervire vult, ſtudia et actiones regantur: ita quidem, ut ſi eo modo inſtituatur aut ſtudiorum curſus, aut vitae ratio, habituri ſint certe omnes, quod ſibi vehementer gratulentur.

Facile intelligitis A. A., me ante oculos habere *allocutionem illam* praeclaram ad *ſtudioſam Academiarum huius regni iuventutem* (1). Quam ubi perlego, neſcio quid magis extolli et laudari debeat, univerſa illa omnium doctrinarum notitia, qua quaevis ſuis e fontibus derivetur, ſuis terminis coerceatur, extra quos exſpatiari non liceat; an vero mirabilis ille nexus, quo omnes artes et disciplinas inter ſe iungere et copulare noverit, ita ut altera alteri opem ferat et ſuccurrat, una quaſi ex altera oriatur. Quod ſi enim multorum laudamus operam, qui cae-

(1) *Aanſpraak aan de op Rijks Hoogeſcholen ſtuderende Jeugd*, 1816.

caeteris in rebus eum ordinem servarunt; si mirabilis ille Cattierii thesaurus ad Linguam Graecam addiscendam adeo idoneus habetur, ita ut a simplicioribus ad magis composita fiat progressio; si miremur Hemsterhusii, Valkenarii, Lennepii, Scheidiique sedulitatem, qui quod Schultensii et Schroederi in Hebraicis iam fecerant, in explorandis, et investigandis Graecorum vocabulorum originibus diligentissime fuerint versati, Stephanorum curam, aeque ac Fabri, Cellarii, Schelleri imitati, ita ut discipuli initia addiscerent, unde ad caetera progrederentur; quod si Pestalozziana diligentia methodum invenit, qua omnia iungantur et copulentur: quidni laudemus nostrum, qui non tantum cum Cicerone statuit, *omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habere commune quoddam vinculum, et quasi cognatione quadem inter se contineri*, sed qui omnes artes et disciplinas eo constrinxit vinculo, ut subsequentia e prioribus oriantur et nascantur, et discipuli prioribus iam imbuti, ulterius discendi desiderio incensi, fructus perquam amoenos, ex iis, quae perceperint, capiant? Accedit autem hisce singularis

il-

illa dexteritas omnes doctrinas ad veros usus revocandi, illarum pondus definiendi, et pro rei natura iis utendi. Nemo vestrum est A. A. H. H., nemo vestrum inprimis viri in artibus et disciplinis perspicacissimi, qui non protinus intelligat, eam fuisse Perponcherii, eamque singularem dotem, ut non vanis quibusdam quaestionibus tempus tereret, ut non scholasticorum more philosopharetur, ut non pro litteris pugnaret, tamquam pro aris et focis, et in iis solummodo subsisteret: sed ut omnia ad hominum usum, ad Dei fines, referret: quo fit, ut non lites, non odia inter eruditos excitentur, sed ut omnes ad concordiam, et amicam quandam societatem ferantur, cum ex unius eiusdemque fontis rivulis, tametsi e diversis locis erumpentibus, aut aliter aliterque derivatis, potent et recreëntur. Profecto id unum si quis spectaverit, magna iam forent Viri praeclari merita, qui ipse eam ingressus viam, aliis auctor suasorque fuit, qui idem facerent. Quid existimatis, Viri Clarissimi, nonne e vestris subselliis est una omnium vox: *in hisce* Perponcherius *erat eximius!* Nos omnes illius vinculi experimur vim: in hac enim Academia pax et concordia regnant.

Sed haud minori cum gaudio vobis A. A. H. H. in memoriam revoco, promtisfimum illud defiderium, quo ferebatur, ut iuventus litteris dedita fe eiusmodi praeceptis regi ducique pateretur, et ita fatisfieret Regis nostri munificentisfimi voluntati et benignitati, iuventutem qui Belgicam ad fummum eruditionis et doctrinae gradum evehere flatuit. Eiusmodi defiderio ferebatur totus. Cum antea nos Traiectinos in aedibus S. maioribus esfet exhortatus (1), haec iterum fecum reputans, omnium amore conftringebatur, et verba ad omnes direxit, qui in huius Regni Academiis verfabantur. Traiectina civitas ei cara erat, cara Academia nostra, fed cara quoque ei erant omnium, five Lugduni, five Groningae, five alibi litteris operam darent, capita. Omnes amore complectitur, omnes et fingulos ad felicitatis culmen utinam evehere posfet! Simulac Academiam cogitat, cogitat cara fibi pectora! Gloriemini de tali magistro.

Nec tamen fibi fatisfecisfe videtur, fi doctrinae ubertate multis profuisfet, nifi fimul omnes

(1) *Aanfpraak aan den Academifchen Senaat, en de ftuderende Jeugd op Utrechts Hooge School*, 1815.

nes ad virtutem et pietatem adhibuisſet ſtimulos, quibus incitarentur. Gravia ſunt et lectu dignisſima eius monita, quae ibi (1) habentur: iuvenes *tamquam florem huius et ſpem ſecuturae aetatis* pingit, *tamquam corpus ex nobilisſimis et honestisſimis compoſitum, in quibus omnium ſpes est collocata, ſocietatis fulcra, humani generis ſubſidia, parentum et propinquorum ornamenta*; inde vero officia honestatis, humanitatis pietatisque repetit, quibus obſtringantur; adeo ut ſi Deo, Regi, parentibus, praeceptoribus, ſocietati humanae, ſibi ipſi non obſint, in illa incumbant officia, necesſe ſit: et, cum, uti in veteri est proverbio, *quo ſemel est imbuta recens, ſervabit odorem testa diu*, enixe eos rogat, ut ab omnibus vitiis, ab omnibus quae iuventutem commaculant, aut ad mala ferunt, ſibi caveant, et mactentur honore apud Deum hominesque.

Erat igitur Perponcherius Litterarum et Academiarum amantisſimus, et omnibus enitebatur viribus, ut Pallas illa, quae non belli, ſed ſapientiae est nutrix, ubivis aleretur, coleretur, floreret. Huius tanti viri mortem

(1) Bladz. 118, enz.

tem taciti dolemus: ſed vivit, nec noſtrum, nec Academiae obliviſcitur! Ieſus Chriſtus ei adeſt, cui tuto omnia noſtra commendamus!

Deſiſtamus igitur a luctu, A. A. H. H., et perſuaſum nobis ſit de Dei erga nos, erga noſtram Academiam cura: cuius benignitas nobis dederat eiusmodi virum, rarisſimi quidem exempli, ſed exempli tamen, quod imitari, quod ſequi posſimus! et quidni ego toto recrearer animo, animadvertens caeteros Academiae noſtrae Curatores, Viros gravisſimos, ſalvos et ſoſpites, praeſentia ſua hunc decorasſe locum? Quibus equidem gratum teſtor animum, pro collocatis apud me, apud Academiam beneficiis, quibus ſumma a Deo deprecor bona, ut vivant in hac terra, (quod utinam per longum tempus iis contingat!) ut vivant in aeternum! Inprimis id tibi optaverim, Ampliſſime Swellengrebel! qui tam feliciter ſucceſſiſti in beati noſtri locum. Si mei ipſius, ſi omnium collegarum meorum mentem pernoſcere tibi fuisſet datum, reſcivisſes certe, te noſtro quidem ſuffragio in Curatorum collegium fore cooptatum. Amas enim litteras, amas virtutem, amas

amas pietatem, amas quaevis humanitatis officia. Novimus te a teneris reverentiae erga Deum, et amoris erga alios sensu fuisse imbutum. Novimus te Perponcherii vestigiis insistentem. Novo igitur nos quoque Curatore gaudemus, et ut quam diutissime eo gaudeamus, amoenissimosque ex eius cura percipiamus fructus, admodum precor.

Alia sunt, quae animos addant, eaque spe lactent, fore ut Academia Traiectina in dies maiora incrementa capiat. Numerus novorum alumnorum hoc anno insigniter fuit auctus, ita ut pauci praeterierint anni, qui hunc multitudine eorum, qui Academiae Albo nomina sua inscripserunt, superaverint: et Facultas quoque Medicorum, quae multis, iisque egregiis vale dixerat commilitionibus, Doctoris laurea ornatis, a luctu destitit, cincta et sustentata multis alumnis, qui hoc anno advenerunt.

Academiae Bibliotheca cum publice aucta est magno in quovis Litterarum doctrinarumque genere librorum numero tum privatim, etiam eximiis exquisitisque muneribus. Nam ut dono accepimus a Viro Ampl. D. I. van Ewyck, tum alia, tum Marshmani *Sinen-*

sis

ſis Grammaticae elementa, et Euleri *Inſtitutiones Calculi integralis* (1): nec defuerunt etiam profesſores, qui rarioribus libris ſyllogen noſtram ditarent: ita gratisſima nobis accidit Virorum Amplisſ. de Beaufort et Swellengrebel, Academiae huius Curatorum, munificentia, quorum hic Bibliothecae noſtrae dono dedit egregium utilisſimumque Knorrii et Walchii Geologicum opus (2): ille Bibliothecae aedificium praeclare ornavit *Apollinis*, *Belvedarii* vulgo dicti, apotypomate. Quam eximiorum Virorum erga res noſtras voluntatem, et publice nunc celebramus, et grato deinceps animo perpetuo proſequemur.

Hortum Academicum ita plantavit Kopſii noſtri dexteritas et peritia, ut ſecundum ſynopſin plantarum Perſenianam omnia ſint diſpoſita, et ſimul numeris notata, e quibus et illarum genera, et ordinata ſyſtematis Linnaei ſe-

(1) *Elemens of Chineſe Grammar by* J. Marshman, Serampori 1814, 4to.

(2) G. W. Knorr et J. E. E. Walch, *Monumens des Catastrophes du Globe terrestre, contenans des Petrifications* etc. Nurenb. 1777, 4 Vol. Fol.

ſeries facile cognoscantur; idque tanta cum elegantia, ut quemvis, qui de hisce iudicare, qui hisce delectari velit, facile, bona tamen cum Viri Cl. venia, invitaverim, qui ipſum adeat hortum, et ſuis intueatur oculis, quid hic fuerit praeſtitum.

Ditavit hortum Hornemani, Profesſoris Koppenhagenſis, munificentia, plusquam tricenis quinquaginta et novem plantarum ſeminibus, etiam iis, quae ex India utraque fuere asportata, et, indigenorum inſtar, humo indita feliciter ſuccreverunt. Exſpectatur praeterea ex horto Plantarum Pariſino, haud exigua aut plantarum aut ſeminum copia, et addiderunt alii alia. Kopſius inſuper noster, numerum plusquam duorum millium ſeminum collegit (quae typorum formulis iam deſcripta ſunt) ita ut cum aliis rei Botanicae peritis ſua communicare posſit, et reddatur illud, quod nostrum ornet hortum. Est quoque ſpes nobis facta, fore, ut Horto Oeconomico locus ſit, eique praeclaro.

Muſeum illud Bleulandinum, quod omnes mirantur, ita conſervatum et auctum est nonnullis animantum ſceletis, quae appellant

ar-

artis magistri, et ſpeciminibus Pathologicis, ut non tantum Bleulandii noſtri ſedulitas hic multa perfecerit; ſed ipſa Viri Clariſſ. effigies ibi collocata dies noctesque vigilasſe videatur, ne Muſeum illud quid detrimenti, ſed contra, ut multum emolumenti, caperet.

Muſeum interea huius Academiae Zoölogicum praeterito anno non tantum immenſis animalium et indigenorum, et exoticorum ſpeciminibus, curante Fremerio noſtro, fuit auctum: ſed praeterea munificentia Cl. Arntzenii, Profesſoris quondam Harderovicenſis, eximia ſuppellectile Conchyliorum, quae in ſuos collegerat uſus, locupletatum: pro quo beneficio omnes Viro Cl. gratias agunt quam maximas. Minerales inſuper divitiae fuerunt amplificatae duplice ſpeciminum ſerie Lapidum ad Veſuvium pertinentium, aut a monte ignivomo eiectorum: quarum alteram peritisſimo rerum Mineralium Viro Koopman, alteram Nobilisſimo de Geer, huius Academiae quondam ornamento, acceptam refert et noſtrum et poſterorum memoria.

Gaviſuri certe fuisſemus abundantius, ſi horreum illud inſtrumentorum rusticorum, quae nobis

bis affulserat spes, huc fuisset translatum, ubi haud negligenter esset servatum et auctum: sed gaudeamus tamen, quod oculis nostris intueamur aedificia, iam emta, et parata ab iis, qui rei rusticae praefecti sunt, et rei veterinariae, ut dicitur, destinata. Qua ex arte Academiae nostrae cives haud exiguos percipere possunt fructus: et hi, qui illam exercent, ulterius nostris in scholis instrui possunt omnibus, quibus iis opus est.

Habeo autem haud exiguam insuper laetitiae caussam, quam vobis referam, necesse est. Pugnam inierunt Academiae alumni, non crudelem, non inimicam, sed placidam et gratam: et quemadmodum in aliis Belgii Academiis iam victores fuerunt proclamati nonnulli e nostris, Tuyllius Lugduni Batavorum, Cockius Groningae, et alii proxime ad victoriam accesserunt, veluti Paravius apud Groninganos, et Vlierius apud Lugdunenses, (Vlierius ille, qui aegrotante licet corpore, mente tamen sana indefessam litteris operam navare pergit, et cui nos omnes valetudinem precamur optimam) ita et nunc apud nos victores evaserunt haud pauci iuvenes egregii, de quorum conatibus,

ut

ut ipsi iudicetis A. H. vobis praelegam Facultatis cuiusvis Iudicium, et, eo praelecto, praemia distribuam.

Iudicium Facultatis Theologicae.

„ Ad quaestionem propositam: *strictim describatur librorum Veteris Foederis praestantia et usus in doctrina Christiana intelligenda, aestimanda, tuenda, et ad virtutis studium adhibenda:* ordo Theologorum unum duntaxat accepit responsum, dicto inscriptum Paulino (2 *Tim.* III: 16.) πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, id autem communi omnium consensu iudicatum fuit tanta cura et accuratione scriptum, ut palmam et omnino mereatur, et vero etiam praeripere potuerit multis, siquidem plures vires suas laudabiliter in hoc certamine periclitati fuerint. Aperta schedula, et legitima disquisitione instituta, agnitus fuit commentationis auctor

Henricus Woerman,

Amstelodamensis, Theol. in hac Acad. studiosus, nunc vero Candidatus."

Primus igitur tu huc accedas, praestantissime

Woer-

Woerman, et praemium accipias! Dolemus nos omnes mortem dilectisſimae matris tuae, tibi inopinato ereptae, ſed vulnus illud recenter inflictum refricare nolo. Tu Theologorum laudem reportasti! Dignus es, qui ita orneris: ornant enim te doctrina, modestia et virtus; et ita ſi pergas, ornamento eris Eccleſiae Christi. Deus autem ipſe tibi ſit ſolatio, gaudioque!

Iudicium Facultatis Iuridicae.

„ Ordo Iurisconſultorum hoc anno propoſuit quaestionem: *quid ſtatuerunt auctores Codicis Civilis de rerum mobilium vindicatione? Quibus de cauſis hac in re a Iure Romano recesſerunt? Qua tandem ratione utriusque iuris doctrina optime temperari posſe videtur, ut tum in iure dominii tuendo, tum in libero rerum mobilium commercio haud impediendo, aequitatis et boni publici, quoad eius fieri posſit, habeatur ratio?*

Duas accepit commentationes, alteram inſignitam Ovidii verſu:

Inter utrumque tene.

Alteram Ciceronis dicto:

Niſi utile est, quod facimus, ſtulta est gloria.

Utraque disputatio meretur laudem: nam in ſingu-

gulis ingenii, iudicii, atque industriae documenta reperiuntur.

In primo quidem quaestionis capite, quo de Iure Hodierno quaeritur, ſcriptores ambo ita ſunt verſati, ut ſi de hac tantum laboris parte iudicandum fuisſet, anceps admodum haeſisſet victoria.

In reliquis vero capitibus prioris disputationis auctor aemulum multum ſuperavit: quippe causſas differentiae Iuris Romani, et Hodierni, interius perquiſivit; quid Iuris Philoſophici praeceptis conſentaneum esſet, accurata magis diligentia perpendit, ac denique in conſulendis laudatisſimis iuris interpretibus maiorem et curam prodidit, et delectum.

Itaque disputatio munita ſymbolo *inter utrumque tene*, prae altera ordini placuit, atque ipſi digna viſa fuit, quae praemio ornaretur. Reſignata ſchedula ſcriptorem indicavit

Ianum Conradum Pruimers,

Iuris Cand in Acad. Rheno-Trai.

Qui, examine inſtituto, ſe huius disputationis auctorem esſe, abunde probavit."

Tu igitur huc escendas, velim, ornatisſime Pruimers! tibi tradò hunc nummum aureum, eruditionis, profectuum, et morum hu-

humanorum testem. Eo tu quaeso gaudeas, (gaudent enim omnes tecum, quod statim omnium applausu audivisti,) et inter eximios numereris aliquando Iuris Patronos! Accipias quaeso aurum, et bene serves augeasque!

Iudicium Facultatis Litterariae.

De commentationibus, quas ad propositam quaestionem: *disquiratur, quaenam universe fuerit Graecae Tragoediae ratio: ad eamque exigatur nobilissima* Vondelii *fabula*, Gysbrecht van Aemstel: ordo accepit Philos. Theor. et Litt. Hum., huiusmodi est ordinis iudicium.

„ In septem responsis, quae hoc anno tulit quaestio nostra, caeteris omnibus excellere aestimavimus tertium et sextum, his sententiis insignita, illud

Omne genus scripti gravitate Tragoedia vincit.

Alterum

"Ος δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποίητης ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.

Plato, *Phaedro.* 245. A.

Prae-

Praeſtabilium horum ſpeciminum ut prius et inquirendi diligentia, et disſerendi arte, ita posterius venusto praeſertim disputationis habitu ac forma perquam nobis placuit. Quae laudes, quamvis utrique ſingulatim videantur tribuendae, in neutro tamen deſideravimus nec ingenii ſolertiam, nec iudicii ſubtilitatem, nec eruditionis copiam, quae ad propoſitum argumentum accurate eleganterque tractandum postularentur. Accedit Latinae orationis bonitas, quae in altera ſcriptione, facilitate atque evidentia, in altera gratia inſuper et ſuavitate commendatur. Utrumque opusculum cum pari iure aureo cenſeretur praemio dignisſimum, publice rogati ſunt auctores, ut nomen ſuum ederent, ac ſortibus iaciendis ipſi dirimerent, utri foret nummus tradendus. Scriptorem ita esſe cognovimus *tertiae* commentationis

Petrum Ioſuam Ludovicum Huet,
in Ill. Amſtelodamenſium Athenaeo
Litt. Hum. Cand. et Theol. Stud.

et *ſextae*

Ludovicum Gerlachum Pareau,
in Acad. Rheno-Trai. Litt. Hum. Cand.
et Theol. Stud.

Quo-

Quorum huic prae illo fortunae obtigit favor.

Ad harum disputationum praestantiam proxime accedere iudicavimus, cum *quintam*, exquisito hoc lemmate distinctam:

Ἐλπίδες οὔπω καθεύδουσ'.

exquisito item dictionis genere, et interiori Tragicae poëseos tam Graecae quam Belgicae cognitione insignem; tum *quartam*,

Χαλεπὸν οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν.

summa studii assiduitate elaboratam, et vero accuratae doctrinae indicia referentem. Quibus dotibus cum haud leviter se nobis commendarent hae scriptiones, non committendum censuimus, ut earum auctores publice ignorarentur ac suo destituerentur honore. Patuit autem, apertis schedulis, *quintae* esse disquisitionis auctorem Ioachimum Coops, *in Acad. Rheno-Trai. Litt. Hum. Cand. et Theol. Stud.* *Quartae* autem Iacobum van Hall, *in Ill. Amstelodamensium Athenaeo, Litt. Hum. Cand. et Iuris Stud.*

Quatuor hisce commentationibus impares nobis visae sunt reliquae sic inscriptae: prima,

Vivitur ingenio; caetera mortis erunt.

Se-

Secunda,

Honos alit artes omnesque incenduntur ad ſtudia gloria.

Cicero, *Tusc.* II. 1, 2.

Septima,

Tentavimus.

Attamen ut ſingularum auctores eximios nobis probarunt in litteris Graecis Belgicisque progresſus, ita in *prima* praeſertim, et *ſeptima* ſcriptione, quae vehementer probaremus, imo admiraremur, reperimus permulta."

Hic igiter vos exſpecto iuvenes praeclari, Paravi et Hueti Tu Paravi praeclari parentis es filius praeclarus, adeo ut Patri tuo eximio, et tibi ex animo gratulemur. Tu victoriam reportasti! Quae inchoasti a te perficiuntur, ab initiis ad maiora tendis, et quemadmodum in litteris humanioribus iam egregie profecisti, ita litteris divinis ornamento ſis, et in ſignum victoriae hunc accipias nummum aureum, velim!

Te vero, praeclare Hueti! noſtrum fere dixerim. Nominis enim Huetiani fama apud nos oblivioni data non est; ſed tu illud novo cumulaſti honore. Quod in Ciceronis laudem dictum fuisſe perhibent: *Demosthenes tibi prae-*

praeripuit, ne esſes primus orator, tu illi, ne esſet ſolus. Id mutatis nominibus de te dici posſet: *Paravius tibi praeripuit, ne esſes primus victor, tu illi, ne esſet ſolus.*

Aurum quidem tibi praeripuit Paraviana dexteritas, ſed tibi praeripere nec potuit, nec voluit laudabile illud de te iudicum idoneorum testimonium, quod, cum eiusdem ſit argumenti, atque ea, quae diximus, omnibus ostendo, tibi vero trado.

Tua interea Coopſi, tua Halli, diligentia ſummam meretur laudem: ita enim partes vestras egistis, ut litterarum fautores vobis delectentur, et impenſius etiam fuisſent gaviſi, ſi vos quoque praemiis condecorare potuisſent. Nunc autem publica illa laudis testificatio vobis ſufficiat!

Pervenimus ad *Iudicium Facultatis Matheſeos, et Philoſophiae Naturalis.*

„ Ad quaestionem Botanicam: *conficiatur brevis enarratio ſystematum Botanicorum, quae inde a Caeſalpino usque ad Linnaeum inprimis inclaruerunt. Addatur expoſitio praeſtantiae ſystematis ſexualis Linnaei, qua non tantum*

 per-

perſpiciatur, quibusnam in rebus praecedentia ſystemata ſuperaverit, verum etiam, quaenam ipſi deſint, atque impediant, quo minus perfectum dici posſit? tres accepit ordo excercitationes, quarum prima inſcripta est:

Huc usque Botanophilus aliena fartimque depilans,
Sed dein Botanicus verus evadere conor.

Quae breviter recenſet opera ſummorum Botanicorum, atque nonnulla L i n n a e i in re herbaria exponit merita, quibus prae omnibus excelluit. Quae tamen commentatio, quamquam auctoris et diligentiam et librorum notitiam indicat, praeſtantiam tamen L i n n a e i ſystematis ſexualis, quam ſpectat quaestio, parum accurate expoſuit.

Altera inſcripta:

Non una die Roma condita fuit.

diligentiae, laboris, et Botanici ſtudii prae ſe fert ſpeciem, ita ut ſystematum enarratio multo ſit prolixior, atque uberior, quam quaestio postulat. Dolendum autem est, non ſatis accurate et diligenter inſtitutam fuisſe comparationem ipſius L i n n a e i ſystematis, cum diverſis aliorum Botanicorum methodis. Haec

enim

enim comparatio in quaestione propofita vim causfamque continet. Multis autem excellit laudibus *tertia* commentatio, infcripta:

Linnaei fystema revera omni honore et laude dignum est, fi modo oculis ab invidia et vituperii pruritu alienis adfpicitur.

Schäffer.

Caput enim quaestionis non folum optime perfpexit auctor, verum etiam ei convenienter, et misfis ambagibus, recta via progresfus est: fystematum diverforum enarrationi, brevi quidem, fed ad rem aptae, adiuncta est diiudicatio erudita, atque fubtilis, neque folum quibusnam in rebus fystema fexuale Linnaei, aliis, quae eum antegresfa funt, excellat, verum etiam, quid in ipfo imperfectum fit, et quid defideretur, dilucide et acute est expofitum. Nec minorem commendationem habet disfertatio oratione pura et culta, lucido ordine, et ingenii iudiciique indiciis. Quare cum praemio dignisfima iudicata fuisfet, aperta fuit fchedula ei adiuncta, qua patuit auctorem esfe,

Hermannum Christianum van Hall,
in hac Acad. Medic. Stud.

Qui in examine deinceps inftituto, commenta-

tionem ſuam mascule defendit, atque victor certaminis litterarii renuntiatus est."

Adſis igitur, iuvenis praeſtantisſime, cuius laudem palam praedicarunt Viri rei Botanicae periti. Perſcrutando terram aurum fuisſe inventum, ferunt. Tu certe, et in Lugdunenſium, et in Traiectinorum agro terram perſcrutatus es, et aurum invenisti. En par fratrum, idque praeclarum, quo pater et ipſe eximius vere gloriari posſit, ita ut ei, ſi praeſens hic adesſet, vere gratularemur. Gaudio enim nobis est, quod bini fratres ita ſe gesſerint, ut publice laudentur. Tu, praeclare iuvenis, duobus palmam praeripuisti, et, quamvis hic locus non est coronis texendis ex plantarum arborumve foliis, plantarum tamen chorus tecum gaudet, ubi viri eruditi, te auro coronant, ex terrae penetralibus effosſo, et omnes boni, quod et nos facimus, tibi bona apprecantur!

En iuvenes praeclari, tanti est fideliter incubuisſe in litteras, tanti est a viris ingenii et doctrinae fama claris condecorari praemio, ut vestrum ipſorum fronti quaſi rubor ſuffundatur! Nec tamen rubor ille pudoris ſit, omnes enim laude estis digni: caeterique commilitones vobis haud invident laudem, quam estis promeriti: ſed manus proten-

tendunt, ſtatim ut exieritis, vobis gratulaturi. Nec ſpes iis praeciſa est, quo minus idem conſequantur: definitae enim ſunt quaestiones, ad quas quisque alumnorum cuiusvis Belgii Academiae, et Athenaei respondere posſit. Hae autem ſunt.

QUAESTIO IURIDICA.

Duce Historia exponatur origo et progresſus confesſionis per tormenta quaeſitae. Porro doceatur, quid de necesſitate confesſionis, eiusque pondere, ad fidem iudici faciendam, ſit ſtatuendum. Denique inquiratur, quatenus iuſtitiae ratio et utilitas publica admittat, ut iudex reum non confesſum ex ſola eius convictione condemnare posſit.

QUAESTIO MEDICA.

Quaeritur brevis et diſtincta expoſitio fabricae et functionis organi auditus in homine, recentiorum etiam anatomicorum obſervationibus, et anatome comparata ita illuſtrata, ut ex hisce pateat, quaenam ſit huius organi pars ad audiendum maxime necesſaria, et qua in re illud praeſtantius in homine, quam in brutis, ſit cenſendum.

QUAESTIO LITTERARIA.

Quam maxime commutationem apud Graecos subiit Philosophia, auctore Socrate?

QUAESTIO ZOOLOGICA.

Tradatur historia naturalis, et anatome muris silvatici Linnaei, *atque* muris arvalis Linnaei (*Hypudaei arvalis Illigeri*); *eorumque instituatur cum mure domestico comparatio. Exponantur, quae detrimenta per utrumque agri et prata praecipue capiant, quidque aut maiore aut minore successu tentatum fuerit, ut haec detrimenta vel caverentur, vel tollerentur.*

QUAESTIO MATHEMATICA.

Comparatio instituatur parabolae, ellipseos, circuli, atque hyperbolae, ut vel ex coni sectione, vel ex earum curvarum aequatione, vel ex utraque appareat, quaenam his curvis, vel omnino, vel quadam ratione communia sint. Brevitatis ita ratio habeatur, ut coniuncta sit cum perspicuitate, et accurata rerum expositione, atque ut ea, quae comparationi maxime inser-

ſerviant, diligenter congerantur. Non requiritur, ut calculus differentialis et integralis in auxilium adhibeatur, neque tamen eius uſus prohibetur; dummodo, quae in propinquo ſint, non ex remotioribus fontibus hauriantur.

QUAESTIO THEOLOGICA.

Demonſtretur, et accurate exponatur disciplinae morum, inprimis Christianae, conſilium, in eo poſitum, ut moralis hominum perfectio ad ſimilitudinem cum Deo conformetur: ex eoque huius disciplinae praeſtantia efficiatur, ratione habita, cum doctrinarum, tum praeceptorum, quae ea continentur.

Ad quas erit reſpondendum a. d. 10. *Ianuarii A.* 1821. *libellis, aliena manu ſcriptis, ac Senatus Academici Graphiario misſis, ut praemia reportata distribui posſint ipſo die Academiae natali, qui futurus est* 26. *Martii illius anni.*

In hisce igitur vestras periclitemini vires, iuvenes praeclari! pergatis quaeſo iis inſistere ſemitis, quas plerique vestrum iam fuerunt ſecuti, qui ſtudiis et bonis ſe commendarunt mo-

moribus, et ut ſpero, in dies magis magisque ſe ſunt commendaturi. Exemplo enim iam aliis quoque praeivistis in eo, quod necesſitatem hominum, qui aquarum inundatione ad incitas fuerunt redacti, vestris e ſumtibus, aere haud exiguo, ſublevare voluistis, ita ut mediis ex aquis multi extollerent caput, vobisque omnia fausta apprecarentur; quod et nos facimus, tametſi undis non obruti!

Ita hisce omnibus peractis, Tu quoque accedas Hermanne Arntzeni Vir Cl., occupesque locum hunc vacuum!

Salve Rector Magnifice! Laetus tibi trado Academiae Magistratum. Adſunt fasces, imperii, ſi quod ſit, inſignia. Praeſto erunt ſigilla, et commentarii: omnia, quae ſunt Rectoris Academiae, tua nunc ſunt, non amplius mea. Ego quidem, quod in me est, omnem dedi operam, ne aut Senatus, aut Rectoris auctoritas quid detrimenti caperet! Tu quaeſo, ſuppleas omnia, in quibus defuerim, tu perficias, quae inceperim! Te Rectore Magnifico floreat Pallas Traiectina!

Tibi vero Soli et vero Deo, Patri, Filio, et Spiritui S. ſit laus, honos, et gloria in aeternum! Amen!

PHILIPPI FRANCISCI HEYLIGERS

ORATIO,

DE

VERO CHIRURGO,

DICTA PUBLICE

d. XXIV. Martii, A. C. CIϽIϽCCCXX.

QUUM EXTRAORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM SOLEMNITER AUSPICARETUR.

❁ ❁ ❁

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES! VIRI GRAVISSIMI, AMPLISSIMI, MAGNIFICI!

QUI IN REGNO BELGICO, IN HAC REGIONE, AUT HAC IN URBE, REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS, IUSTITIAEVE VINDICANDAE PRAEËSTIS, VIRI SPLENDIDISSIMI, SPECTATISSIMI!

RECTOR MAGNIFICE! CAETERIQUE ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

LINGUARUM CUM ANTIQUARUM TUM RECENTIORUM LECTORES CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES ET PRAECONES DOCTISSIMI, REVERENDI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI!

CIVES ET HOSPITES OMNIS ORDINIS, LOCI AC DIGNITATIS, ACCEPTISSIMI!

VOS DENIQUE CIVES ACADEMICI, ORNATISSIMI! SPES PARENTUM, PATRIAE, HUMANITATIS!

Quem conſcendi, ſuggestum quando contemplor, quasque per annorum ſeriem ex hoc illustri loco eruditisſimorum virorum audivi, orationes recordor: vel oculos in illustrem hanc concionem converto, in qua tot clarisſimos, omnique doctrina comſummatos viros ac praeceptores mihi intueri contigit, quibus inexſpectato Regis Optimi favore adiunctum me video ad eandem docendam doctrinam, quam olim me ab iis didicisſe glorior gratoque animo

mo recordor: et ad personam denique, quam agendam lex Academica mihi imponit, attendo; anxie huncce diem me prospexisse, atque hac ipsa hora commoveri vehementer, nemo vestrum A. A.! mirabitur. Etenim si conventu coram hoc illustri verba facere vel oratori exercitatissimo ardua res sit, quanto magis arduum hoc erit mihi negotium, qui maximam iuvenilis aetatis partem cum in nosocomiis degi ad aegrorum lectulos, tum mortuos inter cultro anatomico armata manu, quique, ut medico pernecessarias callerem disciplinas, undecim et quod excurrit annos, in patriis extraneisque Academiis studiis impendi; quique, licet in docendi negotio non prorsus novus, omnibus omnino indigeo, quae Oratorem faciant. Oratori inexercitato condonetis ergo A. A.! quidquid desit sermonis elegantiae, rerumque suavitati: condonetis Medico, aegrotorum quaerelis experimentisque anatomicis magis adsueto, quam linguae stilique puritati, quidquid durum vel minus iucundum teretes vestras offendat aures, etiam atque etiam rogo.

Quum vero, ex vasto rerum medicarum campo selectum argumentum non solum solemnitati hu-

huius diei accommodatum, et, quod publice obeo, munere dignum sit oportet, sed etiam huic universae concioni non ingratum, Medicinam profitentibus non taediosum, nec tironibus plane inutile, doctam a me A. A.! exspectare non poteritis defensionem medicae cuiusdam hypotheseos, quam humana excogitaverit intelligentia, ingenium ornaverit, sed usus numquam comprobaverit. Aperiant hypotheses in reliquis disciplinis viam, quae ad veritatem tendit, in rebus autem medicis ad veritatem via hypothesibus non sternitur, illius potius occulitur aditus, obscuratur visus, turbatur iudicium. Testes sint omnes, quae post Hippocratem ortae sunt vel prolatae in Medicina opiniones; evanuerunt perinde atque earum auctores, nullo Medicinae addito incremento; nec quidquam effecerunt, nisi, ut indicarent errores, quibus, a natura si discedit, exponitur mens humana. Evanuerunt et fere oblivioni traditae sunt, theoriae Galleni aeque ac Boerhaavii, Sylvii aeque ac Stollii, Stahlii aeque ac Hofmannii. — Quid de Galliana dicam, quid de Mesmeriana, ista olim adeo inclyta, per annorum dein-

ceps

ceps decurſum neglecta, quin et ſpreta, nuperrime iterum renovata, celebrata, imo in ſystema fere redacta, et nunc de novo obſoleſcente theoria? Iudicet de his poſteritas; verum enim vero a praeteritis ſi ad futura valeat conſequentia, ne eiusdem, ac reliquae, ſortis eventusque participes fiant, quam maxime vereor.

Multo minus a me argumenti alicuius medici deſiderabitis elaboratam explicationem. Interiores enim ſcientiae partes ut cognoſcat, eius ſolum refert, qui eam aliquando perſcrutari et ad abdita eius ſacra penetrare cupit; cuivis autem literarum amanti grata eſſe poſſunt generalia. Haec ut intelligantur, auditorem requirunt modice attendentem; illa vero ut percipiantur, exquiſitam poſtulant terminorum artis cognitionem, quos ſibi vindicat pertractanda ſcientia. Quapropter conſultius fore arbitror, ſi argumentum orationis deſumſero a ſcientiae cultore. Dicam ergo *de vero Chirurgo.*

Non diu vos morabor A. A.! veri Chirurgi difinitione. Ex lineamentis noſcitur artifex. Mecum modo vaſtum ſalutiferae artis campum ingrediamini, ipſumque chirurgum in eum excur-

currentem attente obſervemus, quo modo ſe gerat, obiecta investiget, obſtacula removeat, et quae ad propoſitum aut pertineant, aut conducant, ſedulo pertractet, et veri Chirurgi habebimus imaginem.

Ne tamen credatis A. A.! ſtudium et perſeverantiam ipſi ſufficere; plures profecto, quam fieri ſolet, Chirurgiae obſervarentur veri cultores, ſi laboris conſtantia ad eos informandos, conſtituendosque ſufficeret. Requiritur vero, uti in caeteris artibus et disciplinis omnibus, ita praecipue in medicis ac chirurgicis, ingenium quoddam, quod ſtudiis non comparatur, a parentibus non defertur, ſed a natura gignitur; quo deficiente et pertinacisſima voluntas, et optime ordinata disciplina, inturbataque perſeverantia ac conſtantia, irrita evadunt: ingenium, inquam, chirurgicum, quod in crepundiis iam lucet, animum moderatur, ſtudiis praeſidet, praxin deinde animat, manum dirigit, viſum acuit, in inſolitis optimam indicat viam, in deſperatis tutisſimum praebet refugium: quid multa? ingenium divinum atque ſublime, quod chirurgo omnibus in rebus adest, ſive diſcat, ſive doceat; ſive ſcribat, ſive loquatur;

ſive

ſive ſanet, ſalvo integroque corpore; ſive illud mutilet ſanandi conſilio.

Natura hoc ingenio chirurgico donatus, bonaque praeditus memoria, intellectu, imaginatione caeterisque mentis facultatibus, non ſolum in res praecipuas, quas ignorare hominem ingenuum non decet, incumbit futurus noster chirurgus; ſed et linguas cum mortuas, latinam ſcilicet graecamque, tum vero ac praecipue excultiorum gentium hodiernas, naviter atque accurate diſcit: non eo quidem conſilio, ut Mithridatis inſtar viginti et duas loquatur linguas; ſed ut iudicium ſuum acuat, mentisque vires evolvat atque exerceat, ut diverſa artis investigandae nomina intelligat, eorumque vim et etymologiam teneat: ut, boni quidquid antiqui de chirurgica disciplina excogitaverint, fecerint vel ſcripſerint, ex fontibus ipſe haurire posſit, ne in verba magistri ſemper iurare coactus ſit, nec pro novo invento habeat, quod a remotisſimis inde temporibus excogitatum iam fuerit conſcriptumque; tandem ut artis chirurgicae apud diverſas gentes progresſus mox perſpiciat, posſitque carere verſionibus e verſionibus ſaepe ſero ſaepius vel vitioſe prodeuntibus.

Sic

Sic igitur a natura donatus ingenio chirurgico exercitataque mente iam praeditus, vulgarem non ingreditur viam, verum ab initio ſtudiorum iam autumat, multa ſe ſcire oportere quam primum ad Chirurgiam excolendam ipſe accedat.

Omnes ſi digne explanare vellem doctrinas, quibus mentem ornare cupit chirurgus noſter, totum, quo circumſcribor, tempus non ſufficeret: arcte adeo cum hac medendi parte connectuntur omnes, ut nulla ſit propemodum, qua indigere poſſe videatur. Quo itaque diutius in neceſſariis vel praecipuis inſiſtere poſſim, leviter modo eas attingam, quae Προπαιδεύτικαι dicuntur.

Quas inter primum locum ſibi vindicant mathematica; ad haec tamquam ad matrem omnium disciplinarum mox noſter ſe convertit, ut ab iis recte cogitare, accurate philoſophari, et acute iudicare diſcat; utque eorum inſtar omnes praeiudicatas opiniones deponat futileſque hypotheſes, et ad compoſita eruenda numquam procedat, niſi ſimpliciora perſpecta habeat.

Verum enim vero caute progreditur in applicandis ad viva animalium corpora matheſeos principiis, ne ad exemplum H a l l e ſ i i, magni-

nique Boerhaavii, quid perperam ſtatuat, neglecta animantium indole mathematicam computationem non admittente.

Corpus humanum, quod valde quidem compoſitam machinam conſtituit; ſi fabricam ſpectes, ſimplicisſimam vero, ſi diverſos, quos praeſtare poteſt, motus conſideres, a pluribus variisque circumdatur cauſis, quae illius motus et actiones vel impedire, vel turbare, vel plane tollere posſunt.

In Mechanicis igitur noster ſeſe exercet, ut partium, membrorumque uſum finesque probe diſcat, motuum leges perſpiciat, actionum vim atque efficaciam, facultatesque organorum eruat; ut e ſtatu ſano ſi quid recesſerit, hoc cito atque tuto curare posſit: ad leges enim mechanicas luxata ſuo reſtituit osſa loco, fractaque iungit, ad easdem necesſarias adhibet extenſiones directas et oppoſitas, fasciasque applicat; ex iis cauſam intelligit, quare musculi, potentiarum mechanicarum inſtar, vim ſuam plerumque in osſa exerceant, ut in vectes tertiae ſpeciei: quare quae in ſe moventur, ſuperficies liquore continuo irrorantur diverſae naturae diver-

ſaeque quantitatis pro diverſis earundem ſuperficierum motubus diverſisque ſuperficiebus, quae moventur. Quibus bene perſpectis, et veritatis amore, quem matheſeos ſtudium ei inculcavit, ductus, ad caeteras Philoſophiae naturalis partes accedit inquirendas.

Etenim quarumcumque rerum a ſummo Dei Numine progenitarum nihil profecto hoc in mundo adſpectabili eminentius, nihil pulchrius est ac perfectius quam homo, qui in continua omnium ac ſingulorum corporum catena ſummum conſtituit annulum.

Humanum itaque corpus, ut pars naturae, ſubiectum est iisdem legibus, quibus ſubiecta ſunt reliqua, quibuscum intime coniunctum est, producta a natura corpora; partes, quae illud conſtituunt, ab univerſali naturae lege non ſecedunt; earum ſubſtantia iisdem gaudet qualitatibus, iisdem praedita est viribus, eosdem producit effectus, ac caetera omnia eiusmodi corpora naturae. Proprietates itaque corporum a natura ortorum, eorum vires, harumque effectus, noster ut pernoscat, necesſe fore, nemo est, qui dubitet.

Quid

Quid de Luce? omnium naturae virium fortasſe maxima, motu celerrima, maximeque disperſa; an hanc cognoscere omittat? Eiusne motum negligat? Mirandasque eius proprietates nonne eruat? Quomodo, quaeſo, oculi ſecundum Plinium totius corporis pretioſisſimae partis, intricatisſimam pulcherrimamque ſtructuram: quomodo diverſarum eius camerarum? humorum, quibus implentur: lentis cristallinae, qua ſeparantur, neglecta lucis indagatione, utilitatem intelligat et actionem? Quomodo viſus medeatur vitiis, quibus, quo minus ad nervi optici pulpoſam perveniant expanſionem, lucis radii impediuntur?

Quod cum luce intime adeo coniunctum est, ad caloricum investigandum mox progreditur, et eorum ſententiam ſpernens, qui cauterium actuale a carnificibus inventum, nec, niſi pro latronibus adhibendum enunciare non erubuerunt, accuratius calorici ſive ſoluti, ſive cum alio corpore coniuncti naturam examinat, recte ſuspicans non irritum in corpus humanum fore effectum ſtimuli tam validi, de cuius vi et efficacia Hippocrates iam ſcripſit. „ Quae „ medicamenta non ſanant, ferrum ſanat; quae

„ fer-

„ ferrum non ſanat, ignis ſanat; quae ignis „ non ſanat, ſunt inſanabilia." Nec diutius, quam adeo praevalere videt, quaeque continuo etiamnum apud plebem praevalere pergit, praeiudicata movetur opinione, qua cane et angue peius aegri fugiunt frigus, nobileque hoc remedium e medicina fere proſcribitur. quo ſive externe applicato, ſive interne ſumto in diverſis variisque vitiis ſanandis praeſtantius habemus nihil.

Neque minorem, quam qua uſus fuit, curam impendit noster, ad electricitatem investigandam: fluidum illud elaſticum, ubicumque in omnibus naturae corporibus plus minusve obvium, e quo omnium, quae exſtant in terrarum orbe, eumve circumdant, gravisſimorum phaenomenorum pendet harmonia atque explicatio, quod corpus nostrum penetrat, formationem eius fortasſe, vitalesque dirigit actiones. Hinc ſtrenue inquirit, quomodo vires eius definiantur, quomodo dirigantur, ut, quae ſibi relictae mortem eheu! et deſtructionem nimis frequenter minantur, tuto adhiberi queant ad commodum generis humani: quot hodieque incedunt, audiunt et loquuntur, qui incedent-

dendi, audiendi, et loquendi facultatem ſine electricitate adhibita in perpetuum amiſisſent! Ad praeſtantisſima itaque artis remedia electricitatem iure referendam esſe cum **Haenio** noster cenſet.

Fluidum illud compoſitum, pellucens, elasticum et grave; quod totum terrarum circumdat orbem; quidquid reſpirat, alit; quidquid vivit, ſustinet; horumque omnium cum ſaluti- feris tum nocentibus continuo impraegnatur emanationibus, ab eo negligi, multiplices illius proprietates vetant. Aërem itaque atmosphericum, eius partes, proprietates, motus, vires, atque effectus in corpus humanum diligenter conſiderat; quid ad reſpirationem conducat; quid ad vitam ſustinendam; quid ad ſanitatem conſervandam; quid ad morbos producendos; quid ad eos ſanandos valeat.

Generalem Phyſicam edoctus, naturalem corporum pertractat historiam.

Conſtantem primum et characteristicam, quae in omnibus a natura productis, vel et in crisſtallisatione metallorum, immutatae ſemper apparent, corporum figuram admiratur et naturam, easque in corpore humano non minus

con-

constantes fore, merito confidet. Quod cum ita deinceps inveniat, fortuitum quid in natura nihil admittit; omniaque, quae in corpore humano facta reperiuntur, ad certam a natura definitamque fieri normam sibi persuadet. „ Natura quippe humana statis a Creatore legibus finita, per similia individua sese multiplicans, omni tempore eadem, sub iisdem conditionibus eodem semper modo agit ac patitur." Aurea sunt Gaubii naturae observationi superstructa verba. Agentis hinc vel patientis naturae humanae, si ad causas adscendere nequeat detegendas, strenue tamen observat phaenomena, ut, hac constantia naturae fretus, ex praesentibus futura praesagire valeat, solidisque fundamentis superstruere discat prognosin.

Fossilia deinceps chemice tractat, partes, quibus componuntur, investigat, affinitates earum inquirit, viresque praesertim salutiferas: ne postea medicamenta servet, quae astutia excogitaverit, et credulitas celebraverit; nec ea condemnet, quorum utilitatem ratio indicaverit, usus que comprobaverit.

Virides ingreditur campos, primum immensum

ſum obſervaturus vegetabilium regnum attente diverſas examinat plantas, earumque vitam, naturam, et effectum in atmosphaeram, in hominem: viresque inde medicatrices aut nocentes efficit.

Tandem ſe confert ad incolas terrarum, aëris et aquarum; eorum corporum explorat ſtructuram, functiones, motus; affectiones diverſas, quibus apta ſunt, morbos, quibus affici posſunt, et medicamenta, quorum uſum natura eos docuit: homo quippe, licet cum tota natura coniunctus, arctisſime tamen connectitur cum regno animali. Brutorum anatomiam hinc eo ſtudioſius excolit, ut, quae a Clarisſimo Bleuland data ſunt, praeceptorum memor, ſedula brutorum comparatione ex analogia deducat, quod in vivo corpore humano perſpicere ſit immane.

Alio conſilio Illustrisſimi Galvani discipulus denudatum ranae musculum fortuito attingit apice ferreo, mox eum ſe contrahere videt; praeceptoris advocat uxorem, ei indicat repertum, et nova in organico corpore animali magni anatomici Italici industriâ prodit proprietas.

Incerta diu de digestionis functione manet

disciplina; futiles hypotheſes fundamentum conſtituunt, cui ſuperſtruitur opinionis aedificium: nascitur Spallanzani, in abditis naturam brutorum perſequitur visceribus; arcanum detegit, elegantisſimeque excogitata coctionis, putrefactionis, fermentationis, triturationisque mechanicae ruit theoria.

Sed non ſolum, ut ſtructuram, proprietates, functionesque corporis humani penitus investiget, ad brutorum animantium corpora disſecanda confugit noster; verum viva quoque ea ſuis ſubiicit cruentis experimentis, ut in iis experiatur propoſitas novas operationes chirurgicas, antequam in homine inſtituat illas.

Primum ita in animalibus Illustrisſimus Camper ſectionem Synchondroſeos pubis inſtituit, ut comprobaret, vel refutaret ſententiam ab operationis inventore, perſpicacisſimo Sigault, prolatam: votis reſpondet effectus, propiusque eo ad perfectionem accedere videtur obſtetricia ars; quam dolendum nec rationem neque uſum ex omni parte ad hunc usque diem affirmasſe utilitatem!

Non ſemper letalia fortuna demonſtrat veſicae urinariae vulnera; experimenta in animali-

libus vivis obſervata affirmant, et confirmata fuit opinio, aliquando nos optimo cum ſucceſſu in veſicam urinariam intrare poſſe cultro chirurgico:) abhinc diverſae proponuntur lithotomiae methodi; Hippocratis improbatur auctoritas; et nova eaque ſalutifera operatione locupletatur chirurgica ars. O Celſe! Cheſelden! Le Cat! Douglas! Morand! Viri de humanitate optime meriti! ſemper honos, nominaque veſtra, laudesque manebunt. Conſervantur in artis noſtrae annalibus. Quin etiam in errores veſtros grato animo ſuos poſteritas coniicit oculos. Quibus vos incitati fuiſtis, nobiliores profecto fuerunt ſenſus, humanioresque iis, quos dexterrimus noſter profesſus fuit Clarisſimus Rau, qui, dum ſe gloriatur in mille quingentis quadraginta ſeptem hominibus, felice omine, calculum e veſica urinaria per ſectionem artificioſe extraxisſe, operationis methodum non communicavit.

Verum quamvis utilis ſit, quamvis neceſſaria quoque anatomia comparata vero chirurgo, prudenter tamen procedit in detectis ad corporis humani vivi cognitionem applicandis, praecipue ratione habita operationum cruentarum chi-

rurgicarum: agitur enim vita humana, quam nostrum est servare. Multae quippe operationes chirurgicae optimo cum succesfu in animalibus brutis instituuntur, quae in homine sine vitae periculo institui nequeunt. A bruto animali toto coelo differt homo, inter se licet multum conveniant corporum substantiae. Crudelisfimas animal patienter subit operationes chirurgicas, ut operatoris manum etiam lambat corpus ipsius disfecantem, dividentem, dilacerantem immaniter: cesfante dolore cesfat et ipsa doloris memoria: praeterito non afficitur; fruitur praesente; de futuro non angitur. Homini contra est animus, qui magnum in ipsius corpus exercet imperium, cuiusque actiones multum valent in corporis affectiones cum sanas tum morbosas: hinc cruentae operationis, quae ipsi, ut in sanitatem restituatur, subeunda brevi est, denunciatione vehementer perturbatur homo; mutilationis cogitatio ei fit ingrata; praeterito ingemescit; conterretur praesente; horrescit futurum, et corpus continuis animi exagitationibus plerumque succumbit.

Tota examinata natura, corporumque proprietatibus, viribus, et effectibus nexuque commu-

muni, quo omnia arctisſime inter ſe connectuntur, adiumentorum, quibus utitur natura, ſimplicitatem explorat, eamque curioſe obſervat. Quam cum videat univerſalem et conſtantem et potentisſimam, ut eam ſequatur in omnibus ſuis operationibus chirurgicis, operam navat. Amotis igitur, quae ſanationem impedire posſint, parce adhibet medicamenta: ipſi quippe ſibi plerumque ſufficit natura, ſi modo contineatur, ne luxurioſe agat. Nullum umquam inſigni copiâ unguentorum, emplaſtrorum, aquarum ſimiliumque ſanatur vulnus, nec ſolidum redditur fractum os. Ad eandem ſimplicitatis normam ſuas conſtruit fascias, ubi ſimplex ei ſufficit faſcia, vel unus cunaniculus, numquam applicat vel plures vel compoſitiores. Digito quamdiu conceditur aditus, ad inſtrumenta, remotis ab oculo explorandis deſtinata, confugit numquam; nec umquam, manus ſi ſufficit, ad operationes ſuas perficiendas chirurgicas adhibet inſtrumenta: manu enim perficitur operatio, non vero inſtrumentis, quae ea diriguntur. Quodſi vero nihilominus adhibenda ſint, ſimplex compoſito praefert; eorum numerum, quoad eius fieri poteſt, minuit, reiiciens ea, quae ela-

te-

teris ope moventur, quorumqne vis, soluto elatere, nec determinari ab eo, nec coerceri potest. Etenim quodcumque prudens chirurgus adhibet, semper ipse regit, instrumentum, nec quidquam fortunae relinquens sibi cavet ab incerto.

Exculto iam ingenio disciplinis, quarum utilitatem et effectum in suam artem praevidit, ad ipsum studium chirurgicum se noster accingit. Ubinam vero ingredietur latissimum, quem sibi apertum videt, campum? Haesitet ille, qui Iatraliptarum, circulatorum, tonsorum instar omnem theoriam spernens, morbos ad eandem normam tractat omnes, omnibus idem habet remedium, et partium plane ignorans cum structuram tum actionem affectionemque, nihilque iudicio valens, ita curat, ut curari a magistro vidit: extendit in fracturas; inungit in ulcera; aperit abscessus, sanatque, si ita ferat benigna natura. Non haesitat noster; nec mirum. Plus semel in nosocomiis adfuit, ubi multi, eheu nimis sero! convenerant medicinam petituri morbis, qui a medicastris partium affectarum structuram, earumque actiones ignorantibus male tractati, nulla sanari arte poterant. Plus semel insignem doluit mutilorum numerum,

rum, quos rure offendit, quosque, dummodo bene tractati fuisſent, ibi non fuisſet offenſurus, Quin etiam in ipſis deformibus osſibus, tacitis illis horridisque monumentis, edacis temporis vi maioribus, inque osſuariis ubique obviis, ſordidae eiusdem ignorantiae contemplatur teſtimonia. Anatomiae hinc primum navat operam. Sedulo ea frequentat loca, ubi in mortuorum reliquiis ſapienter adeo compoſita corporis humani ſtructura demonſtratur ac docetur. Nullum ſe ipſum in disſecandis cadaveribus exercendi negligit opportunitatem. Ipſe oculis bene videre cupit, ut recte perdiscat: ipſe disſecare deſiderat, ut certius eo ſuccedant conamina, dexteritatemque ſibi comparet, quae alio modo nec comparatur, nec manui medenti deesſe licet. Natura quippe ſemper ſibi conſtat, frequenter ab ea ſecedit homo, praeſertim tabulis partes corporis humani exhibentibus, quae, raro fideles, opinionem teſtantur praeiudicatam.

Non tamen diu intimae abditaeque immoratur partium ſtructurae inquirendae. Curioſitatis est molitio; parum utilitatis affert chirurgo. Quum vero adeo claras in anatomicis

hoc

hoc pacto ſibi acquiſiverit notiones, ut per cutem, qua teguntur partes corporis humani, tam clare tam distincte imaginationi ipſius appareant omnes, ac ſi denudatae apertaeque oculis esſent expoſitae, fructuoſe tum, memoriae iuvandae cauſa, ad tabulas nonnumquam confugit anatomicas, antea inutiles, imo nocivas, quod prava relinquunt cogitationum vestigia, ipſa veritate dein non delenda. Nec umquam brutis turpibusque exponetur erroribus, in quos medicorum Parens, magnus Hippocrates, incidit, quum in capitis vulnere, cranio denudato, naturalem osſium ſuturam pro fractura haberet. Errores excuſandi in patre medicinae, quum anatomica ars nulla esſet, vituperandi vero, imo puniendi in hoc nostro omni doctrinae genere abundante ſaeculo.

Phyſiologiam deinceps pertractat. Quid enim ſine phyſiologia prodesſet ei anatomia? Arida foret ſcientia nullius utilitatis. Quomodo enim intumescentis in ranula glandulae ſubmaxillaris dignoſcet naturam, qui perſpectum non habet, glandulas ſubmaxillares continuo ſecernere liquorem, qui mediante membranoſo ſub lingua aperto canali excernitur,

tur, quique, impedita a clauſo canali excretione, in glandula ſe cumulat, eamque intumescere et ſub maxilla prominere facit? Quomodo ex animi perſuaſione de ſtatu vulneris ſive letali ſive minore pronunciare poterit, phyſiologiam ſi corporis humani neglexerit?

Verum enim vero A. A! ne putetis ſola anatomia ſolaque phyſiologia ſuam noſtrum chirurgum continere perquiſitionem. Multa enim ſui furoris non raro morbi relinquunt vestigia, conſpicua in mutatis partium proprietatibus, ſitu, nexu ac functione. Pathologicam itaque ad exemplum Clarisſimi Bonnet, Morgagni, Lieutaud, Camper, Bichat, inquirit anatomiam, ut ea discat quid valeat natura in morbis, in affectionibus, inque vulneribus, modumque intelligat, quo optime ipſa ſanet, ſervet, expediat. Abdominis ita tegumentorum internae ſuperficiei affixa tenet inteſtini vulnerati labia, ut cum ea concrescant: ſanandi hoc natura utitur modo; in cadaveribus noster detexit arcanum, ſimulque convincitur omnium in corpore humano osſium fracturas, rite tractatas, optime ſanari pos-

ſe,

fe, patellam perinde ac olecranon, costam perinde ac collum ossis femoris.

Basin nunc sibi posuit solidam, cui reliqua incumbat scientia, quae de chirurgia nostro superest perscrutanda. Immenso, qui ei iterum patet, non deterretur chirurgiae campo. Hilari animo eum ingreditur, confidens obscuritatem, quae multa in eo obnubilat, ordine dissipari, difficultatem perseverantia vinci posse.

Primum idcirco morbos investigat, qui ipsam partem afficiunt, dein qui organa corripiunt, eorumque functiones perturbant vel delent. Horum omnium naturam et differentias, qualescunque sint, attente perscrutatur; causas deinde observat; sed Gaubii monitu cavet, ne ultra, quam ex usu est, aut subtilius quam verius, illud scrutinium exerceat, nec extra sphaeram naturae virium evagetur. Inde ad ultimas metaphysicas, primasve physicas non adscendit. Multos quippe in corpore humano videmus effectus, quorum prima causa nos latet, latebitque perpetuo. Quae, quaeso, est causa, quae infantis in utero materno ad hucdum inclusi fissum facit labium superius, nec

um-

umquam fere inferius? Agnoscamus ignorantiam nostram, medeamur huic procreatricis naturae vitio, nec progrediamur ultra.

Sedulo porro noster in morborum inquirit symptomata, sola quippe quae morbum declarant, ad naturam eius bene distinguendam conducunt, exitumque indicant tum felicem, tum infelicem, tum mox instantem, tum remotum.

Praedicendi hinc rationem divinam merito Alpinus vocavit Medicinae partem, quae aegrotos vel morituros, vel sanitatem recuperaturos antea praenoscere docet, atque praedicere; cuiusque et Galenus, qui post Hippocratem maxime in ea inclaruit, cum Medicis tum aegrotis utilitatem praedicavit, eiusque certitudinem scriptis suis comprobavit.

Caute tamen procedit noster, ut omnia, quae plurima non raro, diversaeque originis in uno eodemque morbo appareant, a se invicem distinguere bene discat; quaeque ad indolem morbi pertineant ab accidentibus separare valeat. Haec enim accurata distinctio postea ei maximi quoque res momenti erit ad renunciationem iuridicam, eoque magis cum a statu

na-

naturali recesſus non ſemper omnis ſit morboſus; multa enim eiusmodi recesſuum proſtant exempla, quae ne minimum quidem durante vita oeconomiam turbantia, ante mortem haud ſuſpicari quis potest. Ita mediastinum et diaphragma utrumque frustra in cadavere quodam quaeſivit Diemerbroek. Ita doctisſimus Fournier in militis gladio extincti optime conformato et musculoſo cadavere cor obſervavit in dextro latere, in ſinistro hepar. Ita demum eruditisſimum Morgagni, multa alia ejusmodi refert anomala, quae ad ſingulorum hominum ſanitatem pertinere videntur, et re vera pertinent, quibus niſi attendat chirurgus, gravibus ſaepe exponatur erroribus.

Reliqua noster eadem diligentia ac perſeverantia perſcrutari pergit vitia, quaenam ſint, quove modo nobis ſe offerant, aut offerre posſint, ne fluidorum quidem vitiis exceptis, quorum cognitionem, vulgo licet ad medicinam magis pertinere credatur, quam ad chirurgiam, non tamen negligendam esſe, noster ſibi habet perſuaſum, quum eorum alia affectionum chirurgicarum esſe videat ſequelas, alia cauſas.

Dolendum profecto in eadem adhucdum

prae-

praeiudicata opinione illiteratos nostrates versari chirurgos, qui putant ad suum propositum nihil conferre pathologiam sic dictam internam, sibique satis esse doctrinae, dummodo, quibus manu sit medendum, morbos noscant. O vanam opinionem! quae ad rite tractandam artem tam salutarem, quam est chirurgica, penitus aditum claudit, quaque adhucdum quotidie tot externe conspicuae manu sola sollicitantur affectiones, quae manu sola sanari nequeunt.

Ad finem usque noster indicato modo omnium percurrit affectionum chirurgicarum immensum campum; omnia eodem ordine inquisivit, omnia eadem diligentia et attentione observavit, eademque perseverantia investigavit. Nunc etiam quae ei in eo celabant obiecta, pulsae sunt tenebrae, et, qua in eo penitus obducebantur, depulsa nebula.

Clare nunc suos in percursum iter retrorsum vertit oculos; securus in eo eius fuit incessus, indelebiles hinc adeo perspectorum in animo inhaerent imagines, ut numquam, eadem si forte fortuna ei alibi obiiciat, mox non perspiciat et eorum naturam, et causas, et sequelas.

Sed quid theoretica nostro prodesset sola ar-

tis

tis chirurgicae eruditio? quomodo (quod scilicet eius est) curaret morbos, eosve sanaret, aut praeveniret, quum praeter morborum naturam, decursum et exitum reliqua negligeret? quibus, quaeso! naturam exuberantem, torpentem, vel sine via et ratione agentem refraenet, incitet, vel corrigat: quum ignoret media, quae cum diversis istis congruunt? Haec seorsim nunc considerat, eorum naturam investigat, proprietates persequitur, agendique modos diversos observat, ut, data occasione, optima seligat, nocentia aut inutilia reiiciat, unaque perspectum habeat, quid externe applicata praestare debeant, quid interne sumta praestare possint, quid in unoquoque vulgo efficiant aegro, quid aliquando in singulari: ne promiscue postea, quando manu medicinam faciat, contraria sibi invicem adhibeat, nec eorum multitudine vires turbet naturae medicatrices conservatricesque: neve complicationem cum morbo interno somniet, quod medicamenti externe applicati est effectus: quot diarrhaeae ab externa aloes applicatione! quot dolores colici ab inconsiderato saturninorum externo usu! Quot stranguriae a vesicatoriis!

Quan-

Quando penitus nunc tenet, quo pacto haec omnia sese habere soleant, ac fiant, tunc demum, nec prius, omnes intendit nervos in ipsam praxin chirurgiae.

Atqui vero cum in plerorumque morborum externorum curatione, ut applicata retineantur, reposita contineantur, a vulnere aër arceatur, quin ipsa cruenta operatio avertatur, fasciae requirantur, quotidie se in earum applicatione exercet, sive in vivis, sive in mortuis; sive in sanis, sive in aegris; sive etiam in ipsis huic proposito confectis machinis, ut, hoc modo, opportunam sibi, exercitatione sola comparandam, contrahat dexteritatem, quae in artis professione ad morborum externorum curationem, non minus fere emolumenti confert, quam ipsa eruditio. Multi quippe morbi, solis fasciis rite applicatis, profligantur, multos contra aegros, nimis negligenter, vel plane non deligatos, offendimus mutilatos, quin occisos.

Chirurgica disciplina sic tota explorata, ultimam noster sponte quasi et gradatim attingit studii partem, eam scilicet, quae instrumentorum usum spectat. Etenim multis mederi didicit morbis solo medicamentorum externo usu,

mul-

multis aliis, manu, five fola, five iusta fasciarum applicatione adiuta; verum enim vero restant non pauci, ad quos nec medicamenta, nec inermis manus, nec fasciae quidquam valent, quique fanari nequeunt, fine inftrumentorum, ftructura, actione atque ufu diverforum auxilio.

Horum itaque, maxime ufualium, attente primum examinat ftructuram. Eorum deinceps inquirit actionem, vim, et effectum, tandemque diverfa, ut iis adhibendis adfuescat, identidem ipfe tractat omnia. Ut autem eo melius fuccedat propofitum, eorum ftrenue lectitat fcripta, qui, ipfi chirurgi, in hac chirurgiae parte excelluerunt, optimaque de illa dederunt praecepta. Quibus porro lectionibus eorum ufus in cadavere demonftratur, iis adesfe numquam negligit: quodfi vero in vivis eorum ufum gravitas morbi necesfarium reddiderit, huic etiam medelae applicationi adesfe, femper ardet, ut, fi ipfi deinceps impofita fit necesfitas cruentam inftituendi operationem, fanguinis fluentis et vifui, et odori, et vapori iamiam adfuetus, ad dictum Celfi: „ animo fit intrepidus, „ immifericors fic, ut fanare velit eum, quem

„ ac-

„ accepit, non ut clamore eius motus, vel „ magis, quam res desiderat, properet, vel „ minus, quam necesse est, secet, perinde fa- „ ciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alte- „ rius affectus oriatur."

Quotidie porro et frequenter se ipse in cadavere exercet. Omnes in eo diversas efficit operationes, alias cum aliis comparat: quodsi vero plures ad unius eiusdemque morbi sanationem propositae sint methodi operandi, acute ex his ac docte seligit, quae ei optima videtur, selectam dein prae aliis exercet, probe conscius, frequentius exercitatam, aliis licet difficiliorem, ei tamen optime succedere, cui adsueverit.

Verum. A. A.! ne credatis idcirco, qui optime instituere noscat operationes chirurgicas, optimum hunc fore chirurgum. Cruentae quaecumque operationes chirurgicae ultimum nostrae artis constituunt refugium, ad quod nisi in summis angustiis, confugere licet numquam. Eas ergo, qui vel evitare, vel praevenire sciat, ad abdita chirurgiae interius profecto penetravit, quam qui dextre eas ac tuto instituere queat.

Hac ratione eruditus in civitatem ſe confert chirurgus, ut, cui a natura destinatus fuit, quamque ſibi ſtudiis et perſeverantia comparavit, artis ſcientiam, communi omnium bono impendat. Sed quomodo, quem ſibi propoſuit, ſcopum attinget, chirurgiae licet peritisſimus, corporisque facultatibus necesſariis inſtructus, qui vitiis, quae ingenuus quisque reprobat, ſe contaminavit, iisve adhucdum est deditus: aut cuius mores rudes adeo ſunt et inurbani, ut familiaritatem cum eo contrahere nemo facile optet, eique carisſima ſibi (ſanitatem dico et vitam), credere quisque nolit?

Multis igitur praeter eruditionem dexteritatemque chirurgicam nostro chirurgo opus est virtutibus, animique dotibus, quibus civium ſibi conciliet benevolentiam, in honore ab iis habeatur, ſibique amorem et fiduciam comparet: nam, ut praeclare ſcriptum est a Tullio, qui ſummum bonum inſtituit, ut nihil habeat cum virtute coniunctum, idque ſuis commodis, non honestate metitur, hic neque amicitiam colere posſit, nec iuſtitiam, nec liberalitatem.

Verum enim vero, religione quae praeſtantior

or virtus, quae sublimior, quae necessaria magis chirurgo? Cui dum artem faciat, plus semel, ut hominum modeste perpediatur iniustitiam, iniuriam invidiamque, ad hanc religionem confugiendum erit. Haec eius conaminibus, nobilibusque propositis addit vires. Haec, quando, deficiente arte chirurgica, omnique humano auxilio, aliud ipsi nihil superest, quam eiusmodi miseros Deo committere, haec ipsius animum incendit, ut eos ad hunc Deum tamquam ad ultimum refugium, ultimam spem, ultimumque solatium confugere adhortetur.

Sed quam noster profitetur, liberalis est religio. Etenim ubique, quam investigavit, ipsa eum natura Deum docuit summe potentem, universae rerum naturae Procreatorem, omniumque, qui exstiterunt, existunt, aut postea existent, hominum patrem communem, optimum, benevolentissimum. Hinc, cum in angustiis istis, quae instantem mortem indicant, aegri versantur, tempestive eos periculum monet, ut ad suum, cui quisque credit, Deum singuli se conferre queant, ritibusque eum et ceremoniis placare, quas uniuscuiusque fert re-

ligio; quibus etiam, ita ſi res poscit, reverenter adesſe, nec veretur, neque erubescit.

In praxi licet noster, qualem Celſus chirurgum ſtatuit, immiſericors ſit, istam tamen quam maxime abhorret inclementiam, quam affectant Pſeudo-chirurgi quam plurimi, omnes a ſe putantes alienos esſe animi affectus mites facilesque, ſeque eo magis in officio praeſtare, quo magis aegros crucient, vellicent, vexentve.

Humanus contra utique est noster, et miſericors, nec umquam, ne in praxi etiam, omnem deponit commiſerationem. Quod ſi enim eum omnino immiſericordem facias, nae eum nobilisſimo prives affectu, quo bruta antecellit homo animantia.

Hinc, artis profesſione iis licet iam asſuetus, numquam tamen miſerias alterius contemplari potest, quin multum iis ipſe condoleat. Quidquid efficiat, ne aegrorum inutiliter augeat dolores, provide ſemper cavet. Patienter eorum audit quaerelas, prompteque iis occurrit. Ast quando urget necesſitas, ut, manum operi admoveat, tunc perſeveranter agit, et

age-

agere ad finem usque pergit, perinde ac si, quidquid a proposito eius alienum se coram contingat, nec videat, neque audiat. Omnesque, quantumvis increscant dolores, nihilominus, hac difficili hora, supprimit animi affectus. Timiditatis enim magis, quam virtutis, nimia animi adfectio foret indicium.

Quidquid porro, cum in praxi, tum in toto vitae instituto, faciat, prudenter facit; agitur enim de sanitate, de vita hominum, quas leviter tractare non decet: agitur de proprio honore et fama, quas negligere indignum.

Hinc, quae in morborum cura quid valeant, horum sanationem vel impediant, vel iuvent, exitumve reddant facilem, vel difficilem, faustum, vel infaustum, certum, vel incertum, cuncta bene attendit, scrutatur, perpendit, antequam medendi methodum seligat, selectam mutet, leniori renunciet, violentiorem adhibeat, exitumve praesagiat.

Et licet medicorum non pauci, propriae conscii ignorantiae, nostro perinde quo vivimus tempore, ac quo vixit Prosper Alpinus, omnes fere, acutis morbis correptos, sine discrimine, valde periculosos renuncient aut mori-

rituros praedicant, ut eorum famae ac honori faveat qualiscumque demum exitus: agyrticam hanc noster, ut mediocritatis vile refugium, negligit medicinam, praefertque sibi, verum dicendo, parum honoris, parum gloriae, parum lucri conciliare, quam invita conscientia, aegrotis, cognatis, aut adstantibus inanem incutere terrorem.

Nec minori opus est patientia, ut, quam ratione susceperit, fortiter persequatur curam, etiamsi ad votum in initio haec minus succedat, ipsumque, aegrorum indocilitas, cognatorum intercessio, amicorum iudicia, a recte via trahere tentent: tum etiam, ut, quae artis professionem comitantur vel sequuntur, ferre queat molestias, ac indignas hominum ingratorum sententias, ut denique, perennem vanamque exaudire possit, tum decumbentium, tum adstantium loquacitatem, quae toties ad aegrorum lectulos medicorum aures tundunt.

Hippocratici iurisiurandi: „ quae vero „ inter curandum, aut etiam medicinam minime „ faciens. in communi hominum vita, vel vi„ dero vel audivero, quae minime in vulgus „ efferri oporteat, ea arcana esse ratus, silebo."

Hip-

Hippocratici, inquam, huius iurisiurandi semper memor, eique pietate adstrictus, religiose tenet. Plurima enim, officii causa, tam corporea quam domestica mala videbit, deteget, sibive credita accipiet, quae si aperta fierent, actum est de honore, de quiete, quin de ipsa prosperitate totius domus. Quidquid itaque eiusmodi viderit, aut acceperit, alto involvit silentio, ne fidem fallat, nec noceat, ubi prodesse cupiat.

Ditiorum praeterea potentiorumque favorem, neque turpi observatione, nec simulata comitate, aut composito vultu, indignisve chirurgo officiis sibi comparare conatur.

Multo minus pauperiores, aut plebeios despicit, eosve acerba repellit asperitate. Cuiusvis sint ordinis, cuiusvis conditionis, praecipue si aegrotent, opemque eius petant, comiter atque urbane accipit. Sive pauperes sint, sive divites; sive infimae, sive summae conditionis homines; utrisque eadem diligentia opitulatur, utrosque eadem humanitate tractat et curat, iuvat et consolatur. Omnes enim Deus procreavit, et quomodo, salva religione, in mu-

muneris professione, agnoscere possit hominum discrimen, quod morbi gravitate non indicatur?

Denique affabilem se omnibus praestat, atque urbanum. Ast non talem, qualem in vita communi frequenter dicunt, sed veram noster observat urbanitatem. Falsam istam atque indignam comtemnit, qua alia dicimus ac sentimus, aliter nos gerimus ac debemus, virtutis studiosi; qua, idem hodie cum altero laudamus; quod cras cum altero vituperabimus; omniumque, qui nobis prodesse possint, et ineptiis adulamur, quin etiam vitiis; verbo dicam, qua, si modo scopum attingamus, lucrumque faciamus, omnibus placere cupimus, sexui praesertim sequiori, cui haec facilitas tantopere placet, quique tantum valet ad medicorum, aut chirurgorum famam percelebrandam. Procul a nostro eiusmodi urbanitas, quae, licet ipsâ saepe scientiâ utilior reperiatur, hominem deprimit, literarum amorem exstinguit, omnisque generis favet vitiis. Procul a nostro chirurgo, quod inde ipsi redundaret, commodum et lucrum, fama et gloria, fides et auctoritas.

Quam

Quam vero noster adhibet, urbanitas in morum consistit suavitate, in vitae honestate, in studio, quiqui sint, miseris succurrendi. Tandem in animi facilitate, sese accommodandi ad omnia, dummodo sint nec inhonesta, nec deformia, neque turpia.

His, quas in vero chirurgo exhibuimus, animi facultatibus addi possent multa de generosa devotione, qua omnibus muneris sui, utut difficilibus, fungitur officiis; seque, succurrendi ac servandi desiderio incitatum, maximo exponit periculo, quin ipso mortis metu non deterretur, quo minus, aeque tranquille, aeque placide artem exercet, mediis in contagiosis locis, mediisque in armis. Multa etiam proferre possem de animi affectibus, corporisque facultatibus, quibus noster vulgari chirurgo antecellit; sed nimis iam excurrit oratio, nimis diu dilectissimi mihi argumenti pertractatio exequi me officia retardavit, quae postulat diei solemnitas, exigitque grati animi sensus.

Immortales itaque primum hic publice ago gratias serenissimo Regi, cui ad splendidissimum hoc tantorum virorum collegium ex im-

pro-

proviſo me adſcribere placuit, ſummumque in me, maximeque deſideratum mihi conferre honorem. Quo igitur inſigni commotus favore, omnes ingenii facultates, viresque corporeas omnes impendere ad rogum usque non deſinam, ut, quae mihi imponit munus, officia fideliter exequar, rebusque magis quam verbis, quos hac hora coram frequenti hac ac ſplendida concione pronuncio, animi ſenſus confirmem gratisſimos.

Eodem cum grato animi affectu ad vos accedo, Amplisſimi huius Academiae Curatores! quorum ſapientiae, ingenuitati, ac literarum, ſtudiique amori, gloriae ac incrementi tantum illustris haec debet ſcientiae virtutumque omnium ſedes: ad vos accedo, Viri Generoſisſimi! qui in diverſo rerum ſtatu, vitaeque meae diverſa conditione apertisſimis benevolentiae vestrae, humanitatisque documentis me ornare non dedignati estis, votisque meis ac deſideriis favistis. Imo, quid disſimulem? hoc munere, in hac Academia, in hac urbe, omnem meam expletam video ſpem et exſpectationem. Etenim ob honorificam hanc ſtationem, (ignorare non potestis, Viri Perillustres!) ante duode-

cim, et quod excurrit, annos, ſponte et lubenter, non minus honorificam, aut ſplendidam vocationem ſequi recuſavi, quam in Illustri Friſiorum Academia, qui eo tempore rebus Academicis praeerat, mihi obtulit. Ob eandem hanc ſtationem postea, ne per horam quidem, dubius haeſi, benevolis Clarisſimi Mathiae van Geuns, Praeceptoris mihi dilectisſimi, reſistere propoſitis, quum vacuam Clarisſimi van Maanen deceſſu relictam, in Illustri Hardervicena Academia cathedram, mihi ultro obtulit. Nunc ergo gaudeo (profiteri non erubesco) quum, quod diu exſpectaveram, mihi concesſum videam munus. Praecipue vero hac nova dignitate laetor, quod ea ipſa nactus ſum occaſionem, vobis, Viri Amplisſimi! pro mirificis vestris in me collatis beneficiis, animum gratisſimum profitendi, quorum me numquam non memorem futurum, omnesque me vires et industriam et ſtudia eo impenſurum, ut ne exſpectationis, quam de me concepistis, umquam vos poeniteat, ſpondeo, promitto, polliceor. Faxit Deus, ut ad Academiae ſalutem, literarum incrementum, omniumque proborum

lae-

laetitiam, vos diu conservet incolumes, integros beatosque.

Ad vos autem, omni eruditionis genere insignes, Professores Clarissimi! accedens, quo vos alloquar sermone? Per annorum seriem benevolentia me complexi estis, humaniter docuistis, amicitia ornastis, aliaque multa in me cumulastis beneficia, nimia profecto, quam ut verbis exprimere queam. Patiamini, quaeso, Viri Clarissimi! cum, quod Academiae me iungeret, vinculum arctius sit constrictum, vestroque me ordini adscriptum voluerit Rex Optimus: patiamini, inquam, ut pro omni vestro favore, fiducia, atque humanitate debitas vobis referam gratias, vestraeque me in posterum commendem amicitiae, ut ego vobis meam candide offero, ab omni simulationis artificio alienam. Meae tandem tenuitatis probe conscius, ut vestris, aetate atque usu exploratis, consiliis mihi succurrere, meque adiuvare, probatissimaque vestra eruditione docere pergatis, etiam atque etiam rogo, precor, obsecro.

Sed ad te praesertim me lubenter converto, Clarissime Bleuland! aestimatissime olim

Prae-

Praeceptor! optatisſime hodie Collega! ad te accedo, cum verecundia, quae quando ad praeceptores patresve accedat, discipulum decet, cum ſecuritate, quam in animo adeuntis fautorum praeſentia excitat, cumqne laetitia, quae ex honesto pectore emanat, quum improviſo nobis, cui maxime debentur, laudes, gratesque perſolvendi occaſionem videmus oblatam. Tu enim ſingulari quadam nec fucata benevolentia cum in Academia Gelro-Zutphanica, quae Harderovici fuit, ego advenisſem, me admiſisti, meosque in latum arduumque medicinae campum primos moderatus es pasſus. Post quinquennium Pariſiis reducem, denuo tu me hac in Academia eadem cum benevolentia, eademque animi affectione excepisti, ad maiorem familiaritatem tecum admiſisti, ulterius me docuisti, atque ad doctoralem dignitatem provexisti. Sine igitur et hodie, generoſe amice! coniunctisſime Collega! ut publice hic te meae dignitatis principem agnoscam auctorem. Sine Vir Clarisſime! ut quae umquam e candido pectore eruperunt, maxime ſinceras tibi ſolemni hoc die offeram gratias. Tu per-

ge,

ge, vir eximie! eruditisſimis me tuis conſiliis, monitisque prudentisſimis, in nova percurrenda via iuvare, ut tuo nomine dignus, quae mihi delata est, provinciam recte ornare posſim.

Plurima et tibi, Clarisſime de Fremery! debeo, et debere me publice agnosco: tu quoque me fideliter erudiisti, cum humanitate mihi occurristi, me amice habuisti, ut inſalutatum te transire, religio ſit. Gratias tibi, Vir Clarisſime! pro omnibus tuis beneficiis, omnibusque inſtitutionibus, pia mente, ago quam maximas. Liceat porro, quoties doctrina atque uſu confirmatis tuis indigeo conſiliis, (indigebo autem ſaepius) mihi ad te liberrime confugere: Tuaque mihi ne retineas monita, tuam ne recuſare velis benevolentiam atque amicitiam, maximopere peto.

Quod autem ad me attinet, Profesſores Clarisſimi! quarumvis doctrinarum laude conſpicui Viri! Collegae exoptatisſimi! Vosque imprimis, quibuscum arctiori eiusdem muneris vinculo conſtrictus ſum, veſtrorum beneficiorum numquam me obliturum, amicitiam veſtram per-

permagni ſemper aeſtimaturum, omnemque laborem, et diligentiam me adhibiturum, ut, haud fucato candore, honeſta humanitate, debitaque obſervantia, hanc veſtram amicitiam et benevolentiam merear ac conſervem, ſancte promitto.

Vos denique compello, Iuvenes lectisſimi! literarum et artium hac in Academia ſtudioſi, vos imprimis, commilitones carisſimi! qui medicinae operam navatis, ut alloquar, iubet et huius diei ſolemnitas, et muneris mei ratio. Quam ſit immenſus campus, qui vobis percurrendus est, ut ad interiora accedatis ſalutiferae artis chirurgicae, audivistis: quam multis, diverſisque obſtaculis impedimentisque investigandis vobis ac ſuperandis, obſesſa ſit via, indicavi. Ne vero, amici! idcirco viae, quae ad ſacra Apollineae artis ducit, longitudine deterreamini asperitateque. Quo enim magis in hac progresſi fueritis, eo propius ad viae finem accedetis, citiusque curſum abſolvetis. Difficultates praeterea ordine ſuperantur et labore, perſeverantia vincuntur obſtacula. Quod ſi vero nimis ardua in via offendatis loca (offendetis autem plu-

plurima), quique eam iam permenſus ſit, ſodalem ſi deſideretis, benevolentisſimo animo me vobis ducem offero, commilitonem, amicum, ad quem ut ſemper accedatis, enixe rogo. Ut Hippocratici dicti, „ ars longa, vita „ brevis, occaſio praeceps," numquam non memores, diſcendi opportunitatem omittamus nullam, coniunctisque viribus, ſuis quisque noſtrum fungatur officiis, ut humani generis ſalutem, noſtraeque Academiae ſplendorem promoveamus. Faxit Deus ter Optimus Maximus.

D I X I.

HENRICI WOERMAN,

AMSTELODAMENSIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

LIT. HUM. ET THEOL. CAND.

COMMENTATIO,

QUA RESPONDETUR

AD

QUAESTIONEM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

AB ORDINE

THEOLOGICO

PROPOSITAM:

„ *Strictim describatur Librorum Veteris Foe-*
„ *deris praestantia, et usus in doctrina*
„ *Christiana intelligenda, aestimanda, tuen-*
„ *da et ad virtutis studium adhibenda.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT,

PRAEFATIO.

Mirum videri posſit, virium tenuitatem me haud deterruisſe ab arduo ac difficili negotio, quod ſuscepi: et nimis audax habear, qui hac iuvenili aetate de iis disputaverim rebus, quae doctisſimorum virorum disquiſitione perquam ſunt dignae. Verum enim nobilisſimus Theologorum ordo quaestionem de gravisſimo huius diatribes argumento propoſuit, ut in eâ ſolvendâ periculum facerent *iuvenes*. Quocirca

haud dubitanter eius iudicio hoc conatuum meorum ſpecimen audeo offerre. Quodſi multis illud repletum ſit vitiis, magnamque probet auctoris inſcitiam; quosnam, quaeſo, promtiores experier ad veniam concedendam, ad ignoscendum, ad favendum, quam ſpectatisſimos doctores, qui optime ſciant, quanti ſint adolescentiae errores?

Hoc animo me ad vos converto, Viri Clarisſimi! qui in Academiâ Rheno Traiectinâ ſtudiis praeëstis Theologicis. Quod rogastis, aggresſus ſum, non tam perficiendi ſpe, quam experiundi voluntate.

Simulatque conſilium ceperam, vires quoque meas periclitandi in litterario, quod iam ineo, certamine; quantum mihi caetera ſtudia tribuebant otii, id potisſimum contuli ad fontes, e quibus haurirem, bene multos quaerendos et conſulendos, ad causſam meam diligenter meditandam et ad hanc de eâ conſcribendam disputationem. Dulcis omnino ac utilisſimus labor: ita, ut diutius in eo manſurus fuisſem, niſi me temporis urſisſent angustiae. Victoriam reportet alius, oleum et operam non perdiderim. Corona mihi eripiatur, auro pretioſiores duco uberrimos, quos e foecundo labore percepi, fructus.

Quod

Quod autem ad instituti mei rationem attinet, brevis esse studui in Parte Priore, quâ *strictim* describenda erat V. T. praestantia. Hinc factum, quod praecipuas modò dotes Sacri huius Codicis recensuerim, et ab hoc loco alienam iudicarim cavillationum, quae ab adversariis saepe audiuntur, refutationem. Uberiorem vero in usu V. F. Librorum describendo me esse oportuit, omniumque optimus in hac causſâ visus est ordo, quem ipsa quaestio observandum praescripsit.

Caeterum de Librorum V. F. praestantiâ et usu egerunt quoque Viri Doctissimi Alex. van Harencarspel et Ioh Fried. Iacobi, in Commentationibus laudandis. Neuter vero idem habuit propositum, quod ego assequi conatus sum. Alter enim id imprimis egit, ut Librorum *Historicorum* auctoritatem canonicam et utilitatem a Christo et Apostolis iis tributam defenderet, atque a multis Semleri reprehensionibus vindicaret. Alter doctrinae in V. T. traditae praestantiam maxime sibi probandam sumsit, comparatione institutâ cum sapientissimorum apud exteras gentes virorum placitis. Sed, si bene nostrae quaestionis consilium perspiciam, ab his rebus mihi abstinendum fuit.

Vos

Vos vero, Viri Clarissimi! qualescunque meos conatus esse iudicetis; meam sententiam bene exprimunt, quae Ciceronem alicubi dicentem lego: *Edidi quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coëgerunt*, de Orat. III. 61.

COM-

COMMENTATIONIS CONSPECTUS.

SECTIO POSTERIOR.

LIBRORUM V. F. QUOAD RELIGIONIS HISTORIAM ET DOCTRINAM SPECTATORUM PRAESTANTIA.

PARS POSTERIOR.

LIBRORUM VETERIS FOEDERIS USUS IN DOCTRINA CHRISTIANA INTELLIGENDA, AESTIMANDA, TUENDA, ET AD VIRTUTIS STUDIUM ADHIBENDA.

SECTIO PRIMA.

USUS LIBRORUM VETERIS FOEDERIS IN DOCTRINA CHRISTIANA INTELLIGENDA.

§ II.

SECTIO SECUNDA.

USUS LIBRORUM VETERIS FOEDERIS IN DOCTRINA CHRISTIANA AESTIMANDA.

SEC-

SECTIO TERTIA.

USUS LIBRORUM VETERIS FOEDERIS IN DOCTRINA CHRISTIANA TUENDA.

SECTIO QUARTA.

USUS LIBRORUM V. F. IN DOCTRINA CHRISTIANA AD VIRTUTIS STUDIUM ADHIBENDA.

PARS

PARS PRIOR.

LIBRORUM VETERIS FOEDERIS PRAESTANTIA STRICTIM DESCRIPTA.

SECTIO PRIOR.

LIBRORUM VETERIS FOEDERIS UNIVERSE SPECTATORUM PRAESTANTIA.

§ I.

Quam *ſtrictim* deſcribere conabimur *Librorum V. F. praeſtantiam*, multis eam ac variis modis effici poſſe, ita nobis eſt perſuaſum, ut ignoremus fere, quanam a parte incipiendum, ac quomodo arctos inter limites ſubſiſtendum ſit. Tutius autem cenſemus, eam ingredi viam, quae in ipſa, cui reſpondendum ſit, quaeſtione digito

quaſi monſtratur. Atque haec eiusmodi esſe videtur. Inprimis ostendendus est uſus horum Librorum in doctrina Christiana *intelligenda*, *aestimanda*, *tuenda et ad virtutis ſtudium adhibenda*; nec tamen prorſus negligenda ſunt ea, quae praeter hunc uſum magnopere faciunt, ut omni veneratione hos libros proſequamur. Quocirca nostra inquiſitio ita inſtituetur, ut in priori parte praecipua quaedam *ſtrictim* recenſeamus, e quibus pateat, V. F. codicem, ſi vel eo carere posſent Christiani meliora edocti, ob ſingularem tamen ſuam praeſtantiam permagni esſe aestimandum: dein vero in parte posteriore uberius et accuratius exponamus, quanta ex eo utilitas ſit capienda ab omnibus, qui doctrinam Christianam recte intelligere, aestimare, tueri et ad virtutis ſtudium adhibere velint.

§ II.

Prae ceteris infra memorandis horum Librorum adiunctis praeclaris in cenſum veniat oportet *ſumma antiquitas*. Horum nimirum auctores plerique vixerunt, antequam ullus exſtitit apud ceteras gentes ſcriptor. Moſes antiquisſimo, cuius ſcripta ad nostram translata ſunt aetatem, Graecorum poëtae 500 fere annis antecesſit. Hunc vero, ne quid dicamus de Iobaei

car-

carminis auctore, nonnullis ulterius antecedere viſo, omnium ſcriptorum primum multi deinceps ſecuti ſunt Homero et Heſiodo item ſuperiores, cum omnium recentisſimi ex aevo fere ſunt, quo vixit Herodotus, Historicorum apud Graecos parens. Quodſi igitur veneratione nostra dignum esſe iudicatur quidquid e ſumma vetustate ad nos pervenerit, magni profecto aestimanda ſunt eiusmodi monimenta, quae antiquitatis laude ſuperant tam Graecorum quam Romanorum ſcripta (1).

§ III.

Ubi autem demonſtraverimus, horum Librorum *argumentum praeclarum* esſe, *ſingulare* et *utilisſimum*, magis lucide apparebit, quanto iure iis haud infimus dandus ſit locus.

Iam vero *Gentis Israëliticae historia*, et *fata*, quae referunt, primum hic commemoranda ſunt. Haec enim gens, licet Graecis Romanisque minus fuerit nobilis, utrisque tamen fuit antiquior, et ad omnium vetustisſimas gentes referenda. Digna porro est, quam cognoscant quicunque ſuae gentis notitia non contenti aliorum po-

(1) Conferatur I. G. Eichhorn, in opere, cuius titulus est: *Inleiding in het O. T.*, T. I. C. 1. § 2.

populorum cognitioni operam dare velint. Etenim ſive egregios viros, qui ex ea ortum duxere ſpectemus, ſeu ſplendidisſima, quae ei ſubinde fuere, tempora conſideremus, ſeu fata eius valde memorabilia inquiramus, admirationem nostram continuo movet. Denique, quod incredibile videtur, per varias rerum temporumque vicisſitudines, per tristisſimas calamitates, licet concusſa et vastata, haud tamen est deleta; at ſupervixit ipſius reipublicae deſtructioni, et ubique disperſa degit numeroſa, et ſui ſemper ſimillima.

His omnibus addatur, Deum ſibi hanc gentem elegisſe, ut verae religionis notitia conſervaretur, donec tempora advenisſent ad eandem amplificandam ac longe lateque propagandam aptisſima et maxime idonea (1).

Quaecumque igitur de ſingulari populo Israëlitico accurate relata invenimus in V. F. libris, eo maioris ſunt facienda, quo longius et antiquitate et nobilitate ab hoc ſuperantur omnes, qui unquam exſtitere populi.

§ IV.

(1) Conf. I. H. Pareau, vir. cl. Antiquitatis Hebraicae Deſcriptione, Traiecti ad Rhenum 1817. Parte II. Sect. I. Cap. 1.

§ IV.

Neque tantum ſubſiſtunt hi libri in referenda antiquisſimae huius gentis historia, verum *universalem*, ut ita dicam, tradunt historiam, qualem nuſpiam legimus.

Moſes ſcilicet, ut humani generis auctor locuples, et vero antiquisſimorum ex omni aevo monimentorum perfidelis custos, ita rerum, quibus interfuit, certus testis, historiam a primis mundi incunabilis ad ſua usque tempora deduxit. Hunc excipiunt annalium Israëlitici populi Scriptores, qui historiam a Moſis aetate ad captivitatem Israëlitarum Babylonicam et inde ad liberationem eiusdem gentis protraxerunt, ibi deſinentes, ubi demum profani auctores aliquid incipiunt certi tradere: apud hosce enim ante Cyrum Perſarum regem omnia fere fabulis immixta ac incerta ſunt tradita, ea imprimis quae Aſiae populos ſpectant.

Itaque illi, ubi prorſus nos deſtituunt aliarum gentium quarumcunque ſcriptores, ſoli nos docent, quae ad omnium populorum antiquitus cognitorum origines, immo ad communem etiam ſingulorum ſtirpem rite intelligendam requiruntur.

Exhibent praeterea permulta, quae ad ſtatum gentium aliarum civilem, et ad earum fata dignoscenda facere posſunt. Cteſiae hinc, Hero-

do-

doti, Berosi, Manethonis, Iustini et Xenophontis scripta horum indigent ope, ut illustrentur quaecunque de Chaldaeis, Aegyptiis, Assyriis, Phoenicibus, Medis, Persis, et Graecis traduntur (1), et ut corrigantur, quae saepe a profanis nimio partium studio aliisque caussis ductis perperam sunt narrata (2).

§ V.

Nulla porro exstant scripta, in quibus tam praeclara et singularia invenias culturae humanae, artium et disciplinarum primordia et incrementa descripta. Ipsam scilicet humani generis originem, primarum aetatum mores et instituta, ingenii humani sensim exculti progressum expo-

(1) Hoc fusius docuit Ancillon, *Prijsverh. over de vraag: welke zijn, behalven de Goddelijke ingeving, de kenmerken, die de voortreffelijkheid der gewijde Schriften boven die der ongewijde bewijzen? uit het Fransch vertaald door* J. Scharp, Leiden 1802. in nota 24. Conf. etiam J. C. W. Augusti, *Grundriss einer historisch-kritischen Einleitung in 's A. T*, Leipsig 1806. 1er Abschnitt § 12. n. 2.

(2) Id de Assyriorum gente luculenter probavit I. D. Michaëlis, in Praefatione ad alteram Iesaiae vaticinationum Germanice versarum partem.

ponunt, et brevi quasi tabella oculis subiiciunt, historiamque omnino exhibent *humanitatis*. Hanc ob caussam illis etiam, qui ceteroquin de divina eorum origine haud magnifice existimant magnam sui venerationem iniiciunt (1). Ac praeterea multarum rerum cognitu utilissimarum faciunt mentionem, e quibus hoc loco memorasse sufficiat ea, quae Physicis, Chemicis, Medicis, Mathematicis et Astronomicis studiis conducere possunt (2).

§ VI.

Supra dictis, quae haud leviter demonstrant, Libros V. F. omni aestimatione esse dignos, nullosque sibi habere pares ex antiquitate conservatos, eximia addatur *Legum Mosaicarum sapientia*, quam ex iis cognoscimus. Harum autem legum, si quaedam appareat, praestantia eo maioris est aestimanda, quo rariores sunt, quas ex hac aetate profani scriptores litteris mandarunt: cuius rei in promtu habemus caussam. Soli enim fuerunt Israëlitae, qui leges scriptas haberent,

(1) Inter hos numerandus est Meyerus, *Versuch einer Hermeneutik des A. T.*, P. I. § 10.

(2) Conf. Ancillon, l. l. pag. 167 et 168. et auctores laudati ab Augusti, l. l. § 14.

rent, quo tempore ceteri populi, ipsi quoque Graeci ῥητραῖς tantum et sententiis quibusdam ore prolatis utebantur. Iam vero, si harum Legum attendimus argumentum, haud dubitamus egregias omnino, et optimas omnium, quas vel posterior apud alias gentes protulit aetas, vocare illas a Mose latas (1) immo ita comparatas ad difficillimae gentis, qualis erat Israëlitica, indolem plane singularem eiusque unicos usus, ut nihil accommodatius fingi possit sapientiusque (2). Quo accedit, „ quod imprimis „ verae virtutis atque humanitatis amor huic „ genti omnibus modis ita legibus a Mose com- „ mendetur, ut nullus ex universa antiquitate „ Legislator cum eo comparandus sit: unde me- „ rito Moses has leges perennes atque immuta- „ biles esse voluit Israëlitis (3). Plurima deni- „ que continent, quae bene moratae civitati „ Christianae ob summam, quae in iis elucet, „ sapientiam omnino commendabilia sunt: ne- „ que apud quascunque de vetustate gentes Iu- „ risconsultus aliquis, aut Legislator Christia- „ nus

(1) Conf. H. Muntinghe, vir. cl. *Geschiedenis der Menschh. naar den Bijbel*, Tom. IV. pag. 310 seqq. et Dissertationes in Societ. Teiler. Vol. IX.

(2) Conf. Ancillon, l. l. pag. 73, 74.

(3) Deuter. IV: 2.

„ nus leges facile reperiet Mosaicis illis suam
„ in rem fructuosiores" (1).

§ VII.

Insignes etiam usus, quos ex librorum lauda-
to-

(1) Verba sunt cl. viri I. H. Pareau, l. l. P. III. S. I. C. II. § 86 et 87. Caeterum mihi digna videntur, quae hic apponantur verba Viri Clarissimi I. H. van der Palm, in Oratione Sacra *achtste zestal Leerredenen*, pag. 88 et 89: „ *Wie deze Wetten* „ *kent in hare wijsheid, billijkheid, en gematigdheid;* „ *in hare strekking om onderlinge liefde te kweeken,* „ *eerlijkheid en trouw in handel en wandel te bevor-* „ *deren; om de maatschappij te vestigen op de zeden* „ *harer burgeren, en eerbied voor God en zijnen dienst* „ *te stellen tot het beginsel van alle eer en deugd;* „ *die zal voorzeker Mozes niet van grootspraak be-* „ *schuldigen, wanneer hij hem met vrijmoedigheid* „ *hoort zeggen, en dat tot een volk, 't welk uit Egip-* „ *te gekomen, en in Egijpte gevormd was:* wat groot „ volk is er, dat zoo regtvaardige inzettingen „ en regten heeft, als deze gansche Wet is, die ik „ heden voor uw aangezigt geve? Onderhoudt ze dan „ en doet ze; want dat zal uwe wijsheid en uw ver- „ stand zijn voor de oogen der volken, die alle deze „ inzettingen hooren zullen en zeggen: dit zelve „ groote volk alleen is een wijs en verstandig volk. „ (Deut. IV. vs. 8 en 6.)"

torum lectione quisque ad vitam bene instituendam capere potest, haud leve nobis praebent argumentum pro magno, quod iis constet, pretio. Praeterquam enim, quod passim tradunt morum praecepta non omnia, at plurima nobis commendanda; ac duo integri ibi inveniuntur libri *Salomonis Proverbia* et *Ecclesiastes*, qui Ethices tractant argumentum, *praeclara* exhibent *piorum hominum exempla imitanda*, *impiorum vero fugienda.* Haec autem, uti semper quorumvis scriptorum usum augent, ita nostra in caussa imprimis sunt attendenda, tam ob amplam eorum multitudinem quam ob egregium, quem in iis referendis Sacri Scriptores sequuntur modum: quae si spectemus, prae omnibus quarumcunque gentium libris palma hisce est danda. Nusquam enim alibi tot reperimus humanarum actionum quasi tabellas, nusquam tot hominum exempla ad quamcunque vitae conditionem apta et accommodata, nusquam nostram indolem, qualis in virtutibus aeque ac vitiis se prodit, adeo depictam videmus (1). Haec ex antiquitate conservata monimenta adeamus, ut nostram contemplemur imaginem. Omnes quacunque in conditione versantes, sive prospe-

ra

(1) Imprimis id docet N i e m e y e r u s, *Characteristik der Bibel.*

ra gaudent fortuna, feu adverfa premuntur, five probi virtutique ftudentes, feu ab omni pietate longe remoti, omnes huc funt vocandi, ut quisque fui parem cognoscat atque egregie discat, quid in fua agendi ratione laudandum, quid vero fit vituperandum, quantis periculis haec illave conditio fit plena, quam facilis ab uno delicto ad alterum fit transgresfio, et quomodo alii variis in conditionibus vitae virtutem fectari malique tentationibus refistere potuerint (1). Exemplorum denique amplitudo et varietas exin quoque apparet, quod utriusque fexus ratio est habita: foeminae enim egregie et exquifite depictae faepe hic occurrunt in re domestica, uti Sara, Rebecca, Rutha aliaeque, aeque ac in rebus publicis, ut Miriam, Debora, Abigaël, Iefabel, Esthera, caeterae (2).

§ VIII.

Quandoquidem vero neminem doctum poeniteat recolere *virorum magnorum* memoriam, pro-

(1) Conf. A. van Harencarfpel, *Betoog en verdediging van de achtbaarheid der gefchiedkundige Boeken des* O. T. *en van derzelver nuttigheid voor de Christenen*, Ultraiecti 1782. pag. 118—120.

(2) Conf. Ancillon, l. l. pag. 97—102.

profecto ab hac etiam parte ſuas laudes habent V. F. Libri. Eminet nimirum prae omnibus, quos aliae habuere gentes: prae Lycurgo, Solone, Numa aliisque legislatoribus celeberrimus ille Israëliticae gentis conditor. Habuit profana antiquitas inclytos poëtas: haud eos deſideravit ſacra, quam referunt hi libri. Iobum cum Sophocle (in Oedipo), Davidem cum Pindaro et Horatio, Salomonem cum Epicteto et Iſocrate comparandos esſe omnino, ac ſaepe primas iis dandas esſe partes ſtatuere haud veremur, ne dicam de eloquentiae laude, quae Moſi (1), qui itidem poëta fuit, quae tot vatibus Israëlitarum omni iure est attribuenda (2), ut etiam taceamus de tot heroïbus fortibus regibusque ſapientisſimis, aliisque.

§ IX.

Quae huc usque de ſacris his Libris univerſe ſpectatis eorumque argumento *ſingulari*, *praeclaro* et *utilisſimo* propoſuimus, eo maiorem pro- caus-

(1) De eloquentia Moſis vid. Heſs, *Geſchiedenis der Israëlieten*, Tom. IV. pag. 317 ſqq. De facultate autem poëtica, quae in Moſe cernitur vid. Muntinghe vir. Cl. l. l. Tom. II. p. 149 ſqq.

(2) Vid. Ancillon, l. l. pag. 40—83.

causſa, quam tractamus, defendenda, hanc vim, quo praeclarior apparet *forma*, qua ſingula quaſi induta ſunt. Quemadmodum enim SS. Scriptores aetate, indole, vitae genere ac munere, quo fungebantur, diverſi fuerunt quam maxime, ita magna horum Scriptorum animadvertitur argumenti et dictionis diverſitas, quae uti per ſe iam ſingularis est, ac nullis aliis in ſcriptis invenitur, ita ob eximias, quibus ſingula *Historica* ſcilicet, *Poëtica* et *Prophetica* gaudent, virtutes, multa conducunt ad praeſtantiam V. F. probandam.

De ſingulis igitur haec tenenda ſunt inprimis.

§ X.

Historicorum, qui dicuntur *Librorum*, quorum pro parte quadam iam ſpectavimus argumentum, ea imprimis laudanda est dos, quod *ſimplicitate*, *certitudine* ac *fidei perſuaſione* emineant, nullosque ex antiquitate ſibi habeant pares.

Simplicisſimus eorum in narrando modus, qui ubique adeo apparet, ut nulla indigeat demonſtratione, ita est comparatus, ut in legendo, ipſis, quae tradantur, rebus praeſentes esſe nobis videamur. Cernitur haec ſimplicitas in enarrandis rebus conſuetis, aeque ac in iis,

quae,

quae, prodigii plenae, ordinem naturae excedunt, ita ut, si in horum descriptione interdum grandior et elatior apparet dictio, ea manifesto ex insolita rei magnitudine sensibusque per eam excitatis, non autem ex eius augendae studio, repetenda sit. Si igitur querantur nonnulli de rudiorum temporum indiciis, qualia in his scriptis animadvertuntur; si dicant alii, desiderari hic cultus provectioris et artis documenta, cuiusmodi Graeci Romanique Scriptores abunde praebent, haud diffiteri poterunt, quotquot pulcri verique sensu imbuti sunt, simplicem, qua res narrantur, rationem ipsam quasi naturam expressisse, atque adeo hac virtute facile compensari quamcunque politioris artis iacturam (1).

Praeter hanc simplicitatem, egregium veri sigillum, alia deprehenduntur haud tenuiora argumenta pro Librorum ἀξιοπιστία. Mores scilicet, cum domesticae, tum exterae antiquitatis ita describuntur, diversique hominum characteres ita sunt comparati, ut hos, quales revera essent, ab iis inductos fuisse, ne levissima quidem sit dubitandi caussa. Scriptores porro gentis suae, et sua ipsi vitia nunquam obtegunt aut dissimulant,

(1) Conf. I. G. Herder, *Brieven over de Hebr. Poësij*, Tom. I. p. 26.

lant, verum ea candide referunt (1). In tanta denique rerum varietate admirabilis varios inter Scriptores animadvertitur consensus, iidemque apparent viri probi ac iusti, legum divinarum interpretes et vindices, uno ducti patriae amore, magnaque se invicem colentes verecundia nullaque moti ambitione.

Postremo conveniunt mirifice singulae, quas exhibent, relationes cum generis humani cultu non nisi gradatim progrediente (2), quod imprimis valet in aestimandis iis, quae Mosis aetatem longe antecedunt, atque adeo minorem fidei commendationem, quam reliqui libri, in quibus auctor res sui aevi perscripsit habere videntur. Haec enim ob dictionis diversitatem, quae est eiusmodi, ut, quo altius assurgant, eo sint plerumque breviora, et imaginum figurarumque pleniora, perspicua ferunt remotae aetatis indicia, atque ipsam spirant humani generis infantiam (3).

His

(1) Conf. I. Iahn, Introductio in Libros Sacros V. F. in compendium redacta, Viennae 1804. § 15. pag. 30.

(2) Conf. Muntinghe, l. l. Tom. X. pag. 233—250.

(3) Conf. I. H. Pareau, v. cl. Disputatio in Societ. Teiler. Tom. XXV. pag. 89—93.

His autem historicorum librorum virtutibus praeclara haec adiungatur, quod quidquid in libris V. F. inveniatur, singulari semper ratione tendat ad gloriam Dei, qua in caussa ab omnibus omnium seculorum et gentium historiis longe est diversa historia sacra. Deus enim hic praecipuus est, ad quem referuntur omnia: Hic ubique rerum humanarum caussa, auctor, suasor ac dux proponitur; proborum remunerator, defensor, vindex; improborum iustissimus iudex, atque hinc etiam, quaecunque hi Scriptores narrant, non possunt non magnam habere vim in animos lectorum, iisque sensus infundere pios et sanctissimos (1).

§ XI.

Poëticos vero *Libros* si attendamus, insignior adhuc sit horum antiquorum Scriptorum eminentia. Multa enim et praeclara complectuntur carmina, argumento aeque ac dictione omni veneratione digna.

Quemadmodum autem ea, quae supra de historiis protulimus, non ita sunt dicta, ac si in ce-

(1) Conf. I. I. Hess, *Biblioth. der heiligen Geschichten*, Tom. I. pag. 179 seqq. et Augusti, l. l. § 84.

ceteris Libris omne desideratur argumentum historicum, ita hoc loco dicenda de Poëseos Hebraicae virtute non ad poëticos, qui dicuntur, libros solos sunt referenda. Cum enim Hebraeorum ingenium ad poësin compositum esset (1), mirum profecto non est, quamplurima inter eos antiquitus carmina fuisse confecta, et insignem V. F. partem revera esse poëticam, unde huc etiam referenda longe maxima pars scriptorum Propheticorum et nonnulla in libris historicis subinde occurrentia carmina poëtica (2).

Hebraeae autem poëseos virtutes, si iusta ratione hic exponere vellemus, profecto arctos, quibus nostra circumscripta est oratio, fines longissime transgrederemur. Idoneos igitur huius rei arbitros consulere, inque memoriam revocare quaecunque in huius laudes a multis sunt dicta satis praebebit argumentorum pro nostrae sententiae probitate.

Et vero quis est in litteris Hebraeis non plane peregrinus, cui haud egregia continuo ac fere divina appareat Poësis Sacra?

Scilicet ut saltem quid in medium proferamus sub-

(1) Vid. I. Willmet, v. cl. in Orat. de ingenio Hebraeorum ad poësin maxime accommodato.

(2) Conf. R. Lowth, de sacra poësi Hebraeorum, prael. IV.

ſublimitas et quaedam quaſi maiestas mentes lectorum ſemper ferit, movet et percellit, eaeque huic poëſi adeo ſunt adiunctae, ut frustra alibi quaerantur (1), qua in causſa Iobi imprimis, Moſis, Davidis et Ieſaiae carmina veluti testes habemus eximios (2).

Ne autem elegantiam in troporum uſu frequentiori conſpicuam, ne imaginum pulcritudine, copia et amplitudine inſignium uſum, ne alias ſingulares dotes omnibus fere notisſimas commemoremus ac ostendamus, brevi tantum ſpectandae ſunt castitas, prudentia et veritas quae cernuntur ſemper apud Hebraeos Poëtas. Ne vel in carmine erotico, quod Salomoni adſcribitur, licet in amoribus canendis audacius aliquando exſurgat oratio, quidquam occurrit, quod impudentiam ac obſcoenitatem Graecorum Romanorumque carminum redolet. Nihil in eo nos offendit indecore nimis dictum, aut honesti limites excedens, dummodo teneamus, poëtam hic canere Orientalem imaginibus, apud poëtas Orientales in eiusmodi argumentis uſitatisſimis, a linguis vero occidentalibus alienisſimis, utentem (3). Si-

(1) Conf. Ancillon, l. l. pag. 125.

(2) Conf. R. Lowth, l. l. praelectt. XIV—XVII.

(3) Conf. quae uberius in laudem huius carminis attulit ven. L. Dibbits, in Disquiſitione litter. de Hebr.

Similiter in ſumma audaciae vi creatrice, in qua magnum est periculum ne labantur ſaepe poëtae, ac veritatem haud ſemper obſervent, uti ceterarum gentium Orientalium carmina probant, moderati ſemper et prudentes Hebraei dicendi ſunt longoque post ſe intervallo relinquunt poëtas Graecos et Latinos, id quod vel ex ipſa regionis mortuorum deſcriptione, quam exhibet Ieſaias (1), qualemque omnes fere gentes antiquae ratione tamen diverſisſima tradiderunt, et ex Iobi poëmate cum Homeri carminibus comparato luculenter probatur (2).

Postremo ſingularis hic commemoranda est virtus ex arctisſima apud Hebraeos poëſin inter et religionem coniunctione orta, qua divinitas quaedam huic poëſi accedat (3).

Quae cum ita ſint Hebraeorum poëſin non tantum magni faciendam cenſemus, verum eo loco habendam, ut, licet cuique ſtent laudes ſuae, nulla tamen ſive Orientalium imprimisque Arabum

Hebr. poëſi cum Graeca comparata, Traiecti ad Rhenum 1818. pag. 102 ſeqq. et auctores ibi laudd. in nota 1.

(1) Ieſaiae XIV: 9—12.

(2) Inſigne illud discrimen ostendit I. H. Pareau, v. cl. in Disput. laud. pag. 52 et 53.

(3) Conf. ven. Dibbits, l. l. p. 107 et 108.

bum (1), five Graecorum Romanorumque ex antiquo orbe ei fit praeferenda. Patet hinc quanti fint aestimanda antiquisfima monimenta, quae Hebraeorum poëmata continent.

Crescit autem nostra de iis existimatio, fimul ac eorum gravisfimum et utilitate fua ac varietate egregium argumentum attendamus. Hoc enim verfatur in laudibus Dei celebrandis, eiusque benignitate et clementia, fimul vero iustitia ac fanctitate praedicandis; in hominis praeftantia extollenda, peccatorum foeditate exfecranda et fiducia commendanda, quae in Deo femper fit collocanda; quae fingula in Pfalmorum praecipue libro inveniuntur. Morale etiam Dei imperium faepe cantatur, praefertim in Theodicea, quam Iobi liber exhibet, uti et in Pfalmis XXXVII et LXXIII. Porro tractatur Ethices argumentum, cui ipfa dictio brevis faepe, acuta et haud raro aenigmatica est accommodata. Huc imprimis pertinent Proverbiorum et Ecclefiastis libri. Praeclarae denique habentur naturae defcriptiones, multarum rerum gestarum variis e temporibus repetitarum, five ad religionem five ad civilem gentis Israëliticae aut

(1) Poëfeos Hebr. prae Arabum praeftantiam demonftravit S. F. I. Rau, in Oratione de hoc argumento.

aut privatam aut publicam conditionem pertinentium commemorationes eximiae, ac semper ita comparatae, ut sanctissimos in lectoribus creent sensus.

Ne autem ulterius, quam par est, progrediamur, huc usque dicta satis, ut puto, sententiam nostram de carminum Hebraeorum, quae in V. F. libris inveniuntur, praestantia probant.

§ XII.

Animadvertendum denique est ad singularia divorum vatum, qui *Prophetarum* nomine designantur, scripta. Quod autem ex iis deducendum censemus argumentum pro Librorum V. F. praestantia eiusmodi profecto est, ut horum oracula vel nominasse sufficiat ad caussam nostram tuendam. Nihil enim iis aequiparandum protulit unquam profana antiquitas: ne Graecorum quidem, quae celeberrima habebantur oracula eam tulerunt sortem, ut tanto numero ad nostram pervenerint aetatem, et quidquid ex iis conservatum habemus neque cum Hebraicis vaticinationibus comparandum, neque etiam peculiari mentione dignum est (1).

Ete-

(1) Conf. R. Lowth, l. l. prael. XXI. et I. G. Eichhorn, l. l. Tom. I. c. 1. § 2.

Etenim qui apud Veteres quascunque gentes vaticinandi artem exercuerunt, avium volatum, aut astrorum cursum, aut fulminis ictum, aut mactatorum animalium viscera aliasque res levissimas conspiciebant, ut exin futura praesagirent, superstitioni populari favebant principesque adulabantur. Ab istis autem longe diversi erant vates Israëlitici. Viri fuerunt animo pio, patriae amore incensi, verae religionis tuendae ac promovendae studiosi, vitiorum et errorum censores acerrimi, neminis auram captantes, immo principes quosque viros, ubi iusta esset reprehendendi caussa, absque ullo timore perstringentes, divinasque iis poenas minantes. Omnem iidem semper impenderunt operam, ut veram virtutem et pietatem commendarent ac propagarent, praeceptis suis saluberrimis haud exiguam addentes vim morum gravitate, qua ubique apparent.

Iustam igitur venerationem non possunt non habere quotquot ab his viris scripta in V. F. Libris inveniuntur; nec tantum quoad vitia reprehendant ac virtutem commendent, quod conveniebat cum ea, quam sustinebant, persona (1), verum etiam, quoad rerum futurarum prae-

(1) Conf. I. H. Pareau, v. cl. Ant. Hebr. Descript. P. II. Sect. 1. Cap. § 4.

praedictiones exhibeant, quas cum repeterent a Deo, nec tamen ullam ad ipsis fidem denegandam darent caussam, haud profecto eodem levi pretio, quo aliarum gentium oracula, habere licet.

Quam autem nobiles illi vates Israëlitarum secuti sunt rationem in enunciando et conscribendo, ea pro singulorum virorum indole, aetate et conditione diversissima tot tantisque se commendat virtutibus, ut nostram etiamnunc moveat admirationem.

Sive enim verae religionis doctrinam exponunt, Dei naturam describunt eiusque voluntatem annuntiant et celebrant, praecepta dant moralia hominumque actiones cum iis haud convenientes detestantur, sive clementissimi Dei promissa poenitentibus patefaciunt, iustissimi vero Iudicis supremi poenas annuntiant et ad poenitentiam adhortantur, sive consolationem adhibent, seu terrorem incutiunt, dicendi genere semper utuntur gravissimis, quas tractant, rebus aptissimo. Delectant, movent, terrent, docent, persuadent. Imaginibus e rebus naturalibus, aut e communi vita vel ex historia Sacra desumtis, praesentia quasi reddunt quae longissime ab humano ingenio sunt remota.

Licet vero inter hos vates tantum deprehendatur discrimen, ut alter ab altero quam maxime

fu-

ſuperetur, nemo tamen eorum est, quo lubenter careremus. Singuli ſcilicet ſuas habent laudes, ipſaque illa ingeniorum varietas delectat quam maxime.

Quemadmodum enim Ieſaias omnium facile princeps elegantia, ſublimitate ac pondere est inſignis, inque imaginibus dignitatem aeque ac pulcritudinem et foecunditatem eximiam ſectatur, Ezechiël vero in imaginibus foecundus in dictione ob gravitatem, vim atque impetum ceteros ſuperat, ita apud reliquos apparent ſingularia etiam, ob quae digni ſunt habendi qui inter divos vates numerentur.

Hoſeae acumen et conciſam orationem, Ioëlis elegantiam, perſpicuitatem et ſublimitatem quoque egregiam, Michae, qui item brevis et conciſus apparet elationem, et fervorem nobilem, Nahumi denique ſublimitatem ſingularem hic commemorare nostram in cauſſam absque dubio ſuffecerit; quo accedit, quod ne Amoſus quidem, pastoritiae vitae adſuetus, hic omni careat commendatione. Licet enim in eius carminibus pristinae conditionis vestigia deprehenderint nonnulli, ſenſuum tamen elatione et dictionis ſplendore atque compoſitionis elegantia ita est inſignis, ut vix cuiquam in hoc genere cedat (1).

His

(1) Vid. R. Lowth, l. l.

His ſi addamus ea, quae ſupra diximus de praeſtantia Hebraicae poëſeos in vatum carminibus praecipue eminente, cuique ſit perſuaſum oportet de pretio, quo haec habenda ſunt ab omnibus, qui politiores artes amant antiquitatisque ſunt ſtudioſi (1).

(1) De Prophetarum facultate poëtica vid. Clar. M u n t i n g h e, in Operis laudati, Tom. VII. pag. 156.

SEC-

SECTIO POSTERIOR.

LIBRORUM VETERIS FOEDERIS QUOAD RELIGIONIS HISTORIAM ET DOCTRINAM SPECTATORUM PRAESTANTIA.

---

§ I.

Religionis Patefactae Historia.

Quaecunque in priore Sectione propofuimus, ut ftrictim defcriberetur Librorum V. Foederis praeftantia, eiusmodi nobis esfe videntur, ut propterea fummo eos loco habere oporteat quoscunque iustos ac idoneos iudices. Verum enimvero adfunt forfan, qui omnem fere nostrae argumentandi rationi detrahendam cenfeant virtutem, cum in laudibus cumulandis vitia et quaecunque reprehenfione digna miferimus et obtexerimus. Quod enim univerfe ad historicos attinet, haud quaquam abfolutam dari historiam, clamitant, magnos deprehendunt hiatus, multa animadvertunt fterilia, multa vero defiderant, qui-

quibus ad Israëlitarnm historiam rite absolvendam opus omnino fuisset. Istarum vero, et quotquot eiusdem generis moventur, calumniarum origo ipsi horum librorum consilio haud bene cognito est tribuenda. Nunquam profecto hoc fuit S. Scriptorum institutum, ut accuratam et continuam referrent gentis Israëliticae historiam, atque adeo perperam cum Herodoti, Livii, Taciti aliorumque Historicorum scriptis comparantur. Longe aliud idemque valde singulare eorum apparet consilium, in eo positum, ut doceant, unius veri Dei cultum servatum fnisse apud Israëlitarum maiores, et Deo curante ac sontes puniente saepissime, propagatum, ac tandem confirmatum, huius porro Dei dicta rata esse facta, tam promissiones quam minas, quo persuasum fieret omnibus de huius existentia (1). Iam vero hoc primarium consilium si spectemus, haud amplius nos offendent multae res narratae de certis quibusdam familiis, de Patriarchis, de vita pastorali, pastorumque itine-

(1) Conf. I. F. Iacobi, *Verhandeling over den waren aart en voortreffelijkheid van de boeken des O. T.* in Tomo III Operis eius, *Verhandelingen over eenige gewigtige stukken van den Godsdienst, uit het Hoogduitsch, door* D. C. van Voorst, p. 24 sqq.

neribus (1): haud omni ufu carentes vocabimus tot genealogias, quas ftultae gentis tantummodo in delectationem collectas fuisfe perhibent nonnulli (2). Verbo: in iis etiam, quae alioquin reprehendenda videntur, ipfam agnoscemus fapientiam divinam.

Praeclaro autem huic confilio egregie conveniunt quaecunque his in Libris inveniuntur. Docebantur enim Israëlitae e fua ipforum historia religionem, iisque perfuafum fiebat, pietatem legumque divinarum obedientiam felicitatis esfe fontem, improbitatem vero, idololatriam aliaque vitia omnium calamitatum causfam. Prophetae deinceps, qui existebant, fingula, quae in his relationibus peculiaris div. Providentiae praebebant documenta, exponebant, et exin, quid Deo placeret, quid fecus, docebant. Hinc factum, quod in carminibus perpetua fiat historiae antiquae commemoratio (3), quae ne in precibus quidem fundendis omittitur (4).

Quae

(1) Conf. Lilienthal, *Oordeelkundige Bijbelverklaring*, I. p. 183 fqq.

(2) Conf. Koppe, *de Bijbel een werk der Goddelijke wijsheid*, I. p. 84—128.

(3) E. c. Pf. CV et CVI.

(4) E. c. 1 Reg. VIII. Conf. A. H. Niemeyeri,

Quae cum ita ſint, nobis est progrediendum in defendenda horum librorum praeſtantia. *Patefactae* enim *religionis historiam* complectuntur. Quanto autem pretio hanc ob cauſam habendi ſint, probabit disquiſitio de *religionis huius doctrina*, ac *de modo, quo ea fuerit tradita.*

§ II.

Doctrina de Deo.

Doctrina de Deo, prout ex univerſo V. F. codice a nobis derivari poteſt, referenda est ad haec capita:

Unus est Deus (1) omnium, quotquot exiſtant,

r i, diatribe: *Wie verhalten ſich die hiſtoriſchen Schriften des Alten Testaments gegen Religion und Sittenlehre? und welches ist ihr charakter als Geſchichtbucher?* praefixa Tomo V. eius operis *Charakteriſtick der Bibel.*

(1) Haec de *Deo uno* doctrina per univerſum V. Foedus regnat, ad quam confirmandam eximie comparata fuit conſtitutio Moſaïca, ac praeſertim forma illa regiminis Theocratica, qua Deus erat ſummus princeps Israëlitarum, uti docuit Cl. I. H. Pareau, Antiq. Hebr. II. 2. 1. Quapropter male omnino iudicant, qui plurium Deorum ſuperſtitionem in his libris ſibi in-

ſtant, rerum auctor, conſervator ac gubernator (1). Est vero ille ratione praeditus, oculis autem conſpici non poteſt, eiusque formam fingere haud licet (2), idemque est perfectisſimus (3), ubique praeſens (4), immutabilis atque aeternus (5); omniscius (6); voluntate praeditus liberrima (7), immutabili (8), et om-

invenisſe videntur conf. Cl. Pareau, in Soc. Teyl. l. l. p. 57—60, 146.

(1) Gen. I: 1. Pſ. CIV.

(2) Exod. XXXIII: 23. Deut. IV: 12—15. Non audiendi ſunt nonnulli, inter quos Eberhardus, in libro: *der Geist des Urchr.* III. Th. ſ. 233. qui ſtatuant, Deum in V. F. quemadmodum apud ceteros Orientales proponi ut lucem ſubtilisſimae naturae, cui ſententiae obſtant clasſica omnino haec loca, 1 Reg. VIII: 27, 2 Chron. VI: 18, Ierem. XXIII: 23, 24, Pſ. CXXXIX; quo accedit, quod Deus a luce ipſa non ut re emanata, ſed ut creata discernatur Gen. I: 3; conf. W. A. van Hengel, vir Cl. in Opp. Soc. Teyl. XXVI. p. 233 et 234.

(3) Pſ. LXXXIX: 7—9. Exod. XVIII: 11. et Cl. Muntinghii, Comp. Theol. Chriſt. Theor. II. 1. 3. § 110. in not. *c.*

(4) Pſ. CXXXIX: 7—9. Ierem. XXIII: 23, 24.

(5) Gen. XXI: 33. Pſ. XC: 2—4.

(6) Pſ. CXXXIX: 1—18. Prov. XV: 3.

(7) Pſ. CXXXV: 6.

(8) Mal. III: 6.

omnipotente (1); sapientissimus porro (2), summâque praeditus sanctitate (3), simul verò benignitate paternâ ac clementiâ (4), veracitate fallere fallique nesciâ (5), et iustitiâ tam in legibus ferendis, quam in iis vindicandis manifesta (6).

Hanc de Deo doctrinam ita tradiderunt V. F. scriptores, ut semper fuerit accommodata ad hominum captum; neque adeo in vitium est vertendum, quando Deum in hominum similitudinem informarunt (7). Nunquam insuper operam dederunt disquisitionibus de internâ Dei naturâ, humanum superantibus ingenium; nec tamen dicendi sunt nimis humilem Deoque indignam notionem sibi unquam formasse (8).

Quem

(1) Ps. XXXIII: 6, 9. Ies. XL.

(2) Iob. XXVIII. Proverb. III: 19, 20. VIII: 22—36.

(3) Levit. XI: 44. Hab. I: 13.

(4) Exod. XX: 6. XXXIV: 6, 7. Ps. CIII: 13. CXLV: 8, 9.

(5) Deut. VII: 9. Ps. XXXIII: 4, 5.

(6) Gen. XVIII: 25. Ps. VII: 11, 12. XIX: 8, 9.

(7) Conf. Cl. Pareau, Antiq. Hebr. l. l. II: 3: 1. p. 151.

(8) Conf. Herder, *Brieven over de Beoef. der Godgeleerdh.* III: p. 68 sqq. Ierusalem, l. l. III: p. 171 sqq.

Quem autem praeclarâ hac ratione describunt Deum, eundem et auctorem omnium rerum, et mundi huius procreatorem docent V. F. Libri. Ab hac veritate omnis institutionis auspicia faciunt, cuius praeclarum conservant monimentum (1), temere a nonnullis repudiatum (2), in quo tam concinnus et probabilis ordo, quo res creatae proponuntur, quam magnifica Creatoris notio, ad quam prisci illius temporis homines se iam efferre potuerunt, ut ipsum, et omnia solo mandato formasse, et, quae formasset, omnia ut bona approbasse diserte significarent, omnem merentur admirationem (3).

Hac relatione nituntur ea, quae perpetuo de Deo huius mundi procreatore tradunt hi Libri (4), omnem de aeterno mundo cogitationem excludentes (5): et cum Scriptoribus haud

opus

(1) Gen. I: 1 sqq.

(2) Praesertim Bolingbrokii et Voltairii sententias refutavit Ierusalem, l. l. III, pag. 231 sqq.

(3) Hanc de mundi origine relationem rationi convenientem esse, ostendit van der Meulen, in Diss. de Orig. mundi.

(4) Iob. XXXVIII: 4. Ps. CIV: 3-19.

(5) Ps. XC: 2, CII: 26. Conf. Doederlein, Instit. Th. Chr. I: 2. § 119.

opus fuerit ſubtiliori materiam inter et formam distinctione, cumque hoc unum ſibi docendum propoſuerint, Deo iubenti omnia ſuam debere originem, tuto ſtatuimus, doctrinam de mundo e nihilo procreato, licet haud dilucide ſit tradita, latere tamen in eorum ſcriptis (1).

Luculentisſimo autem modo Providentiam Divinam tam in fatis hominum et gentis Israëliticae referendis, quam in carminibus ſuis et hymnis docent ac celebrant; Deum ſcilicet monent pro arbitrio ſuo mundum gubernare et ſuſtentare (2), eiusque providam curam ad res omnes et particulas ſingulas, praeſertim ad homines ſe extendere (3), quorum á primo inde vitae tempore curam gerat, quibusque perpetuo amorem ſuum oſtendat (4); huic denique ſubesſe omnes omnino viciſſitudines (5), eiusque curam probis imprimis favere (6).

§ III.

(1) Conf. Iunge, *Christl. religions unterrigt von* Doederlein, Th. VII. 9, 16.

(2) Pſ. XXXIII: 9.

(3) Pſ. VIII, XXXVI: 7 ſqq. CXLV: 15, 16. Ieſ. XLIX: 15.

(4) Pſ. CXXXIX: 13, 14.

(5) Pſ. XXXIII: 16, 17. Prov. XVI: 9, et 33. Amos III: 6.

(6) Pſ. XXXIII: 18—21. CXLV: 18—20. Thren. III: 25.

§ III.

Doctrina de homine.

Omnes, quas Deus produxit, naturae ratione praeditae cum nobis cognitae non sint, Codex Sacer duplicem earum nobis exhibet speciem, angelorum, et praesertim hominum.

De *generis humani* origine cum nihil certi solo rationis usu assequi possimus, in V. Foederis Libris monimenta habemus conservata (1), e quibus certiores fiamus de primis omnium hominum parentibus.

Praeclara porro est doctrina, quam de primâ hominum conditione tradunt: hos enim animi integritate, corporisque sanitate fuisse gavisos docent, iisque vitae perpetuae, et non, nisi admisso peccato, finiendae spem fuisse factam (2); eo autem eximio conditos fuisse consilio, ut verâ virtute seu sanctitate, quantum per terminos, quibus natura eorum finita circumscripta est, liceret, ipsi forent similes: cum vero iam ip-

(1) Genes. I, II.

(2) Genes. I: 26. II: 17. Conf. Morus, Comm. Exeg. hist. in Theol. Christ. epitomen Tom. I. Part. III. Cap. 1. § 9.

ipſum primum hominum par a Deo defeciſſet (1), hinc vitioſitatem quandam moralem ortam, ac per univerſum genus humanum propagatam fuiſſe, qua intercedente, eximio hoc conſilio eos penitus excidiſſe, ac divinâ indignatione digniſſimos evaſiſſe (2).

Vitam dein futuram eſſe exſpectandam, quod ipſa Henochi historia iam probat, cuiusque ſpes in Iobi libro apparet, atque in Moſis ſcriptis, a Davide deinceps et vatibus luculentius est data, ita docent, ut eâ de re nulla remaneat dubitatio (3). Hanc autem vitam laetam omnino et felicem probis tantum exſpectandam tes-

(1) Moſaicam de vitiorum origine traditionem brevem, ſimplicem, et ad hominum captum accommodatam vindicarunt Herder, *Brieven* l. l. I. p. 14 ſqq. Ieruſalem, l. l. III, 270 ſqq. Tobler, *zur ehre der Bibel*, I. p. 86. ſqq.

(2) Gen. VI: 5. Exod XXXIV: 7.

(3) Gen. V: 24. XV: 15. XXV: 8, 9. Pſ. XVI: 8, 11. LXXIII: 24—28. Prov. XIV: 32. Ieſ. XIV. Conf. Michaëlis, Syntagma Commentt Götting. 1759. pag. 80 ſqq. Doct. I. I. Metelerkamp, Diſſ. Exeg. et Theol. continens vestigia doctrinae de immortalitate animorum in Libris V. F. obvia, Harderov. 1799. Cl. Heringa, ad Seileri Librum *Bijbelſche Uitlegkunde* pag. 183. 192. Cl. Pareau, in

testantur, non vero improbis (1), licet ceteroquin Deum proponant praemiis ac poenis hac iam in vita se manifestantem proborum fautorem, ultorem vero impiorum, primum accommodate ad infantile hominum ingenium (2), et deinceps convenienter cum peculiari Israëlitarum regimine per Mosem introducto (3). Quamquam vero praecipua rationum ad bene agendum momenta ex hac vitâ desumebant (4), satis tamen caverunt, ne pii ad desperationem redigerentur, cum se calamitatibus obrui, impiis autem res bene cedere viderent (5): tandem enim aliquando virtutis praemia, impietatisque poenas instare annunciabant (6).

Nec

in Commentatione de immortalitatis ac vitae futurae notitiis ab antiquissimo Iobi scriptore in suos usus adhibitis. Daventriae 1807.

(1) Ps. XVI: 8—11. XVII: 14, 15. XLIX: 15, 16. LXXIII: 23—28.

(2) Gen. XVIII: 23 sqq. XXII: 14.

(3) Ps. XI: 4—7. XXXIV: 16—23. XCI. Conf. Cl. Pareau, Antiq. Hebr. P. II. S. 1. Cap. 3. § 3. et S. 2. Cap. 1. § 8. S. 3. Cap. 1. § 6.

(4) Ps. XXXIV: 12 sqq. Ies. LVIII: 6 sqq. Prov. V: 1—14.

(5) Ps. XXXVII. Ierem. XII: 1 sqq.

(6) Vid. Koppe, *de Bijbel een Werk der Goddelij-*

Nec tantum in his ſubſiſtit de homine doctrina. Cum enim omnes omnino vitiis laborantes, poenisque divinis dignos testentur V. F. Scriptores, ac ubique ponant, optimam ſimul tradunt viam, quâ ad veram felicitatem redire posſint: Deum ſcilicet homines ab his poenis liberare velle, Adami Evaeque lapſus historia ostendit, quâ edocemur, iam ſtatim miſeris istis Deum ſuccurrisſe, ſuamque demonſtrasſe benignitatem in malefacta condonando, et ſontibus ignoscendo. Atque haec est divini favoris patefactio Israëliticae peculiariter genti variis aetatibus, variisque modis pedetentim data, in quâ referendâ praecipuum V. F. librorum verſatur argumentum (1), et ſic quidem, ut unum quendam regem annuntient potentisſimum, ſapientisſimum, iustisſimum, verae religionis ſtatorem, Israëlitarum res collapſas reſtituturum, multa tamen dira perpesſurum, tandemque moriturum in hominum ſalutem, quo Vatum divorum post mutatam Reipublicae formam vatici-na-

lijke Wijsheid, I. pag. 289. et conf. Eccleſ. XI: 9. XII: 7, 14.

(1) Vid. I. G. Roſenmuller, *trapswijze voortgang der Goddelijke Openbaringen*. Y. van Hamelsveld, *het Evangelie volgens het Oude Testament*, Amſterdam 1810.

nationes praecipue sunt trahendae (1). Nec Israëlitis tantum, sed universo generi humano hanc salutem destinatam esse, tum denuntiatio eius ad Evae progeniem indefinite pertinens (2), ac promissio de Abrahami sobole (3), tum inprimis Davidis (4), et Prophetarum dicta (5), indicant.

Poenarum igitur expiationem non nisi a Deo sperandam et exspectandam esse resipiscentibus perhibent (6), cuius doctrinae memoria iam statim hominum mentibus inpressa fuit, sacrificiis a

(1) E vaticinationibus Evae et Abrahamo factis vix spes concipi potuit de uno quodam Conservatore, nisi luculentior accesserit patefactio. Moses vero Israëlitarum genti iam promisit summum verae religionis interpretem, cui auscultandum foret. Deut. XVIII: 15, 18. coll. Act. III: 22, 23.

(2) Gen. III: 15.

(3) Gen. XXII: 18.

(4) Ps. LXXXVI: 9. CXXXVIII: 4, 5. coll. Rom. XV: 9—11.

(5) Ies. II: 2—4. XXV: 6—9. XLV: 22—24. LIV: 13. LVI: 7. LX. LXV. LXVI. Mich. IV: 1—4. Zeph. III: 9, 10. Zach. II: 11. VIII: 22, 23.

(6) 2 Chron. VI: 24—39. VII: 12—14. XXX: 5—9. Ies. LV: 7. LIX: 20. Ier. III: 11, 12. Ezech. XVIII: 21—32.

a Deo conſtitutis, quorum licet pleraque primum reverentiae erga Deum, fiduciae, animique grati publicam ſignificationem ſpectabant, alia tamen piacularem etiam uſum arguebant, Noachi ex. gr. et Iobi (1). Apparet hoc praeſertim in conſtitutione Moſaicâ, quâ victimis mactandis imponendae erant manus ab offerentibus (2): quo ſolenni ritu ostenderent, ſe morte esſe dignos, poenarumque immunitatem, interpoſitâ animalis morte, a Deo implorare, de cuius in peccatis condonandis benignâ voluntate ſibi erat perſuaſum (3). Eadem autem ſacrificia, ut et alias caerimonias, a Moſe inſtitutas fuisſe, veluti ſymbola, quibus oculis ſubiiceretur ac depingeretur felicitatis huius praedictae auctor et procurator, multa docent loca in Epiſtola ad Hebraeos (4), quae adeo imagines ipſi deinceps rei cesſerunt.

(1) Gen. VIII: 20, 21. Iob. I: 5. XLII: 8, 9.
(2) Levit. I: 3, 4. III: 1, 2. 6—8. 12, 13. IV: 1—4.
(3) Vid. Cl. Pareau, Antiq. Hebr. P. II. S. 1. Cap. 3. § 9. et P. II. S. 2. Cap. 5. § 4.
(4) Vid. Cap. IX: 8. coll. VIII: 5 ſqq. IX: 24. X: 1.

§ IV.

§ IV.

Doctrina Morum.

Hac igitur praeclarâ *de Deo* ac *de homine* doctrina, qualem in V. F. Libris contemplamur, breviter expositâ, absque dubio quisque optimam quoque exspectabit *Morum doctrinam*, superstructam iis, quae de hominis ad Deum relatione docentur. Diversa autem scripta perlustrantes, leges praesertim Mosaicas, Davidis carmina, Salomonis aliorumque sapientum sententias et Vatum orationes, hanc exspectationem haud vanam esse comperimus. Ea scilicet praeceptorum moralium est praestantia, tanta est nobilitas principii, e quo ducuntur, tam praeclara sunt momenta, quibus adstringuntur, tamque egregia sunt subsidia, quibus facilis fit eorum observantia, ut mirabundi omnino non possint non contemplari doctrinam in his Libris traditam quicunque considerent, quantis eâ aetate erroribus repleta fuerit antiquissimorum populorum disciplina moralis.

Ante omnia commendatur amor erga Deum benignissimum, et obsequium Domino ac Legislatori sanctissimo praestandum, e quo, velut e fonte, ducantur singula, quae Israëlitis data fuere,

re, praecepta (1). In definiendo bono maloque morali haec tenetur ratio, ut quidquid cum Dei conveniat voluntate bonum, quidquid vero cum eâ pugnet malum vocetur (2). Hinc peccatorum poenitentia, quam homines prae se ferant, haud vera censetur, nisi animus convertatur ad id, quod lege divina praeceptum sit, totique incumbat illius observantiae (3). Imo omne pretium sacrificiis, et universe cultui externo divinitus instituto denegatur, nisi sacra offerentibus pii adsint sensus, quibus Deo significent, se poenitere peccatorum, atque venerationem ipsi debitam moribus suis demonstrent (4).

Nec tantum erga Deum amor praescribitur, verum etiam erga homines, et nosmet ipsos. Aequalis omnes inter homines dignitas ubique ponitur, saepissimeque docetur; quâ in caussâ prae omnibus gentium caeterarum institutio-

(1) Deut. VI: 13. X: 20. Proverb. I: 7. IX: 10.

(2) Conf. loca laud. a Koppe, *de Bijbel een Werk der Goddelijke Wijsheid*, I. 249 sqq.

(3) Ies. I: 16, 17. Ps. XXXIV: 15. XXXVII: 27.

(4) Ps. L: 7—13 sqq. 1 Sam. XV: 22. et P. Bonnet, ad h. l. in Opere *het leven van David*, I: p. 109—112. uti et Ies. Cap. I. et LVIII. Hos. VI: 6.

tionibus eminet Lex Mofaica (1). Atque hinc est, quod eximia inveniantur in Libris laudatis praecepta benignitatis et humanitatis erga quoscunque homines, egenos etiam, fervos ac peregrinos, ipfaque bruta animalia (2); et quidquid alii e Davidis carminibus aliisve locis ad contemnendam hanc morum doctrinam effici posfe putarint, adfunt omnino loca, quae φιλεχθρίαν commendent (3). In officiis autem omnibus, quae imponuntur hominibus, animadvertendum est, honestas huius vitae voluptates iis haud denegari: uno tantum die post fex alios abftinendum esfe a labore monetur, cuius rei fapiens fuit confilium, in caeteris festis etiam confpicuum (4).

In-

(1) Vid. Maleach. II: 10. et loca laudata ab H a m e l s v e l d i o, *het Evangelie uit het Oude Testament*, pag. 420 fqq. et conf. I a c o b i, l. l. pag. 414—416.

(2) Exod. XXI: 27. XXII: 21, 22. XXIII: 10—12. Levit. XIX: 9, 10. Deut. V: 14. X: 19. XV: 7—11. XXV: 4. Iob. XXXI. Prov. XII: 10. Ief. LVIII.

(3) Exod. XXIII: 4, 5. Prov. XXV: 21. Conf. G. C. P i f a n s k i, vindicia Pfalmorum ob execrat. impugnatorum Regiom. 1779. 8vo.

(4) Vid. I e r u f a l e m, l. l. III: 450, 451. I a c o b i, l. l. pag. 416—420.

Insuper autem haec morum doctrina insignis est auctoritate, quae est eiusmodi, ut non suadendo, sed praecipiendo, officia praescribat, atque adeo non ab humana quadam potestate, sed ab ipso Deo derivanda sit (1); et in praecipiendo ita versatur, ut non tantum divinae voluntatis mandata exhibeat, sed ipsum Deum in suâ agendi ratione optimis gaudentem virtutibus proponat, quem sequantur homines (2).

Quae autem a gentium philosophis ducta videmus virtutis *momenta* ex honoris cupiditate, patriae et sui ipsius amore, commodis huius vitae, aut animi tranquillitate (3), longe inferiora sunt iis, quae S. Scriptores exhibent. Licet enim Iehova sapienti consilio praemiis ac poenis, hac in vitâ distributis, uteretur, ad virtutis amorem

(1) Quantopere haec auctoritas in laudem faciat huius doctrinae, imprimis demonstrat sententiarum discrimen, quale apud Profanos in praeceptis moralibus obtinuerit. Legat. Stolp. 1762. p. 188—197.

(2) Levit. XI: 44. Deut. X: 17—19. Conf. Koppe, *de Bijbel* l. l. l: p. 282.

(3) Quae e virtutis pulcritudine, vitiique foeditate, aut e futurâ virtutis remuneratione, vitiique poenâ ducebantur momenta, ea debilia esse apparent, consideratis Philosophorum litibus in definiendâ virtutis naturâ et haesitatione de animorum immortalitate. Conf. Stolp. Legat 1762. p. 197—203.

rem vitiique odium iniiciendum, atque ex hac divinâ agendi ratione plurima peterentur momenta, complectitur tamen V F. doctrina nobiliora multa, ducta e remuneratione vitae felicis olim rediturae probis ſperandae, et ex amore Dei eiusque gratiâ (1). Quibus omnibus denique ſunt addenda praeclara, quae nobis praebent, *auxilia*, imprimis preces, ad quas, cum a Deo omnem boni et mali cognitionem, et ſingulare virtutis colendae auxilium esſe repetenda doceant (2), homines incitantur (3) exemplisque ducuntur (4).

Quae cum ita ſint, haud dubitare oportet de ſaluberrimo ac certisſimo effectu, quo haec gavisa fuerit doctrina, non tantum in impellendo et movendo, ſed etiam in emendando homines cuiusque generis ac aetatis, et in eos ducendo ad praeſtantisſimos verae ſapientiae et pietatis fructus ferendos et percipiendos, quorum egregia et prodigioſa fere documenta nobis praebet S. historia.

Priusquam vero ab hac, quam inſtituimus quaes-

(1) Pſ. XIX. XXVII. Prov. XII: 14. Mal. III: 16.
(2) Pſ. XXV: 8, 9, 12. XXXII: 8. CXLIII: 10.
(3) Proverb. II: 3, 6—8.
(4) 1 Reg. III: 9. Pſ. XXV: 4, 5. LXXXVI: 11. CXIX: 33—38.

quaestione discedamus, paucis etiam diiudicanda sunt, quae peculiariter ad Mosaicam pertinent constitutionem. Scilicet cum Libri, qui talia praeclara docuerint, optimum etiam, quo Deus colatur, modum tradidisse sint censendi, nonnullos offendit externus ille, a Mose praescriptus, cultus, forma nimis, ut putant, splendidus, et plurimis oneratus ritibus. Huius tamen ratio temere reprehenditur. Israëlitae enim, quibus praeërat Moses, in ea erant conditione, ut nequaquam essent idonei ad simplicem Dei cultum, non tantum ob splendidum sacrorum apparatum, quo inter Aegyptios viso affecti fuerant, sed etiam propter propensum ad idololatriam animum; quo accedit, quod magna institutorum diversitate opus fuerit, ut ab aliis gentibus seiuncti esse cogerentur, donec perfectissimae advenissent tempora religionis cum omnibus sine discrimine gentibus communicandae, cuius non nisi rudimenta quaedam contineret antiquior illa, et cuius res ritibus eius nonnullis adumbrarentur. Merito igitur in his divinam miramur sapientiam, quae simul per legatos suos docuit, non omnem hisce ritibus absolvi sui cultum (1). Nec denique hic negligenda est Theocratici, quod Deus in Israëlita-

(1) Vid. loca laud. pag. 43. not. 4.

tarum societate obtinebat, imperii ratio (1), quâ erat summus princeps Israëlitarum, quibus praesens aderat (2). Quae omnia si rite teneamus, magni aestimanda iudicabimus, quae in cultu Deo praestando Israëlitis erant praescripta.

§ V.

Modus, quo religionis patefactae doctrina est tradita.

Iam vero eximiâ hac religionis doctrinâ spectatâ, restat, ut *modum* consideremus, *quo ea fuerit patefacta.*

Gentis Israëliticae vel levissima consideratio nobis iam persuadere posset de praestantiâ doctrinae commemoratae, e caussis naturalibus nullo modo repetendae. Cum enim ne nobilissimi quidem Graecorum Philosophi gravissimam de uno vero Deo doctrinam a superstitionis commentis eximere, suisque discipulis ut certam tradere potuerint, unde est, quod iam dudum ante horum aetatem doctrina illa apud solos Israë-

(1) Exod. XIX: 6—8. Ios. XXIV: 15—27. Conf. Hess, *die Geschichte Moses*, I. pag. 196 sqq. Cl. Pareau, Antiq. Hebr. l. l. III: 1: 1.

(2) Vid. Ierusalem, l. l. III. 478—501.

raëlitas, exculti ingenii ratione nequaquam cum iis comparandos, ut totius religionis doctrina traderetur? Estne credibile, Mosem ceterosque vates, in maximâ popularium ad idololatriam propensione, solos ratiocinando progredi potuisse ad summum notitiarum de religione culmen? Nonne ipsum Deum eos habuisse impulsorem et ducem et doctorem perpetuum quivis merito coniiceret (1)?

Quod autem coniiciendo attingere possemus, in eo confirmamur, historiam, quam exhibent V. F. Libri, indagantes. Divinâ enim auctoritate religionis doctrina fuit patefacta, eâ adhibitâ argumentorum specie, quae in omnium oculos incurreret, et sensus ita feriret, ut iustae dubitationi nullus relinqueretur locus. Moses nimirum et vates, divinitus se fuisse institutos ac legatos testati, fidem sibi compararunt, miraculis palam editis, in conspectu omnium, ut et eorum, quorum maximopere interesset eos, si possent, fraudis convincere, et ut impostores punire. Quod imprimis dicendum de Mose legationem suam hac ratione confirmante coram rege Aegyptiorum, coram universâ eius aulâ, et coram ipsis denique magis, qui nihil nisi artis peritiam ostendere potuerant. Miraculorum au-

(1) Conf. Iacobi, l. l. pag. 401—403.

autem id fuisse consilium, ut qui se legatum divinum haberi vellet, miraculo patrato, talis vir etiam declararetur, multis documentis apparet (1).

Alterum eodem datum consilio argumentum praebuerunt praedictiones rerum futurarum fortuitarum, quarum eventus respondit iis, quae fuerunt praesignificata. Hae autem tanquam legationis divinae criteria in V. F. Libris saepe considerantur (2). Quas autem editas legimus vaticinationes, eae, quin verae fuerint, haud dubitare licet. Quae enim exempli caussâ de propagatione unius Dei cultûs et verae religionis ad omnes gentes (3), de tribu Iuda semper futurâ primariâ (4), de Messia ex hac tribu et e Davidis familiâ oriundo (5), de Israëlitarum ob impietatem futuro exsilio, et reditu in patriam, ac reipublicae restauratione (6), variis aetatibus sunt annunciata, inter cetera exitu ita

(1) Exod. XIV: 31. Conf. Möller, in Soc. Hag. 1800. § 28, 29.

(2) Vid. Deut. XVIII: 22. Ies. XLVIII. Dan. IX: 11, 12. et alibi.

(3) Conf. loca laudata a Iahnio, l. l. § 17.

(4) Ibid.

(5) Ibid.

(6) Ibid.

ita ſunt confirmata, ut nihil iis certius videatur, teste historiâ ſacrâ. Quid? quod profani etiam Scriptores nonnunquam probent, quae a vatibus fuere praedicta, uti ex. gr. Herodotus (1), et Xenophon (2) in iis referendis, quae de Babyloniae a Cyro delendae fato praedixerant Ieſaias atque Ieremias (3).

Viri igitur illi, qui variis temporibus doctrinam, quam exhibent V. F. Libri, tradiderunt, legationem ſuam divinam ſatis probarunt. Atque adeo haud mirum, eos tantâ auctoritate gaviſos, ſemper, licet aetate diverſiſſimos, unum idemque docuiſſe, nunquam vero lites de quibusdam capitibus ortas fuiſſe, neque iis refugiendum fuiſſe ad arcanam disciplinam, quâ inter gentium philoſophos nonnullis tantum peritioribus praecepta dari ſolebant. Hoc ſolis doctoribus divinis datum fuit, ut in docendo conſtantes, perſpicui et faciles ab omnibus, rudibus aeque ac cultioribus cuiusque aetatis, intelligerentur et ſponte fere asſenſum acquirerent (4).

Atque haec ſufficiant ad probandas Librorum V.

(1) Hiſtor. I. c. 190, 191.

(2) Cyrop. VII.

(3) Ieſ. XIII. XLV—XLVII. Ierem. L. et LI.

(4) Conf. Iacobi, l. l. pag. 403—407. et 433—435.

V. F. dotes singulares ob religionis doctrinam, quam complectuntur. Haec enim egregie conveniens cum Dei hominisque naturâ, religioni naturali confirmandae inserviens, hominibus tradita est modo eorum conditioni accommodato Deique maiestate dignissimo: atque insuper ei accesserunt externa documenta divinae auctoritatis, quâ doctores gavisi fuerint. Quae cum ita sint, religionis divinitus patefactae doctrinam his monimentis antiquis contineri statuimus.

Hac igitur ratione Librorum V. F. praestantiam *strictim* descripsisse nobis videmur.



PARS

PARS POSTERIOR.

LIBRORUM VETERIS FOEDERIS USUS IN DOCTRINA CHRISTIANA INTELLIGENDA, AESTIMANDA, TUENDA, ET AD VIRTUTIS STUDIUM ADHIBENDA.

PRAEMONENDA.

Auctoritas et usus Librorum Veteris Foederis ex Christi et Apostolorum doctrinâ.

Cum igitur pro viribus nostris *strictim* descripserimus Librorum V. F. praestantiam, quae eiusmodi esse apparuit, ut divina omni iure iis tribuenda sit auctoritas, ulterius progredi possemus, ad exponendum insignem, quem etiam nunc nobis, luce Christianae doctrinae illustratis, praebent usum. Quemadmodum vero in omni re, quam defendendam sumamus, insigne accedit praesidium, si alios eosque idoneos iudices eiusdem caussae comperiamus fautores ac de-

defensores, haud abs re iudicavimus nonnulla praefari, quibus appareat, quid de Libris laudatis censuerint Christus et Apostoli, ac quanam ratione iis fuerint usi in doctrinâ tradendâ.

Conservatoris nostri de hoc argumento sententiam tradiderunt nobis Euangelistae. His enim referentibus, professus fuit Christus, in sacris, quae suo tempore apud Iudaeos habebantur scriptis, testimonium divinitus datum exhiberi de suâ legatione, atque hanc ob caussam ea diligenter perscrutanda esse monuit (1): summam ac perpetuam iis tribuit auctoritatem (2): Mosis vatumque scriptis certam et perfectam inesse institutionem bene beateque vivendi indicavit (3): atque aperte docuit, sibi esse propositum non violandae, sed stabiliendae legis divinae, cuius lator fuerat Moses, interpretes vero et vindices exstiterant Prophetae (4). Neque ali-

(1) Ioh. V: 38, 39. Sive verba ἐρευνᾶτε in Indicativo, sive in Imperativo sumenda putes: idem ex hoc loco argumentum petendum est, uti probavit Iod. Heringa vir Cl., in Diss. Soc. Hag. 1789. pag. 200, 201. Conf. et Zachariä, Bibl. Theol. I. p. 127—132.

(2) Ioh. X: 35.

(3) Luc. XVI: 19—31.

(4) Matth. V: 17.

aliter Apostoli statuerunt magistri insistentes vestigiis. Paullus enim, in Epistolâ suâ ad Timotheum posteriore (1), hos Libros vocat θεοπνεύστους (2), ac monet, operam esse dandam horum lectioni, ut Doctor Ecclesiae ad munus suum rite administrandum instruatur, eosque utiles esse doctoribus dicit, ad cohortandum, corrigendum et ad pietatis disciplinam. Similiter idem Apostolus, in Epistolâ ad Romanos (3), quaecunque scripta exstant in V. F. Libris, scripta dicit ad nos cohortandos, monendos et consolandos. Porro habemus Petrum magnifice de hoc disserentem argumento; testatur hic Apostolus, Spiritum, cuius auxilio Prophetae quondam locuti sint, eundem fuisse, ac eum, quem Christus miserit Apostolis, eumque fuisse vaticinatum de miseriis, quas Christus subierit, et de sublimi illâ dignitate, ad quam,

(1) Cap. III: 15—17.

(2) Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος· θεόπνευστος sit sive praedicatum, sive subiectum; constat tamen ex contextâ oratione, sermonem hic esse de sacris libris, qui sect. 15. τὰ ἱερὰ γράμματα vocantur. Conf. Heringa, vir Cl. in Diss. Soc. Hag. l. l. p. 203. n. y. Iis autem indicari libros V. F. demonstravit Morus, in Comm. Exeg. Hist. laud. ad Proleg. S. IV. § 26.

(3) XV: 4.

quam, ſuperatâ morte, pervenerit (1): et ubi in eo est, ut rationem reddat, cur Christiani recte agant, animum advertentes ad Prophetarum doctrinam ſalutarem, horum vaticinationes, quae in V. F. Codice inveniuntur, Deo iubente ac moderante editas esſe docet (2); illorum autem auctoritatem ſuâ inſtitutione non infringi, ſed magis confirmari testatur Paullus (3).

Quae attulimus loca, licet aliis facile augeri posſent (4), ſufficere tamen mihi videntur ad iudicium Christi et Apoſtolum de V. F. auctoritate et uſu intelligendum, quod ſane eiusmodi fuit, ut Christianis prorſus indignas cenſeamus quascunque ſententias horum Librorum contemtrices. Neque etiam audiendi ſunt, qui ſupra laudatas admonitiones Iudaeos tantum ſpectasſe putent. Praeterquam enim, quod Christus discipulos ſuos alia docturus fuisſe cenſendus ſit, ſi haud perpetuum nec omnibus utile commodum his Libris attribuisſet; obſervandum est, Apoſtolos deinceps Sacra Scripta laudasſe et commendasſe in uſum Iudaeorum Palaeſtinenſium aeque ac

(1) 1 Petr. I: 11.
(2) 2 Petr. I: 19—21.
(3) Act. XXVI: 22.
(4) V. c. Matth. XXII: 43. Luc. XVI: 17. Ioh. V: 46. Act. III: 8, 21. 1 Cor. X: 6.

ac alienigenarum, et Ecclesiarum, ad quas tam Iudaei, quam gentes se addixerant (1): nullaque profecto excogitari potest caussa, cur Paullus Iudaeorum opinionibus se accommodaturus fuisset, cum ad horum Librorum studium admoneret Timotheum (2), quippe qui patre alienigena oriundus, et Paulli institutione Christianam edoctus doctrinam, dignus iudicatus erat, qui Ecclesiae constitueretur doctor, veramque adeo propagaret religionem (3).

Constat igitur, Iesum et Apostolos divinam V. F. adscripsisse auctoritatem, eiusque usum omnibus commendasse, qui suam amplecterentur doctrinam: quocirca nunc videamus, quamnam in sacris his libris utendis secuti sint rationem.

Primum quidem saepissime e V. F. allegarunt loca, *vel* ad demonstrandam suam doctrinam (4), *vel* ad refellendos aliorum errores (5), *vel* ad pro-

(1) Rom. IV: 23, 24. 1 Cor. IX: 9, 10. Eph. VI: 2.

(2) 2 Timoth. V: 15—17.

(3) Conf. Cl. Heringa, in Soc. Hag. l. l. p. 202.

(4) Matth. XXII: 31, 32. Act. VII: 48—50.

(5) Matth. XV: 3—6. Rom. IV: 1—12.

probanda et commendanda sua suorumque facta et instituta (1), *vel* ad eorum crimina damnanda (2), *vel* ad illustranda dicta sua (3), *vel* ad ea qualicunque modo commendanda (4), *vel* denique ad excitandos pios animi sensus (5), quibus luculentissime ostenderunt, summam sacris his literis tribuendam esse fidem, maximamque auctoritatem. Historiâ porro, quam referunt V. T. Scriptores, ad docendum hortandumque utuntur. Religionis placita e V. Foederis Libris tradiderunt, illustrarunt et vindicarunt, ex iisque consectaria duxerunt ad probanda doctrinae et religionis Christianae capita antea incognita (6). Promissorum, quae in V. F. inveniuntur, mentionem faciunt frequentem, Deique laudant fidem in hisce praestandis, dato Iesu Christo, provocantes eam in rem ad divorum vatum auctoritatem, quod non tantum factum videmus apud Iudaeos, verum etiam a Iesu in le-

(1) Matth. XII: 1–6. Ioh. VIII: 17. Act. I: 20.
(2) Matth. XII: 7. XV: 7–9. XXI: 13.
(3) Ioh VI: 45. VII: 38.
(4) Rom. XI: 34, 35. 1 Cor. II: 9, 16.
(5) Rom. XII: 19, 20. 1 Cor. VI: 16.
(6) Marc. XII: 29. Act. XIV: 15. Rom. III: 21. 1 Cor. VIII: 4–6. Hebr. XI.

legatorum suorum institutione, et ab his in docendis iis, apud quos nulla fuerit Prophetarum auctoritas (1). Vitae sanctae praecepta, quibus abundant V. F. libri, saepissime repetunt et commendant (2). Denique quae in V. F. narrantur de fatis rebusque gestis Patriarcharum ante Mosem, ipsius Mosis, universae gentis Israëliticae virorumque in eâ illustrium, ea frequenter commemorant, ex iisque providentiae divinae documenta, ut et fidei pietatisque praecepta et exempla ducunt (3). Quae omnia nobis persuadeant oportet de magno, quo sacer hic Codex aestimandus sit pretio, deque vario et eximio usu, quem, Christo atque Apostolis praeeuntibus, exin capere possint omnes Ecclesiae Christianae addicti. — Hunc itaque usum de-

(1) Ioh. VI: 45. VIII: 56. Luc. XVIII: 31. XXIV: 25—27, 44—47. Act. II, III, VII, X: 43. XIII, XXVIII: 23. Rom. IX, X, XI. Gal. III. Hebr. XI.

(2) Matth. IV: 10. V: 27. XV: 3—9 XIX: 19. Rom. XII: 20. Eph. VI: 1—3. 1 Petr. V: 7.

(3) Matth. XII: 3, 4. Luc. IV: 25—27. Ioh. VIII: 39, 40. Act. VII. Rom. IV. 1 Cor. X: 1—11. Hebr. XI. Iac. II: 20—26. V: 10, 11, 17, 18. 2 Petr. II: 5—9. Conf. A. van Harencarspel, l. l. § 5—12.

descripturi praeclaram atque omni dubio carentem suscipimus causam, in quâ ita versabimur, ut per partes, in ipsâ quaestione propositas, ostendamus, quid valeant Libri laudati ad Christianam doctrinam *intelligendam*, *aestimandam*, *tuendam*, *et ad virtutis studium adhibendam.*

SEC-

SECTIO PRIMA.

USUS LIBRORUM VETERIS FOEDERIS IN DOCTRINA CHRISTIANA INTELLIGENDA.

§ I.

Usus, quos adferunt V. F. Libri ad dictionem N. T. cognoscendam.

Cum primo loco sit inquirendum, quid valeant V. Foederis Libri *ad intelligendam doctrinam Christianam*, ante omnia exponendum putamus, quomodo eorum ducamur auxilio, ad perspiciendam dictionem, quae in N. Foederis Libris regnat. Horum enim nisi cognita et perspecta habeas scripta, doctrinam, quam profitentur Christiani, haud recte intelligi posse cuivis indubium esse credo. Sparsa scilicet ea est per omnes, quas habuit Christus orationes, per omnes eius disputationes, collocutiones, dicta omnia et praecepta, parabolas et quoscunque eius sermones litteris mandarunt Euangelistae,

per

per varias, quas ipsi retulerunt annotationes et animadversiones, per omnia quae in Actis Apostolorum retulit Lucas, per omnes denique Epistolas et scripta Apostolica; quare N. Foederis Libros fontes agnoscimus primarios religionis Christianae (1). Novi Testamenti autem dictio cum non sit pure Graeca, sed singulis in verbis, dicendi formulis et figuris non tantum, verum et universâ orationis formâ Hebraicam consuetudinem imitetur (2), universe de eâ pauca sunt praemonenda.

N. T. Scriptores, qui nati erant Iudaei, vulgo utebantur linguâ Hebraeo-Aramaeâ, et in Synagogis audiebant lectionem V. F. Hebraici, nec Graecam addiscebant linguam, nisi necessitatis causâ sine praeceptis grammaticis, solo aliquo usu et consuetudine cum plebeiis hominibus. Res igitur Hebraeis vocibus cogitatas totidem Graecis ad verbum expresserunt, et universam Graeci sermonis formam, quoad eius fieri poterat, ad Hebraeam accommodarunt. Licet autem unus et alter ex his Scriptoribus rec-

(1) Vid. Doederlein, Instit. Theol. Christ. Proleg. c. III. § 26.

(2) Conf. Ernesti, Instit. Interpr. N. T. edit. 5. P. I. S. II. C. 3. § 8—18.

rectius Graece potuerit fcribere (1), ab omnibus tamen forma haec orationis Hebraea eligenda erat, praecipue quidem, quod haec Iudaeis magis placeret, verum etiam, quia maior pars Euangeliorum et Actorum orationes exhibet et collocutiones, a Christo eiusque legatis et discipulis, ut et Iohanne Baptista habitas linguâ Hebraicâ five Aramaeâ; quae cum Graece essent vertendae, non potuerunt non formam et colorem linguae, quâ enuncitatae erant, retinere: quorfum quoque pertinent, quae a coelestibus legatis fuerunt dicta (2), et audita, *vel* fono mirifico a Iohanne Baptista (3), a tribus Apostolis in monte (4), a Paullo (5), *vel* per exftafin a Iohanne Apoftolo in infulâ Patmo: his denique accedit, quod multa in doctrinam Christianam fluxerint e V. Foederis Libris Graece verfis (6).

Haec

(1) Vid. Cl. Lotze, *Oordeelk. Inleiding tot de Schriften des N. V.*, Vol. I. § 81.

(2) Luc. I: 13—20, 28—37. II: 10—14.

(3) Matth. III: 17.

(4) Matth. XVII: 5.

(5) Act. XXVI: 14—18.

(6) „ Cum Scriptores N. T. de iis rebus disfere„ rent, quae Hebraicis literis erant traditae, necesfe „ fuit multa retinere, ne doctrinam quampiam novam „ adferre viderentur. — — Hebraismi autem plerique

„ funt

Haec autem forma Hebraea in *vocabulorum significationibus*, in *dicendi formulis*, in *verborum nominumqne formis*, et denique in *vocabulorum constructione*, cum a multis eam habeamus descriptam (1), non opus erit, ut uberius indicetur; quare potius ex nostro consilio nonnulla seligemus exempla, quibus appareat, quantum usum praebeant V. F. Libri ad dictionem N. T., atque adeo ad nonnulla religionis Christianae capita recte intelligenda. Quod ad *nomina* attinet, quibus in N. T. tribuitur significatio a Graecorum consuetudine aliena, et facta ad imitationem nominum Hebraeorum: nisi ex. gr ἀδελφὸς pro *societatis sacrae sodali* ex Hebraico אָח, nisi δυνάμεις pro *factis mirificis* ex Hebr. גְבוּרוֹת, nisi ἔθνη pro *gentibus profanis* ex Hebr. גּוֹיִם, nisi κόινὸς pro *profano* ex Hebr. חֹל, nisi denique σὰρξ pro *imbecillita-*

„ sunt eiusmodi, ut nullo alio idiomate tam feliciter „ exprimi possint, imo interdum ne exprimi quidem: „ ut nisi illas formulas retinuissent, nova illis interdum vocabula et nova dicendi genera comminiscenda fuerint, quae nemo plane intellexisset." Sunt verba B e z a e, in Excursu de dono linguarum et Apostolico sermone, in annott. ad Act. X. 43. Conf. I I. H e s s, *Leer*, *Daden en Lotgevallen van onzen Heer*, II. pag. 159.

(1) Conf. M i c h a ë l i s, *Inleid. in het N. V.*, I. § 18. L o t z e, l. l. § 85.

tate, *pravitate humanâ* ex Hebr. בָּשָׂר nonnunquam sumas, ne multa in doctrinâ Christianâ perverse intelligantur, vereor quam maxime (1). Quod itidem in *verbis*, in εὐλογεῖν exempli caussâ *gratias agere*, *favere*, ex Hebr. בֵּרַךְ, in μαρτυρεῖν *docere*, ex Hebr. הֵעִיד, in μισεῖν *minus diligere*, ex Hebr. שָׂנֵא, in χρίειν *publice ad munus constituere*, ex Hebr. מָשַׁח, quin et in particulis observandum est. Hinc igitur non mirum videtur, multas etiam *dicendi formulas* e V. F. libris a Scriptoribus N. Foederis fuisse desumtas, quas illis destituti haud interpretari rite possemus. Sic v. c., cum Christus dicatur αἴρειν τὰς ἁμαρτίας (2), sola est V. F. dictio, quae cognita hanc dicendi formulam illustret, ac propterea ansam praebeat, Conservatoris nostri, quod suscepit, negotium recte intelligendi. Etenim נָשָׂא עָוֹן vel סָבַל, cui respondet formula laudata, in V. F. de hominibus usurpatur, qui vel iustas poenas luunt (3), vel ob alienam cul-

(1) Sic, e. g. vocabula προφήτης, προφητεία et προφητεύειν frustra e vi sermonis Graeci exponeremus, quae ex antiquo vocabulorum נָבִיא, נְבוּאָה et הִתְנַבֵּא, usu optime explicantur. Conf. Cl. Pareau, Antiq. Hebr. l. I. II: 4. c. 6. § 8.

(2) Ioh. I: 29. 1 Ioh. III: 5.

(3) Levit. XX: 19. coll. XXIV: 15.

culpam mulctantur (1), unde in N. F. adhibetur de Christo, non tantum hominum peccata expiante, sed et eorum remisſionem conciliante (2). Quid porro ſibi velint αἱ ἐσχάται ἡμέραι et ἔσχατον τῶν ἡμέρων, quarum mentionem nonnunquam faciunt Euangeliſtae et Apoſtoli, V. Foederis Libri indicant, in quibus אַחֲרִית הַיָּמִים, omne tempus futurum ſignificat, ſive remotum, ſive imminens (3): quod ſi teneamus, haud ubique haec formula *extremi iudicii* indicabit *tempus* (4).

Eiusmodi autem dicendi formularum e V. F. ſumtarum permagnam esſe copiam, ſolae iam teſtantur appellationes, quibus Conſervatoris noſtri perſona et munus deſcribuntur: cuiusmodi ſunt ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ Rom. I: 3. coll. Pſ. II: 7, ὁ πρωτότοκος Hebr. I: 6. coll. Pſ. LXXXIX: 28, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου Matth. VIII: 20, et pasſim in Ieſu oratione, coll. Dan. VII: 13, ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος oppoſitus τῷ πρώτῳ ἀνθρώπῳ Ἀδὰμ 1 Cor. XV: 45, coll. Gen. II: 7, ὁ υἱὸς Δαβὶδ Matth. XXII: 45. coll. 2 Sam. VII: 12,

ἡ

(1) Thren. V: 7. Ezech. XVIII: 20.

(2) Conf. Schleusneri, Lexicon in N. T. editio altera, Lipſ. 1801. ad vocem αἴρω n. 7.

(3) Gen. XLIX: 1. Ieſ. II: 2.

(4) Vid. Schleusner, l. l. ad vocem ἔσχατος.

ἡ ῥίζα καὶ τὸ γένος Δαβὶδ Apoc. XXII: 16. coll. Ierem. XXIII: 5, ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ Rom. XV: 12. coll. Iesaiae XI: 10, ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβὶδ Apoc III: 7. coll. Ief. XXII: 22, ὁ βασιλεὺς Matth. XXI: 5. coll. Zach. IX: 9. ὁ Χριστὸς Ioan. I: 42. coll. Dan. IX: 25, 26, ὁ ποιμὴν Ioh. X: 11. coll. Ezech. XXXIV: 23 ὁ ποιμαίνων τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ Apoc. II: 27. coll. Pf. II: 9 ὁ προφήτης Actor. III: 22, 23. coll. Deut. XVIII: 15, 18, ὁ ἀρχιερεὺς κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ Hebr. VI: 20. coll. Pf. CX: 4, ὁ σωτὴρ Actor. V: 31. coll. Zach. IX: 9 ὁ ῥυόμενος Rom. XI: 26 coll. Ief. LIX: 20, ὁ ἀμνὸς 1 Petri I: 19. coll. Ief. LIII: 7, ὁ λίθος ἀκρογωνιαῖος, ἐκλεκτὸς, ἔντιμος 1 Petri II: 6, 7. coll. Ief. XXVIII: 16. ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος Apoc. XXII: 13. coll. Ief. XLIV: 6.

Atque eidem dictionis convenientiae accepta habemus *nominum verborumque* Graecorum V. F. *formas* fingulares. Haud ideo dubii fumus in interpretandis ex. gr. locis, in quibus nunc quidem ὁ οὐρανὸς, mox vero οἱ οὐρανοὶ commemorantur, quippe quae formae refpondent Hebraeo שָׁמַיִם num. plur. (1) proprie *loca alta* hinc vero *coelum* indicanti, unde uterque numerus per-

(1) Conf. N. G. Schroeder, Inftit. ad fund. Ling. Hebr. S. VII. reg. 100. n. 2. Multos autem vi-

permutatur crebro apud ἑβραΐζοντας. Sic βασιλεὺς βασιλέων καὶ κύριος κυρίων nobis erit nihil aliud, nisi *summus rex ac dominus* ad Hebraeorum rationem, qui gradum superlativum eiusdem nominis repetitione exprimunt (1). Nec minus in *verbis* haec apparebit ratio singularis Hebraeis propria, tam in temporibus et modis, quam in speciebus. Cui denique *vocabulorum* addas *constructionem*, quae plane indolem Hebraei sermonis referunt, de quâ imprimis egerunt Storrius (2) et Haabius (3).

Atque haec notasse suffecerit ad probandum, quod diximus, multorum in doctrinâ Christianâ traditorum intelligentiam e V. F. Libris hauriendam esse ob *dictionis similitudinem*, huiusque interpretandi ratione observatâ, a multis caveri erroribus, qui alioquin evitari non possunt, ac saepe caussae evaserunt perversarum de nonnullis doctrinae Christianae

ca-

viros doctos, ipsumque Grotium, Hebraicâ dicendi ratione haud satis observatâ, ut in his, ita in aliis vocabulis interpretandis errasse, docet Abresch, Paraph. Ep. ad Hebr. p. 294 et 295.

(1) Conf. Schroederi, Instit. l. I. reg. CII.

(2) In eius observationibus ad Analogiam et Syntaxin Hebraicam pertinentibus, Tubing. 1779.

(3) In Grammaticâ eius Hebraeo Graecâ Germanice cum Suzkindii, praefat. nuper editâ.

capitibus sententiarum. Quamobrem cum Ernestio (1), officium interpretis esse statuimus, „ ut semper Graeca, praesertim cum de „ dogmatibus religioni imprimis Christianae „ propriis sermo erit, referat ad Hebraica, quod „ in his maxime verba duci debuerunt e libris „ sacris V. F."

§ II.

Usus Librorum V. F. in explicandis locis e V. T. in N. allegatis, et in illustrandis multis sententiis ac rebus ad Christianam doctrinam pertinentibus, quae Israëlitarum historiae et antiquitatis lucem desiderant.

Maior horum librorum usus apparet, quando Christum et Apostolos in doctrinâ suâ tradendâ consideramus pro diverso, quod nonnunquam spectabant, consilio, pro vario, in quo versabantur, argumento, diversis etiam rationibus V. F. loca allegantes et ad orationis suae argumentum accommodantes. Cum enim divinorum institutorum et mandatorum eadem semper sit ratio, idem consilium, ea, quae in V. F. de re alia

(1) Instit. Interp. l. I. P. I. S. II. c. 3. § 24.

alia dicta erant, translata comperimus in Novo ad aliam propter hanc consilii divini similitudinem (1). Nonnunquam quae de Deo in V. F. dicuntur, ad Christum divinae quoque naturae participem accommodata legimus (2), et ad huius res gestas et vitae vicissitudines describendas ea videmus accommodata, quae de Davide rege et Iesaia vate, in quibus promissi regis et Prophetae esset imago, dicta sunt (3).

Quae autem huius generis sunt loca e V. F. translata, ex ipsis, unde ducta sunt fontibus, omnino sunt explicanda. Huius enim accommodandi rationis consilium in eo fuit, ut similitudo et affinitas indicaretur, quae rebus in V. F. commemoratis intercedit cum his, quarum in Novo fit mentio (4); atque adeo nisi loca al-

(1) Conf. e. g. Levit. XXVI: 11, 12. cum 2 Cor. VI: 16. Deutr. XXV: 4. cum 1 Cor. IX: 8—10. et 1 Tim. V: 17, 18. et alia loca.

(2) Conf. Ps. LXVIII: 19. cum Eph. IV: 8—10. Ies. VIII: 14. cum Rom. IX: 33. et 1 Petr. II: 7.

(3) Ps. XXXV: 19. cum Ioh. XV: 25. Ps. LXXVIII: 2. cum Math. XIII: 34, 35. Ies. LXI: 1, 2. cum Luc. IV: 17—21. etc.

(4) Conf. C. G. Antonii, Dissert. de ratione Prophetias Messianas interpretandi certissimâ, nostraeque aetati accommodatissima in Cl. Muntinghii, Syll. Opusc. II. p. 240.

allegata rite interpretemur, et ad ea intelligenda, ſaepe ipſam V. F. historiam conſulamus, obſcura manent, quae hunc in finem a Chriſto, Apoſtolis et Euangeliſtis ſunt tradita (1).

In cenſum hic veniunt imprimis ea loca, quae vaticinationes exhibent, ſive de ſalute Israëlitarum et aliarum gentium, ſeu de Veteri Foedere abolendo, Novoque ſanciendo, ſeu aliis de rebus deinceps indicandis. Etenim, ut infra probare conabimur, valde omnino valent promiſſa et vaticinationes, quae in N. F. laudantur, utpote eventu comprobata, ad tuendam doctrinam Chriſtianam; quocirca quisque ſponte iam agnoſcet, in hac doctrinâ intelligendâ multum pendere ab iis locis bene perſpectis. Haec autem quandoquidem ex ipſis, in quibus referuntur, libris illuſtranda et interpretanda ſunt, praeclarus hinc eorum uſus elucet: nimirum, ut cuiusvis Prophetae dictum rite intelligere et defendere poſſimus, contextam, in quâ illud occurrit, orationem, ipſius vatis conſilium et conditionem, rerumque, in quibus verſabatur, adiuncta et ſimilia inquirere oportet. Quodſi negligamus, vehementer ne erremus, magnum est pericu-

lum,

(1) Vid. Zacharia, l. l. p. 139.

lum (1). Hinc enim factum arbitramur, quod nonnulla V. F. dicta, in Novo adhibita, olim ab interpretibus pro vaticinationibus perperam fuerint habita, cum a Christo et Apostolis tantum essent accommodata ad caussam suam illustrandam, commendandam et defendendam. Contra vero eidem caussae tribuendum est, quod multi, hodie praesertim, omnes de Messia et rebus ad eum pertinentibus vaticinationes proprie dictas negent, et oracula Prophetarum incerta ducant, Christumque adeo et eius legatos in his adducendis se accommodasse statuant ad Iudaeorum errores. Istis autem ipsa V. T. oracula reponenda puto, quorum nec sententia ad iustas Hermeneutices leges exigi, nec consilium Deo dignum laudari possit, nisi dicas, Christianae Ecclesiae tempora iis designata fuisse.

Quae hic de locis in N. F. e Veteri allegatis animadvertimus, eadem sunt dicenda, de universâ Christi Apostolorumque docendi methodo. Etenim perpetuo ad tempora referuntur N. Foederis lectores, quae in V. tantum F. sunt descripta, ad historiam in iis traditam, ad viros ex

(1) Conf. Zachariä, *Bibl. Theol. dritte auflage* 1786. § 38. p. 138.

ex iis tantum cognoscendos, et ad universam antiquitatem Hebraicam, cuius primarios fontes agnoscimus V. F. libros.

Ea scilicet in docendo fuit ratio a Christo et Apostolis observata, ut quotiescunque providentiae divinae documenta exhibere, et indicare, aut fidei pietatisque praecepta et exempla commendare vellent, ad fata et res gestas monstrarent hominum in V. F. commemoratorum, uti et universae gentis Israëliticae: ita Conservatorem scimus Pharisaeorum criminationi occurrisse, Davidis usum exemplo, ut doceret, cogente necessitate violari posse leges, cultum et cerimonias spectantes (1): eâdemque ratione, ut iustam suam defenderet causam in patriam relinquendo, et ad alios homines se conferendo, Eliam et Elisam vates divos in memoriam revocasse et proposuisse, ut qui similia egissent (2). Quis quaeso porro Paulli epistolae ad Romanos plurima intellexerit loca (3), nisi multa Israëlitarum fata, nisi promissa Patriarchis aliisque divinitus data, nisi multa alia ad tempora V.

(1) Matth. XII: 3, 4. coll. 1 Sam. XXI: 1. sqq.

(2) Luc. IV: 25—27. coll. 1 Reg. XVII: 7. sqq. 2 Reg. V: 1 sqq.

(3) Vid. imprimis c. IV. et IX.

V. Foederis ſpectantia cognoscat. Idem Apoſtolus in epiſtolis ſuis ad Corinthios datis Israëlitarum historiam, variis in locis, ut cognitam ſumit, et ex eâ multa ducit praecepta (1); atque huc etiam referenda est illa ad Galatas ſcripta (2), ut et Iudae (3), Petri (4) et Iacobi (5) epiſtolae, in quibus pasſim ad doctrinam, quam tradunt, illuſtrandam et defendendam exempla afferuntur, non niſi ex V. F. historiâ cognoscenda. Est denique praeclarum pro cauſſâ, quam defendimus, argumentum in epiſtolâ ad Hebraeos, cuius auctor dignitatem et praeſtantiam Christi, cum Moſe, Aarone et Melchiſedeco comparati; declarans, non tantum multa pasſim e V. F. Libris historicis in ſuum adhibet conſilium, verum praecipue in capite XI. eximiam virorum fide ſuâ et pietate illuſtrium copiam commemorat et quos ſequamur commendat; quod, ſi nudâ contenti ſimus horum commemoratione, perparvo, ſi vero eorum fa-

(1) Vid. imprimis 1 Ep. X: 1—11, et 2 Ep. III.

(2) Conf. c. III: 8, 22. IV: 22 ſqq. Vid. de hoc argumento A. van Hafencarſpel, l. l. § 15.

(3) Sect. 5, 7, 11.

(4) 1 Ep. III: 6. 2 Epiſt. II: 5, 6, 7, 8.

(5) II: 20—26. V: 10, 11, 17, 18.

fata et res gestas, conditionem et animi indolem uberius in V. F. Libris indagemus, permagno erit usui: atque ita omnes N. F. Libros perlustrantes ubique fere haereremus, nisi V. F. interpres nobis esset innumeris in rebus ad historiam antiquam sacram pertinentibus.

Praebent vero V. F. scripta insuper commodum quoddam eximium ad intelligendam doctrinam Christianam, in referendâ *universae antiquitatis Hebraicae* descriptione. Praeterquam enim quod N. T. refertum sit commemoratione rerum sacrarum, civilium et domesticarum pertinentium ad Archaeologiam tum Patriarcharum ante Mosem, tum veterum Israëlitarum, tum Iudaeorum post destructum regnum: praeterquam quod in vitâ Iesu et Apostolorum publicâ et privatâ plurima invenias, quae sine huius antiquitatis notitiâ nec recte explicari possunt, nec probari aut defendi: praeterquam denique quod innumera sunt dicta sententiaeque multae in N. F., quae hinc desiderant lucem, tropi et parabolae quam plurimae absque hoc subsidio haud rite intelligendae; multae insuper sunt partes doctrinae Christianae, quae hoc adiumento indigent, recte ut intelligi possint.

Hic primum nobis occurrit prisca regiminis forma theocratica, cuius propositum fuerat, ut veri Dei cognitio in unâ gente stabiliretur, donec

nec tempora venisſent opportuna, quibus ad gentes deferretur quascunque. Huius reginıinis theocratici, quod a multis habemus deſcriptum (1), ſolius religionis cauſsâ inſtituti ea fuit ratio, ut ſemel a Deo conſtitutum vel in crudelisſimis Israëlitarum vexationibus quantumvis obſcuratum, tamen perpetuo maneret (2): ita, ut modo divinâ ſapientiâ digno, et ad humani ingenii rationem accommodato primum ad unam tantum pertineret gentem, proque huius indole inſigne esſet magnificâ ſpecie externâ, deinceps vero opportuno tempore ad quascunque gentes extendendum, et absque ullâ pompâ ad genuinam ſuam indolem evocandum. Conſervatoris enim nostri tempore cum imperium Romanum longe lateque ſe extenderet per orbem terrarum, cumque ad maiorem, quam unquam antea ingenii cultum advenisſent homines, apti adeo ad praeſtantisſimam, quae obtingere posſet, religionem amplectendam, omne Israëlitarum aliarum-que

(1) Imprimis ab ill. Michaëlis, Iur. Moſ. § 35, ab Hesſio cum in peculiari libro de hoc argumento, tum in *Bibliothek der Heiligen Geſchichte*, II. p. 3 ſqq. a Muntinghio, *Geſch. der Menschh.* IV. p. 184 ſqq.

(2) Conf. Cl. Pareau, Antiq. Hebr. P. III. S. I. c. 4. § 42.

que gentium cesſabat discrimen, aeque ac cauſa, ob quam Moſaica illa inſtituta peculiaria data fuerant, obſoletum et quaſi detritum erat externum illud regiminis theocratici involucrum atque integumentum, et ſola eius interna indoles in plenam omnium lucem evocanda erat, multoque reddenda illuſtrior (1).

Quae cum ita ſint, perſuaſum cuique ſit oportet de uſu, quem antiquae illius theocratiae cognitio affert. Hinc igitur repetendae et exponendae difficiles alioquin explicatu formulae, quae ſaepe a Iohanne Baptista, Christo et Apoſtolis ſunt adhibitae *βασιλεία τοῦ Θεοῦ, τῶν οὐρανῶν, τοῦ Χριστοῦ* ſimilesque (2): immo univerſam religionem Christianam, ſi antiquam hanc Israëlitarum imperii formam obſervemus, rite demum intelligi et aestimari poſſe cum Hesſio (3), ſtatuendum cenſemus; multaeque ſunt dicendi formulae ex antiquâ ratione theocraticâ deſumtae et ad novam traductae, e quibus nonnulla hic adducere iuvat. Cum ſingularem

(1) Verba fere ſunt Cl. Pareau, Antiq. Hebr. l. l. § 47.

(2) Conf. Cl. Muntinghe, *Geſch. der Menschh.* X. pag. 176 ſeqq.

(3) Id paſſim demonſtratur in opere laud.: *Leer, Daden en Lotgevallen van onzen Heer.*

rem Israëlitarum curam haberet Deus eosque multis benignitatis suae documentis sibi addixisset, multis e calamitatibus liberasset; ad suum quasi proprium et peculiarem populum constituisset, Patris instar iis benignus; ipsi saepe vocabantur electi (1), liberati (2), vocati (3), procreati, progeniti (4), Dei domum, familiam constituentes (5), ab eo dilecti (6), sancti (7), ipseque Deus eorum pater existimabatur, cuius erant filii (8): quoties igitur Ecclesiae Christianae socios ἐκλεκτούς, κλητούς, ἁγίους, υἱοὺς τοῦ Θεοῦ, λαὸν Θεοῦ nuncupatos legamus, toties veram harum denominationum vim ignorabimus, nisi arctissimam cognoscamus coniunctionem, quae olim inter Iehovam et sanctum populum obtinuerit, et cuius similis est ea, quae nobiliori ratione cernitur Patrem

(1) Deutr. VII: 6, 7. X: 15. 1 Reg. III: 8. Ps. CV: 6. Ies. XLI: 8, 9.

(2) Deutr. XXXIII: 29. 2 Sam. VII: 23.

(3) Ies. XLVIII: 12. Hos. XI: 1.

(4) Deutr. XXXII: 18. Ies. XLIII: 1, 7, 15.

(5) 1 Chron XVII: 14. Ierem XII: 7. Hos. IX: 15.

(6) Ps. LX: 7. Ierem. XII: 7.

(7) Exod. XXXI: 13. Deutr. VII: 6.

(8) Exod. IV: 22, 23. Deutr. XXXII: 6, 19. Ierem. XXXI: 9. Ies. I: 2. XLIII: 6

trem coelestem inter, et veros Christi cultores (1). Quemadmodum regio Palaestina Israëlitis veluti Dei haereditas erat, atque adeo huius terrae possessio tranquilla et felicitas, quâ in hac frui licebat, dicebatur נַחֲלָה, ita κληρονομία in N. F. *felicitatem* indicat *per Christum hominibus partam* et κατ' ἐξοχὴν, futuram illam et aeternam (2). Est quoque huius regiminis antiqui cognitio, quâ idonei simus ad probe intelligendum triplex, quod dicitur, Christi munus. Uti nimirum antiqui Prophetae hoc habebant propositum, ut animos ad intimam Dei venerationem veramque probitatem revocarent, ita Iesus ad idem illud propositum suam doctrinam redegit, et ipsius doctrinae et miraculorum suorum excellentiâ *Prophetae* eiusque omnium maximi nomen merito sibi comparavit (3). Porro factâ semel per suum sanguinem humani generis expiatione, et ad ipsam supremae maiestatis sedem coelestem delatus in omnium sine discrimine gentium salutem

(1) Conf. Cl. Muntinghe, *Gesch. der Menschh.* IV. not. 132. et Zachariä, *Bibl. Theol. vierter auflage, II. Theil Vorrede.*

(2) Ephes. I: 14, 18. Col. III: 24.

(3) Matth. III: 11. XXI: 11. Luc. VII: 16.

tem ſummus idemque ſempiternus *ſacerdos* merito habetur, cuius levem quandam imaginem partim adumbrarunt Pontifices a Moſe divinitus conſtituti (1), et in quem omnis vis dignitatis Pontificalis, quae magis magisque iam decreverat, est translata. *Regia* denique dignitas eodem modo hinc explicanda; uti enim prisci reges Israëlitici Iehovae locum tenebant in uno populo ad religionem componendo, ita ille Iehovae vicarius incomparabilis imperium adminiſtrabat ad religionem ſpectans omnibus populis conceſſam (2).

Ne autem diutius, quam par est, in hoc verſemur argumento, ad alias antiquitatis Hebraicae partes progredi, et, ceteris misſis, cultum Leviticum ſpectare malo. Gravisſimus enim doctrinae Christianae locus de expiatione per Christi mortem haud recte intelligi potest, absque ſacrificiorum V. F. intelligentiâ. Saepe enim N. F. ſcriptores de eâ loquuntur dictis figuratis ex antiquo hoc cultu explicandis. Saepe cum Iudaei ſacrificiis ſibi tranquillitatem, munditiem aditumque ad Deum reparare ſoliti esſent, ista vero disciplina omnis abrogaretur, in

(1) Hebr. II: 17. IV: 14—16. V: 1—10.

(2) Conf. Cl. Abreſch, Paraphr. Epiſt. ad Hebr. III. p. 278—294.

in Apostolorum scriptis et imprimis in epistola ad Hebraeos instituitur mortis Christi cum victimarum piacularium immolatione comparatio, unde ipse ἀμνὸς (1), προσφορὰ καὶ θυσία (2), τὸ πάσχα (3), ἱλασμὸς (4), ἱλαστήριον (5), ἱλάσκεσθαι (6), ἀναφέρειν ἑαυτὸν (7) dicitur; atque insuper eum inter et summum Pontificem indicatur similitudo, quae quaerenda est „ in offeren„ dis donis et victimis, expiandis peccatis, pur„ gandis hominibus, adeundo Deum, interceden„ do, benedicendo" (8); et sicut sacrificiis sub Veteri Foedere Deo oblatis purgati, denuo Deo consecrati, καθαριζόμενοι et ἁγιαζόμενοι, reconciliati, ἱλασκόμενοι et veniam peccatorum et ἁμαρτίας ἀθέτησιν nacti dicuntur, ita etiam pluribus N. F. locis homines per Christum ἀπολύτρωσιν ἔχοντες et δικαιούμενοι vocantur. Quae si rite intelligantur et inter se conferantur, facile etiam per-

(1) 1 Petr. I: 19. Ioh. I: 29.
(2) Eph. V: 2.
(3) 1 Cor. V: 7.
(4) 1 Ioh. II: 2. IV. 10.
(5) Rom. III: 25.
(6) Hebr. II: 17.
(7) Hebr. VII: 26.
(8) Conf. C. D. Beckii Comment. Decret. Relig. Christ. c. VII. § 6. n. 15.

perſpicietur, quo ſenſu Conſervator ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων et ἀντὶ τῶν ἀνθρώπων mortuus esſe ſtatuatur. Iam vero quinam imprimis ſint perpesſionum mortisque Ieſu Christi ad veniam peccatorum nostrorum effectus, dubito an rite intelligas, niſi conſideres Legis Moſaicae oeconomiam. Quam ſi attente inſpicias, videbis, nullum fuisſe ſacrificium piaculare, ac pro reatu, in quo non esſet notio quaedam *ſubſtitutionis vicariae*, hactenus, ut victima mactata e conſtitutione divinâ intercederet, quo ſontes Israëlitae veniam peccatorum conſequerentur. Cum igitur Deus olim poenas commeritas remiſerit pie ſacrificantibus; nunc autem Conſervator noster ſacrificium piaculare pro nobis oblatum dicatur, haud amplius haerebimus in eius perpesſionibus vicariis aestimandis (1).

Quandoquidem vero ſingulis quaestionis propoſitae partibus locus ſit cedendus ſatis amplus, a pluribus exemplis afferendis abſtinendum est; quam ob causſam praecipua enumerare lubet, quae ex antiquitate Hebraicâ ad Scriptorum N. T. intelligentiam multum conducunt.

E *rebus ſacris* imprimis in cenſum veniant oportet perſona et auctoritas Moſis legislatoris ceterorumque vatum Israëliticorum; Sacerdotium

(1) Conf. Muntinghe, *Geſchied. der Menschh.* IV. p. 295 ſqq.

um Melchifedeci et Aaroniticum; ἀρχιερεὺς et facerdotes gregarii cum ministris Leviticis; doctores publici; legis interpretes, fcholae, discipuli; tabernaculum et templum, eorumque partes et fuppellex varia, item templi στρατηγὸς; cultus in eo facer, facrificia, ferta, libamina, fuffitus, lustrationes, primitiae, preces, vota, iusiurandum; dies festi, anniverfarii: Pafchatis, Pentecostes, Encaeniorum, inftaurati templi; menftrui: novilunia; hebdomadales: fabbathi, ieiunii; fynedrium magnum; fynagoga, προσευχὴ earumque ministri.

E *rebus civilibus* memoratu digna funt: conditio reipublicae et administratio variis temporibus; cives nati et alienigenae; magistratus; reges; duces; iudices; regum electio, inauguratio, unctio, auctoritas; iudiciorum forma; leges; confuetudines; poenae; fupplicia caet.

E *rebus privatis:* matrimonium; defponfatio; nuptiae; potestas maritalis; ius leviratus; divortia; repudia; puerperium; liberorum educatio; potestas patria; filii primogeniti; υἱοθεσία; haereditas; testamenti factio; fervi; manumisfio et fimilia plura.

Horum omnium cognitione nobis opus est, ut vitam Iefu et Apoftolorum, ut multa dicta multasque fententias, ut haud paucos tropos et parabolas, quibus fuam tradere fole-

 bant

bant doctrinam, ut denique ipsius huius doctrinae partes quasdam et Christianae Ecclesiae moderationem ab Apostolis institutam accommodate ad veteris synagogae formam intelligere, probare aut defendere possimus (1).

§ III.

Usus antiquae, quam tradunt V. F. Libri, Israëlitarum doctrinae ad intelligendam doctrinam Christianam.

Quae huc usque pro caussâ nostrâ defendendâ in

(1) Conf. I. A. Turretini Oratio de Sacrarum antiquitatum usu multiplici atque praestantiâ in Operum Volumine III. pag. 353 sqq. et T. H. van den Honert, in Oratione de necessariâ ad recte intelligendam Sacram Scripturam Antiquitatis Hebr. cognitione. — Dissert. Histor. pag. 257 sqq. ubi antiquitatis huius usus praecipue cerni statuitur „ in „ dignoscendo et aestimando pretium, quo Christus „ nos sibi vindicavit; fidem, quâ foedus cum Deo „ pangimus; cultum, quem Deo ex pacis foedere de„ bemus; vocationem, quâ nos ex tenebrarum eruit „ potestate Deus; fiduciam, quam in eâ Dei vocatio„ ne repositam habemus; nostram ad Ecclesiam ag„ gregationem; Ecclesiae propagationem ad gentes, „ nostrum denique omnium glorificationem in coelo;" quae singula expressa esse in N. T. verbis et dicendi for-

in medium prolata ſunt, gravia licet et magni ponderis, firmantur tamen quam maxime auxilio eorum, quae tertio eodemque ultimo loco exponere conabimur. Ipſam ſcilicet doctrinam divinam, quae tradita est priscis Israëlitis a Moſe et vatibus, et quam exhibent libri, quorum uſum deſcribimus, cognoscendam esſe omnino ad rite intelligendam illam ampliorem, quam Domino nostro debemus, affirmare haud dubitamus.

Hoc autem ut probemus, *primum* ſpectandi ſunt N. T. libri absque hoc adiumento difficiles intellectu, *deinde* vero attendenda est indoles atque natura Christianae doctrinae Veteri Moſaicae multis in partibus convenientis.

Ad fontes doctrinae Christianae, ſive libros N. F. bene intelligendos, ſaepe requiri cognitionem veteris Israëlitarum doctrinae, ratio probat, quâ Christus et Apoſtoli in docendo verſantes describuntur. Audimus enim in Euangeliis ſaepe Iudaeos loquentes, interrogantes, disputantes, nec tantum doctiores, ſed etiam plebeios, quorum ſententiae et conſilia aut probantur, aut reiiciuntur (1). Ipſos etiam Christi discipulos,

an-

formulis ab antiquisſimis Israëlitarum ritibus et conſuetudinibus deſumtis, probatur.

(1) Conf. Beckii, Comm. laud. P. I. c. II. § 3. p. 61.

antequam melius esſent edocti, quam plurimis popularium ſuorum opinionibus videmus imbutos; et quae postea ab his ſcripta ſunt ad docendos et refellendos Iudaeos, cum in Euangeliis, tum vero maxime in epiſtolis, nominatim Paullinis, demonſtrant nobis quaedam vestigia vel rectae fidei vel errorum, quae tamen, ut recte diiudicentur, luce aliquâ indigent aliunde quaerendâ. Niſi igitur Christianorum perſuaſio, ſive recta ſive perverſa, ἡ ἀπιστία et ſuperſtitio, errorum fontes et modi cum rectâ conferantur veterum Israëlitarum fide, Moſis vatumque auctoritati ſuperſtructâ, niſi hinc cognoscamus, quae Iudaei Christi et Apoſtolorum aetate recte crediderint aut perverſe opinati ſint, Conſervatoris nostri, eiusque legatorum inſtitutio nec rite capi, nec aestimari potest, quoad illa rectam Iudaeorum fidem confirmat, aut perverſis eorum opinionibus est oppoſita.

Verum enimvero antiquae illius doctrinae e Veteri Codice petendae notitia quam utilis, immo quam necesſaria ſit Christianis, ut ſuam, quam profitentur religionem cognoscant, Veteris non minus quam Novi Foederis conſideratio indicat. Religio enim Christiana non penitus aut antiquasſe, aut abrogasſe Moſaicam est dicenda, cum multo magis hanc conſummaverit; unde merito antiquae illius vocanda est alia forma a ſin-

ſingularibus nimirum purgata, quae aetas et gentium ratio flagitabant, quin ad maius perfectionis culmen evecta. Non enim niſi pedetentim et gradatim patefacta est inſtitutio divina, ratione imprimis habitâ ingeniorum et conditionum diverſis temporibus valde diverſarum: idemque Deus, qui post primorum parentum delictum ipſis ſuam demonſtravit benignitatem, quo vellet miſeris ſuccurrere, malefacta condonare, ſontibus ignoscere eosque in virtutis viam deducere ad veram felicitatem conſequendam; idem qui neglectâ hac patefactione Abrahamo, Iſaaco et Iacobo novas dedit promisſiones et inſtitutiones, addito circumſectionis ritu, quo a ceteris gentibus ſeiungerentur; qui horum posteris deinceps mirifice liberatis, miniſtrante Moſe, novam religionis excolendae vitaeque in ſocietate civili inſtituendae normam dedit ac legem ad conditionem eorum et ingenia accommodatam, praeparandisque hominum animis, ad meliorem religionem amplectendam aptis; qui huic rei proſpexit misſis identidem viris praeclaris, quales fuere Samuel, Davides, Salomo, Elias, Eliza, Ieſaia, Ieremia, Daniel aliique, multum inſtitutione ſuâ conferentibus ad conſervandas et propagandas uberiores de religione notitias, imprimis ad fovendam ſpem de ſalute hominum a benignitate divinâ ſperandâ, idem tandem tem-

po-

pore huic rei opportunisſimo Filium ſuum promisſum miſit, qui novam religionis formam induceret eamque ad omnium hominum uſum accommodaret. Cum igitur hanc patefactionem divinam, quâ a primis inde temporibus Deum hominibus ſuccurrisſe certum est, in libris N et V. Foederis inveniamus, praeclara inter utrosque harmonia animadvertenda est (1), eorumque unam mentem unumque conſilium agnoscimus; ſpectant uterque perveniuntque, quamvis itinere paullum diverſo, ad eandem metam, unus atque idem utriusque finis atque exitus idem; quare merito Christum habemus testantem, ſe non venisſe abrogatum doctrinam, quam Moſis Prophetarumque libri continent, ſed ut maiorem illis auctoritatem conciliaret (2).

Semina igitur religionis Christianae per V. F. ubique ſparſa cum ad veram Christianae doctrinae notitiam cognitu ſint necesſaria, ſponte hinc apparet librorum V. F. uſus: regunt ſcilicet nostrum de Christianae doctrinae naturâ et indole iudicium, ita ut eam haud vocemus novam, ſo-

(1) Conf. imprimis Y. van Hamelsveld, in libro laud. *Het Evang. volgens het O. T.*

(2) Matth. V: 17. et Kuinoelius, ad h. l. conf. et Clar. Muntinghe, *Geſchied. der Menschh.* IX. not. 66.

ſolamque reiectâ Moſaicâ veram; ut pretium quod tamen ei prae anteriore conſtet, rite aestimemus, de quo infra; ut vim denique et pondus argumentorum pro illius veritate et auctoritate e vaticinationibus deſumtorum probe cognita habeamus et intelligamus, quid ſibi voluerint Ieſus eiusque legati quando ad V. F. inſtituta, praeſignificationes et ad conſenſum antiquae huius doctrinae cum ſuâ provocarunt.

Propoſita vero haec nostra ſententia de utriusque Foederis indole et de V. T. hinc ortâ utilitate firmatur Domini nostri et Apoſtolorum in docendo conſuetâ ratione. Multa enim ſumſerunt, ut vera et cognita, quae in ſacris tantum his libris uberius fuerunt tradita et ſine iis certe cognosci non posſunt, ac ſaepe etiam nonnulla ex iis tradiderunt, quibus luculentiorem rerum divinarum patefactionem adiunxerunt et accommodarunt (1).

Ut

(1) Legantur hic quae ſcripſit Clar. W. A. van Hengel. „ *Er heerschte in de Schriften der Evangelisten en Apostelen een geest van geloof aan de boeken des Ouden Testaments. Zij veronderſtellen, in alle hunne Schriften, het aanzijn des Ouden Testaments, en deszelfs eerbiediging bij hunne lezers. Hunne verhalen van Goddelijke openbaringen, door dromen en gezigten, van Engelen - verſchijningen,* „ *van*

Ut paucis exemplis haec probemus, primum attendendum est ad doctrinam de Deo non nisi uno rerum omnium procreatore et moderatore. Haec per universam Christi eiusque legatorum institutionem sumitur, ut pote aliunde satis cognita ac defensa. Sunt autem V. T. scripta, quae primarium illud Mosaicae aeque ac Patriarchalis religionis caput singulis fere paginis tractant, probant, defendunt. Sunt haec scripta, quorum consilium in eo est, ut rationes doceant, quibus Deus

„ *van wonderen en voorzeggingen, hunne onderwijzingen in de Godsdienst- en Zedeleer zijn alleen voor zulken ingerigt, die uit de werken van Mozes en de Profeten genoegzame kennis dragen, wat door het een en ander bedoeld wordt. Zij verklaren daarom ook Gods deugden niet, ja, zij bewijzen niet eens zijn bestaan, het welk in het Oude Testament ook wel niet wijsgeerig beredeneerd, maar door de sterkste proeven buiten tegenspraak gesteld was. Hoe zouden zij ook anders hebben kunnen handelen? Zij schreven niet alleen naar de bevatting van het algemeen, zij waren niet alleen vreemd van wijsgeerige redeneering: maar zij waren mannen van Joodsche afkomst, die nooit geheel buiten het Oude Testament denken konden.*" *Verhandeling over den invloed van de karakters en denkwijzen der Evangelisten en Apostelen op derzelver Schriften in* Soc. Teyl. Tom. XXVII. pag. 41.

Deus veram ſui notitiam inter homines conſervari curaverit, et quae praeclaras dant divinae naturae deſcriptiones, ad illustranda, quae in Christianâ doctrinâ de Deo traduntur, perquam idoneas (1).

Ad alias cognoscendas naturas, ratione et libertate praeditas, quas, hominibus ſuperiores, memorant N. T. Scriptores, haud quoque contemnenda est V. T. auctoritas, quatenus angelorum conditionem et munera quodammodo ſpectanda praebent (2).

Quaecunque Conſervator noster, et Apoſtoli docuerunt de humani generis origine, praeſtantiâ, lapſu et reſtitutione ſperandâ, eiusmodi fuere, ut multa antiquae Israëlitarum doctrinae loca omnibus nota ponerentur: veluti hominis a Deo nobilisſimum in finem procreatio, cuius in Moſis ſcriptis, in vatum divorum praeceptis, im-

(1) Vid. Cl. Muntinghe, l. l. III. p. 235. IV. p. 145.

(2) „ *De moeijelijkheid van het onderzoek naar de* „ *leer des N. T. (aangaande de Engelen) wordt in eenige* „ *opzichten verminderd door de vergelijking van het geen* „ *in de boeken des Ouden V. van Engelen en derzelver* „ *verſchijningen geleerd en verhaald wordt.*" Sunt verba Cl. I. Heringa, in diatr. *over de Engelen* Soc. Hag. 1810. p. 22, 23.

immo per universum V. T. uberior habetur expositio (1): hominum depravatio, ac lapsus, cuius historia a Mose fuit conservata (2) cuiusque veritati omnium V. T. Scriptorum dicta et praecepta, et imprimis sacrificiorum piacularium institutio fuerunt superstructa (3), et quam confirmarunt Dominus noster et legati eius (4): persuasio denique de favore divino in remittendis criminum delictorumque nostrorum poenis, fidenter sperando resipiscentibus et ad clementiam Dei confugientibus (5). Haec et alia eiusdem generis documenta satis superque probant usum religionis doctrinae, quam V. F. libri tradunt, ad intelligendam doctrinam Christianam.

Itaque, sive spectemus dictionis similitudinem

(1) Vid. Cl. Muntinghe, l. l. IX. p. 118.

(2) Hanc historiam non esse allegorice interpretandam tuto statuimus post Doederleinium, Theol. Chr. II. § 178. obs. 1., Abbadem Guenée, *Brieven tegen eenige Jooden*, IV. p. 75—95, Hamelsveldium, *Bijb. verd.* II. 30.

(3) Vid. Muntinghe, l. l. IX. p. 121—123.

(4) Ioh. VIII: 44. 2 Cor. XI: 3, 14. Rom. V: 12—21. 1 Cor. XV: 22.

(5) Gen. XV: 6. Ps. XXXII. alibi, e N. T. Rom. III: 21. IV. Gal. III. Hebr. XI.

nem qualis in V. et N. T. est obſervanda, ſeu rationem, quâ in docendo verſati fuere Christus eiusque discipuli, ſeu denique utriusque Foederis conſenſum, veramque indolem contemplemur, intelligere non posſumus Christianam doctrinam absque librorum laudatorum adiumento.

SEC-

SECTIO SECUNDA.

USUS LIBRORUM VETERIS FOEDERIS IN DOCTRINA CHRISTIANA AESTIMANDA.



§ I.

Christiana doctrina, consummatio antiquae institutionis.

Quae iam exposuimus ad probandum institutionis, cuius Christum veneramur auctorem, veram indolem et naturam haud intelligi posse absque librorum V. F. notitiâ, quodammodo ad secundam nostrae quaestionis partem solvendam faciunt omnino. Si enim cuiuscunque rei pretium rite haud aestimari possit, quamdiu vera illius conditio ac natura ignoretur, omni profecto caret dubio, Christianam doctrinam, ad cuius intelligentiam necessarios demonstravimus V. F. libros, horum etiam indigere usu, ut quo par est pretio aestimetur. Cum vero hac in causâ felicius et universo, quod tractatur, argumento con-

conventientius progresſuri videremur, ſi per partes eiusmodi librorum uſum deſcribentes uberius divagaremur, multa quae a primâ demonſtratione haud aliena viderentur, huic loco ſervare maluimus, ita, ut hic dicenda magnopere conducant ad probandum memoratum uſum tam in intelligendâ, quam imprimis in aestimandâ doctrinâ Christianâ.

Et omnium inſtar praeclarum hic apparet V. T. commodum, quod huius ope caveamur, ne cum multis, hodie praeſertim, viris doctis humiliter nimis de Christianâ doctrinâ cogitemus. Nimirum haud pauci ſunt et fuerunt, qui Ieſum multis efferentes laudibus, comparatione cum antiquae aetatis philoſophis inſtitutâ, eum ſtatuant omnium doctisſimum hominem, qui in ſalutem generis humani optimam tradiderit doctrinam nunquam auditam, quae morum praeceptis abſolvatur, atque adeo perhibeant, parum ad rem facere, quid de Ieſu Christi perſonâ eiusque munere ſentiamus, dummodo Christianam doctrinam tanquam ſalutarem amplectamur eique fidem habeamus atque Ieſum doctorem noſtrum, magistrum et praeceptorem veneremur. Quidquid vero isti in laudem horum praeceptorum eorumque fundamenti, rationis et efficacitatis, in laudem tum eximii illius doctoris, vitâ et moribus exempli inſtar probatisſimi, tum eius legato-

torum vestigiis eius insistentium dicant, multum tamen de honore summo, qui ei tribuendus est, detrahunt; quid? quod iidem illi, ut opinionem, quâ semel imbuti sunt, tueantur ac defendant, ad ea fugere cogantur, quae summis laudibus ab ipsis praedicato magistro valde sunt indigna. Cuius rei satis luculenta indicia nobis praebuit tristis experientia, multis nimirum Christi doctrinam aut ad opiniones Iudaeorum erroneas accommodatam, aut cum iis erroneam statuentibus.

Perversae autem istae de Christianae doctrinae naturâ et indole, ab aliis satis refutatae, praecipue debent suam originem utriusque Foederis ignorantiae librorumque V. F usui neglecto. His enim praeeuntibus persuasum nobis fit de religione Christianâ non morum tantum praeceptis absolvendâ neque novâ, verum eiusmodi, ut consummatio sit dicenda institutionis antiquae, quam Deum pedetentim ac per gradus quosdam perfecisse tradunt V. F. libri. Huius itaque religionis auctorem ab initio iam temporis annuntiatum et deinceps tanquam Messiam venturum depictum agnoscimus divinâque providente curâ variis aetatibus annuntiatum, Adami iam tempore in promissis de salute hominum restituendâ, quibus spes omnium subsequentium nitebatur; in Abrahami eiusque posterorum εὐλογίᾳ, quâ omnes

nes orbis terrarum gentes forent beatae; in seiunctione populi Israëlitici; in foedere Sinaïtico et in institutione divinâ Mosaicâ, in perspicuis magis promissis, quibus Spiritus Dei Davidem ceterosque Prophetas beavit; in institutis Leviticis, ita ut vere locum habuerint typi sive imagines rerum depictae alias res significantes, sive *reales* in rebus sacris, seu *personales* in personis; in gente denique Israëliticâ ita ducendâ, ita educandâ, ut enasceretur futuri Liberatoris desiderium et daretur opportunitas, doctrinam Christi longe lateque disseminandi. Idcirco sacra V. F. historia docet, universae patefactionis divinae eundem esse auctorem idemque consilium, ut nempe genus humanum restitueretur et salutem recuperaret, atque eum in finem pro hominum ingenio et captu gradatim πολυμέρως et πολυτρόπως (1) versatum fuisse Deum. Unde efficimus, adhibitis V. F. libris, rite demum aestimari posse doctrinam Christianam, quia horum auxilio, cognoscitur, quippe quae consummatio sit antiquae institutionis patriarchalis et mosaicae, atque adeo prae utrâque longe eminens (2).

§ II.

(1) Ep. ad Hebr. I: 1.

(2) Conf. Muntinghe, operis laudati, Tom. IV. p. 13 sqq.

§ II.

Christianae doctrinae praestantia prae antiquâ Mosaicâ per partes indicata.

Ut vero luculentior fiat huius rei certitudo, per partes indagemus, quaenam de antiquâ institutione tradant libri V. F., ut, continuâ institutâ comparatione cum ampliore Christi doctrinâ, huic prae illâ palmam tribuamus.

Christianae religionis conditor.

Primum igitur quinam fuerit legatus divinus, quo Deus sub Veteri Foedere usus sit, videamus: Moses scilicet voluntatis divinae interpres et *oeconomiae legalis inductor.* Praeclara sunt profecto quaecunque de hoc legislatore, vate ac legato divino tradiderunt V. F. libri, ita, ut nulla de auctoritate, quâ gavisus fuerit, divinâ dubitandi remaneat caussa. At vero contemplemur et eum, quem sibi similem iam ipse annuntiaverat Moses. Eximium nobis praeeuntem habemus epistolae ad Hebraeos auctorem qui dignitatem et praestantiam Christi probaturus, eam declarat per comparationem Mosis, cui quidem Iesus non munere solum ac fide fuerit par (1), ve-

(1) Cap. III: 1, 2.

verum longe praestiterit, quippe et universae civitatis divinae tam veteris quam novae parens et Conservator (1), et quatenus Filius Christianae nominatim constitutus Dominus (2). Quantopere porro Mosi praestiterit novae illius institutionis conditor, ita demonstrant testimonia, quae ipse de se dedit, ut ea nominasse suffecerit. Hisce enim persuasum nobis fit de divinâ Christi naturâ, unde maius etiam eius dictis et praeceptis accedit pretium. Ipse enim ne divina auctoritas, quâ doctoris munere se fungi dicebat, eadem haberetur, quam vatum antiquorum, ad suam saepe, ante quam hac in terra degebat, vitam (3), et arctissimam cum Patre coniunctionem (4) provocabat atque eam ob caussam voluit, ut sua doctrina pro ipsius Dei oraculis haberetur (5).

Christianae religionis doctrina.

Magis vero manifesta fit Christianae doctrinae prae-

(1) Ibid. sect. 3, 4.

(2) Ibid. sect. 5. Conf. Abresch, in Paraphr. ad has sectiones.

(3) Matth. XI: 27.

(4) Ioh. X: 38. XIV: 10.

(5) Ioh. VII: 16. Conf. Muntinghe, l. l. IX. p. 256, 257.

praeſtantia, quo magis ipſius argumentum diiudicemus, quod *amplitudine* ſuâ et *perſpicuitate* longe antecellit cuicunque antea divinitus datae patefactioni. Quod cum ſtatuamus et probare conemur, longe abest, ut ſuperioribus Dei inſtitutionibus perfectionis laudem detrahamus, contra divinam in iis agnoscimus ſapientiam, quae ſemper ad hominum indolem ſuam accommodaverit doctrinam, atque hinc in infantiâ generis humani pauciora at tenuiora patefecerit capita, auctiora et uberius expoſita et puriora per temporum decurſum (1).

Quae igitur multis iisque ſplendidis occupata erat ritibus religio, hominibus accommodata fuit, qui, rebus ſub ſenſus cadentibus facile movendi, nondum ad ſimplicem Dei cultum idonei erant erectius postulantem ingenium: qui porro eam ad idolorum cultum contraxerant propenſionem, quae ipſos ad ſimpliciorem cultum ineptos atque hebetes reddebat: qui denique ex divino omnium hominum felicitatem ſpectante conſilio ab aliis gentibus ſeiungendi erant, donec opportunum advenisſet tempus, quo ad omnes ſine discrimine gentes transferretur divina. quâ beati ſumus, patefactio.

Chris-

(1) Vid. Doederlein, Inſtit. Theol. Chriſt. Proleg. c. I. § 4. obſ. 5.

Itaque Christiana de Deo doctrina, Mosaicae licet convenientissima, haud tamen iis circumscripta erat finibus, quos postulabant Israëliticae gentis antiquae conditio et aliorum populorum de Diis opiniones perversae, quibus ea erat opponenda (1). Prae Mosis divinorumque vatum de Deo eiusque naturâ enuntiatis eminet praeclara haec doctrina, quam tradidit Dominus noster: *πνεῦμα ὁ θεός· καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν.* (2) Qui autem in V. F. pater tantum Israëlitarum eorumque numen tutelare dictus erat (3), omnium cuiuscunque gentis hominum pater in Christi Apostolorumque institutione vocatur (4). Mitior etiam erat perpetua huius patris descriptio, quam in V. F. libris: nam qui divinâ suâ sanctitate, iustitiâ ac maiestate Israëlitis proponebatur Deus, idem pietate suâ, amore et clementiâ insignior apparet, Filio suo misso ad homines con-

(1) Conf. Hefs, *Leer, Daden en Lotgevallen van onzen Heer*, Tom. I. p. 150.

(2) Ioh. IV: 24. et Muntinghe, *Gesch. der Menschh.* IX. p. 101.

(3) Exod. IV: 22. 2 Sam. VII: 14. Ps. LXXXIX: 27. CIII: 13. Ies. LXIII: 16.

(4) Luc. XV: 11 sqq. et Muntinghe, l.l. IX. p. 96—100.

conservandos et cum Deo placandos, ita, ut ante eius adventum nemo Deum et opus eius salutare Deique gratiam ita habuerit cognitam uti filius istud opus, illam Dei gratiam exposuit. Ab hac praedicandâ suam inchoavit Iesus, inchoarunt Apostoli tradere doctrinam. Ad Deum, veluti ipsum amorem, reducere homines, iisque omnium peccatorum expiationem absque donis et sacrificiis, solâ fide eius promissa amplectendo, annuntiare instituerunt. Hinc omnem eius cultum non servorum, sed unius Patris liberorum instar exercendum, omnes qualescunque homines, ut fratres conspiciendos, et quas fundimus preces sapientiae et virtutis causâ ab eo exaudiendas esse docent rerumque adversarum, quibus saepe pii homines laborant, rationem et utilitatem ostendunt (1); ne dicam eximia divinae Providentiae monimenta, quae retulerunt ac celebrarunt certatim V. F. auctores, longe esse postponenda nonnullis, quae Christi doctrina huius argumenti praebuit, testimoniis (2), ac potentissimam rerum conservationem et gubernationem, quam vates divi sive ad potentiam Dei maximam decla-

(1) Conf. Cl. W. A. van Hengel, in Diss. Leg. Teyl. XXVI. p. 238, 239.

(2) Matth. VI: 25—34.

clarandam (1), sive ad fiduciam certissimam efficiendam (2), celebrarunt, multo clarius ad virtutis gravitatem stabiliendam explicuisse et confirmasse Christum eiusque discipulos (3).

Uti autem Christiana doctrina *ampliores* ac *suaviores* de Deo praebuit notiones, ita imprimis *perspicuitate* gaudet insigni, quam frustra in V. F. libris quaesiveris. Christus nimirum qui plus semel se vivam Patris sui imaginem declaravit (4), adspectabilem hominibus praebuit perfectionum divinarum imaginem; qui enim ante mundum conditum Patri coniunctissimus fuit et divinae consors naturae ac praeterea humanam sibi adiunxit naturam eamque omnis expertem vitiositatis, inter homines degens, ex hominum genere solus non conspiciendas Dei perfectiones propius ad hominum sensus admovere et hominibus quantum hoc liceret adspectabiles reddere potuit (5).

Mul-

(1) e. c. Ies. XLIII: 13 sqq.

(2) e. c. Ps. XCI: 1 sqq.

(3) e. c. Matth. X: 19 sqq. Act. XVII: 24. Rom. VIII: 28 sqq. Conf. Beck, Comm. Decret. relig. Christ. p. 370.

(4) Ioh. XII: 45. XIV: 7—11.

(5) Conf. Cl. M. Siegenbeek, in Sermone facto ad 2 Cor. IV: 6.

Multo etiam evidentius in doctrinâ Christianâ enuntiatur locus de Deo, Patre, Filio et Spiritu Sancto, qui si vel in V. F. inveniri iudicetur, *paullo* tamen *obscurius* proponitur (1). „ Quod ex ipso Dei quandam huius mysterii partem patefacientis consilio facile colligitur. Praecipuum enim hoc consilium ad intelligentiam redit doctrinae de liberatione generis humani (2). Huius igitur notitiarum gradus semper comparati fuerint necesse est, ad gradus notitiarum doctrinae liberationis. Unde efficitur, non posse in libris aetatem Christi et Apostolorum antevertentibus tam luculentam huius doctrinae reperiri expositionem ac quidem postea (3)." Accedit, quod quaecunque de doctrinâ salutis vel plane non, vel obscurius patefacta, vel etiam praedicta erant, apertis verbis significata atque in luce collocata sint. Qui enim variis modis adumbratus erat servator sub V. F., idem e coelestibus regionibus in hanc demissus terram, uberius de felicitate omnibus destinatâ gentibus, et de regno Dei exposuit (4), omnes-

(1) Confess. Belg. Art. 9.

(2) Conf. Cl. Muntinghe, Parf. Theol. Christ. Theor. edit. 2ae P. II. § 136.

(3) Conf. Cl. Muntinghe, ibidem § 150.

(4) Conf. Morus, Comment. in Epitom. Theol. IV. C. 2. sect. 2. § 2.

nesque antea de se datas praesignificationes implevit, cui igitur cesserunt, quotquot iam diu exhibitae erant σκίαι. Hic autem cum legatione sibi a Patre traditâ perfunctus, perpessiones ac mortem ipsam subiisset, humanae naturae praestantia ac felicitatis recuperandae spes quantopere hinc amplificata sint, universi N. F. docet ratio. Etenim, ut argumentum sequar epistolae ad Hebraeos datae, Christiana doctrina magnopere valet ad peccatorum expiationem et augendam animi tranquillitatem (1), quibus haud adeo sufficiebant sacrificia et lustrationes in constitutione Mosaicâ (2), a mortis metu nos liberat, quae Iesu morte est superata (3), nosque immunes reddit a Iudicis supremi poenis (4), nobisque persuadet de coelesti ineundâ felicitate (5), quae omnia valde demonstrant praestantiam doctrinae Christianae prae Mosaicâ. „Quodsi enim munus tradendi doctrinam, quae poenas nuntiat, splendidum fuit, cuius rei documentum fuit splendidus per tempus breve vultus Mosis, quanto illustrius munus sit oportet, quod

(1) Hebr. IX: 11—15. coll. V: 9. VI: 18.
(2) Hebr. IX: 9. coll. X: 1, 4, 11.
(3) Ibid. II: 14, 15.
(4) Ibid. VII: 25. coll. IX: 24.
(5) Ibid. X: 19 sqq.

quod in incolumitate, ſive veniâ peccatorum (*δικαιοσύνη* oppoſita *τῇ διακρίσει*) nuntiandâ occupatur et religionem perennem tradit?" (1)

Vitae porro futurae notio, quam ſupra in libris V. Foederis inveniri defendimus, dilucidior, argumentis firmior et ad popularem cognitionem accommodatior apparuit in doctrinâ Christianá (2). Christus nimirum *φωτίσαι ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν* dicitur *διὰ τοῦ εὐαγγελίου* per doctrinam ſuam (3), ac omnino cum ſalutem, quam allaturus erat, futura potisſimum tempora ſpectare doceret, de vitâ post mortem apertius expoſuit: et quae vates antiqui de mortuorum reſurrectione in vaticinationibus praeſertim monuerant modo obſcuro, luce clarius a Christo ſunt illustrata et confirmata, ipſiusque in vitam reditus pignus nobis est certisſimum futuri aliquando nostri in vitam reditus (4); eiusque in coelum aſcenſio nobis perſuadet, et nos, quo-ad

(1) 2 Cor. III: 5—11. Vid. Doederlein, l. l. Proleg. C. 1. § 4. obſ. 5.

(2) Conf. Doederlein, l. l. Lib. II. P. I. C. 2. ſect. 2. § 215. et Beckii, Comment. Decret. relig. Chriſt. p. 845.

(3) 2 Tim. I: 10.

(4) Rom. VIII: 11. 1 Cor. XV: 12, 13. Conf. Muntinghe, Theol. Chriſt. pars Theor. P. II. C. 5. ſect. 1. § 237.

ad per fidem cum Iesu Christo coniuncti sumus, eiusdem aliquando beatitatis consortes fore (1). In universâ igitur Christi doctrinâ, fundamenti instar, prodit persuasio de vitâ futurâ, ut merito testetur Paullus (2), *si vitae tantum huius beneficia exspectamus a Christo, miserrimi omnium iudicamur*, quod sane non ita dicendum de doctrinâ V. F. librorum (3).

Christiana morum doctrina.

Comparatione inter utrumque Foedus institutâ, Christianae doctrinae, etiam quatenus morum

(1) Ioh. XII: 26. XIV: 3.

(2) 1 Cor. XV: 19.

(3) „ *Im alten ist nicht so wie in neuen nur die* „ *hauptsächliche, ja fast einzige absicht auf die Re-* „ *ligion gerichtet. In den Alt - Testam. schriften wa-* „ *ren und musten seyn noch manche andere absichten,* „ *und vorlaufende umstände, um deren willen mancher-* „ *ley Historien darin musten nothwendig aufgenommen* „ *werden. In diesen Geschichte konnte der natur der* „ *sache gemäss kein licht über die fortdauer nach dem* „ *tode enthalten seyn, weil diesen punkt kein gegen-* „ *stand der äussern sinne und erfahrung ist, und al-* „ *so auch historisch nicht kan vorgetragen werden.*" Sunt verba Koppii, in Opere *die Bibel ein Werk etc.* I. p. 449.

rum praecepta complectitur, palmam esse deferendam, e supra dictis facile patet.

Etenim quo amplior et perfectior sit religionis doctrina, eo quoque praestantiorem esse partem illam, quae de moribus agat, et huic veluti fundamento superstructa sit (1), quisque sentit, sive *officiorum principia et fundamenta*, sive *eorum indolem et copiam*, sive *incitamentorum vim*, sive denique *subsidiorum efficacitatem* spectet. Et quo magis institutio divina ante et post Mosem ad incultum et contumax Israëlitarum ingenium fuit accommodata, eo plura non esse non potuerunt, quae postea a Iesu Christo aliam eamque meliorem acceperint rationem in doctrinâ morali. Videamus igitur, quid de singulis censendum sit.

Officiorum principia quod attinet, in mentem revocasse suffecerit, quae de Deo nobis, Euangelii luce collustratis, magis, quam antea, cognito disputavimus. Quae enim ex amore, quem ei debemus, ducuntur officia maiorem habent vim pro arctiore cum hominibus coniunctione, quâ Deus innotescat. Hinc sequitur, quidquid in

(1) Conf. I. Clarisse vir Cl. in Diss. de Christ. morum doctrina § 5 et 6. in Opp. Societatis Hag. anno 1806.

in Libris V. F. ex amore erga Iehovam desumtum reperiamus, longe tamen hic eminere illam Patefactionem, quâ Deum Optimum Maximum ut Patrem nostrum ἐν τῷ Ἰησοῦ Χριςῷ veneramur. Licet eximia fuerint et continua beneficia, quae in Israëlitas contulit divinae Providentiae cura, nulla tamen fuerunt aequiparanda dono illi, quo Filium suum pro hominibus tradidit Pater coelestis, quem ideo diligimus, quia nos prior dilexit (1).

Praecepta autem, quae Christianis dantur, quanti sint aestimanda, V. T. itidem nos docet egregie.

Ne dicam, in Veteri Codice desiderari nonnulla, quae doctrina Christiana sibi propria habet; multa sunt sub Veteri aeque ac sub Novo Foedere imposita officia sive erga Deum, seu erga nosmet ipsos, seu erga alios exsequenda, e quorum comparatione ita apparet *amplior* officiorum Christianorum *ratio*, ut demonstratione vix ullâ opus esse videatur. Attendamus modo amorem, quem e legibus divinis alter homo alteri debet: quam arctis tenebatur limitibus huius amoris testificatio apud Israëlitas, quippe qui a caeteris disiuncti gentibus eos tantum,

qui

(1) 1 Ioh. IV. 19.

qui religionis, quam profitebantur, socii erant; tanquam fratres ac sibi proximos spectabant! Gentium vero discrimine sublato, omnium omnino hominum cuiuscunque aevi et regionis vinculum quasi fraternum prodiit manifesto (1). Nec minori iure hic commemoranda est Christi doctrina, quoad animum submissum laudat perpetuo et praescribit, ita, ut quo propius τῇ ταπεινοφροσύνῃ accedamus, eo magis evadamus idonei regni coelestis cives. Ubinam quaeso in Libris memoratis haec virtus tanti aestimatur, tantopere inculcatur? Profecto solus fuit Dei filius, qui, relictâ sede coelesti, in humili suâ conditione tam monitis, quam exemplo morum doctrinam hactenus amplificaverit.

Porro *nobiliora* esse officia, quibus fungi iubentur Christianae Ecclesiae socii, eorundem Librorum ope docemur. Ex his enim comperimus, Israëlitis propter eorum immanitatem, ne atrocius quid patrarent, multa a Mose fuisse permissa (2), quae serior aetas prorsus illicita esse,

(1) Hoc imprimis docet Parabola, quam exhibet Lucas in Euang. Cap. X: 30 sqq. Conf. Col. III: 11. Gal. VI: 10. Vid. Limborch, *Vriendelijke Onderhandeling met een' geleerden Jood*, pag. 614.

(2) Vid. Ill. Michaëlis, libro laud. *Mos. Regt.* § 5.

ſe, ſolâ ratione iudice, perſpicere potuit. Haec igitur vetantur omnino in praeceptis a Christo datis (1); atque hinc apparet praeſtantia doctrinae Christianae, quae non eousque ſe accommodavit ad hominum perverſitatem.

Restat, ut *momentorum* et *ſubſidiorum* vim diiudicemus.

Quae antiqua inſtitutio habuit virtutis momenta, laudanda ſunt omnino, quippe quae prorſus comparata fuerint ad populi Israëlitici conditionem, et multum valuerint in hominum animos; longe tamen postponenda iis, quibus ornata est postrema Patefactio.

Nimirum, quaecunque e virtutis commodis et utilitate ducuntur incitamenta, meliora fuerint atque efficaciora oportuit, postquam divinus noster Conſervator uberius, quam unquam auditum fuerat, de verâ felicitate humanâ expoſuit. Cum enim Israëlitae rebus in ſenſus incurrentibus unice propemodum moverentur, conſentaneum erat, ut ſi quae ſive e virtutis neglec-

tu

(1) Matth. XIX: 8, 9. Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς, Ὅτι Μωσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν ὑμῖν ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας ὑμῶν· ἀπ᾽ ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτω. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται· καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας, μοιχᾶται.

tu orirentur proxima mala, five ex eiusdem exercitio fperanda esfent bona, haec iis ob oculos proponerentur perpetuo; infelix vero aut beata conditio post mortem hominibus exfpectanda non nifi perraro hunc in finem commemoretur (1). Christiana autem doctrina aliam eamque inverfam fequitur rationem. Haud negligit virtutis commoda, hac etiam in vitâ confpicua, laudare, immo εὐσέβειαν πρὸς πάντα ὠφέλιμον καὶ ἐπαγγελίαν ἔχουσαν ζωῆς τῆς νῦν affirmat (2), at vel fic tamen haud adeo externa ista, verum imprimis animi bona fpectat, quae internam hominis conditionem, hoc quoque in rerum ftatu, felicem reddere posfunt. In hoc autem argumentorum genere ad excitandum virtutis ftudium praecipue adhibetur fummae beatorum in alterâ vitâ felicitatis commendatio, quae uti rarisfime in V. F. Libris, ita in N. T. faepisfime reperitur variis modis propofita. Saepe etiam ad pietatis amorem fcelerisque fugam promoven-

da

(1) Vid. H. Muntinghe vir Cl., in Comment. ad Proverbia Salomonis Cap. IX: 7, 8.

(2) 1 Tim. IV: 8. Conferri quoque posfunt alia loca laudata a Reinhardio in Opere, cui titulus est: *Christel. Zedekunde*, e Germ. in Belg. fermonem verfo, Tom. VI. § 402. pag. 353. et § 403. pag. 354—362.

da et augendâ depinguntur a Christo poenae ab impiis sumendae, ac dirissimi cruciatus, quos isti post mortem subibunt. Haec autem momenta, si vel ampliore copiâ in Veteri Codice invenirentur, haud tamen tantae fuisse antiquitus efficaciae, quanta iis in Christianâ doctrinâ tribuenda est, nemo non videt, reputans, quae disseruimus de vitâ post mortem futurâ a Christo certiore, quam antea fuerat, redditâ.

Saepe etiam utitur Christiana institutio iis momentis, quae, e virtutis praestantiâ desumta (1), ipsi fere homini discernendum relinquunt, utrum deceat et justum sit, quidquid praecipiat divina voluntas (2). Quandoquidem vero hoc genus incitamentorum ob incultum hominum ingenium locum habere non potuit sub antiquo Foedere, in eo praestare quoque ulteriorem patefactionem patet egregie.

Postremo, ut alia mittamus, in constitutione Mosaicâ animus Israëlitarum terribilis maiestatis divinae metu commovebatur saepissime, Christiana autem doctrina maxime persuadet divinae benignitatis sensu. Israëlitis veluti servis, Chris-

(1) Confer. de hoc momentorum genere Reinhard, l. l. VI. § 410.

(2) Vid. praesertim Act. IV: 19. 1 Cor. X: 15. et Phil. IV: 8.

Christianis ceu filiis Optimi Maximi Patris dantur mandata; quocirca Paullus Apoſtolus egregie τῷ πνεύματι δουλείας εἰς φόβον opponit τὸ πνεῦμα υἱοθεσίας (1). Amor Dei Patris et Ieſu Christi, qui ſe in nostram ſalutem ſummo tradidit ſupplicio, laudatur perpetuo, ut mutuus noster amor et grati animi testificatio excitetur (2). Deſumuntur, fateor, in antiquo Foedere incitamenta e beneficiis, quibus Deus affecerat gentem ſibi ſacram: at vero quaenam fuerunt? quod in Decalogi initio petitum e divinâ liberatione a ſervitute Aegyptiacâ, commemoratur, ac toties utpote maximum et efficaciſſimum repetitur, ne hoc quidem vi ſuâ ac nobilitate aequiparandum est favori ſingulari, quem in Christo manifestavit Deus.

Creſcit vero nostra de hac doctrinâ existimatio, ſi conſideremus, quanto inſignior ſit *auxiliis* ſive praeſtantioribus, iis quae V. F. libri exhibent, ſeu nunquam ante Ieſum auditis, e quibus nominasſe ſuffecerit exemplum Ieſu Christi ad imitandum nobis propoſitum. Eo enim perſuaſum nobis est, in multis et gravibus, quae nobis impoſita ſunt, officiis colendis, haud esſe deſperandum ob humanae naturae de-

(1) Rom. VIII: 15.
(2) Eph. V: 1, 2. Tit. II: 11, 12, 14.

debilitatem. Conservator nostrâ assumtâ naturâ in eodem, quo nos induimur, corpore habitans, iisdem affectibus praeditus, iisdem immo maioribus obiectus peccandi periculis, medios inter homines vixit. Vixit, at nihilominus veram sectatus virtutem ab omni culpâ mansit immunis (1). Hunc autem spectandum esse in eo non ut Dei Filium, sed ut hominem, haud est quod dubitemus (2). Iam vero cum in antiquâ aeque ac novâ religionis formâ (3) Dei similitudo quaerenda proponatur hominibus, ut summum, quod iis incumbit officium, magnum profecto a nobis laudatum auxilium desiderabatur antiquitus, quod Christianae debemus doctrinae (4). Probi enim et pii fuerint viri, quos pe-

pe-

(1) Hebr. IV: 15.

(2) Hoc egregie probavit van der Roest vir Vener., *Leerredenen over de genoegens van den Godsdienst*, 1806. p. 539—549. Conf. etiam I. W. Statius Muller, *Verhandeling over de uitbreiding des Christendoms.* In Opp. Societ. Teyl. Tom. XXIII. 1809. p. 114—116.

(3) Matth. V: 43—48. Luc. VI: 36. Eph. V: 1. 1 Petr. I: 15, 16. et vid. antea dicta pag. 45. not. 2.

(4) Conf. Ioh. XV: 12, 13. et multa alia loca, in quibus Christus commendatur, quem imitemur, laudata a Reinhardio, *Christ. Zedeleer*, § 222. p. 400, 401.

perit antiqua aetas, quorum praeclaras imagines V. F. libri exhibent, quid quaeso isti debiles ac delinquentes saepissime, quid valuerunt, respectu Domini nostri, qui palam testari potuit: *quicunque me vidit Patrem etiam vidit* (1), et quem veneramur ut imaginem Dei ἀοράτου? (2). Quae porro inter huius disciplinae *auxilia* sunt recensenda: rituum a Iesu institutorum, sacrae lavationis et coenae celebratio; preces, quas Deo patri nomine Iesu Christi dicimus, quarumque formulam, quibuscunque accommodatam hominibus, conservatam habemus; ipsum denique Spiritus Sancti auxilium nobis promissum et datum, eiusmodi sunt, ut sive suâ simplicitate, sive ratione ad internam singulorum hominum conditionem accommodatâ prae omnibus, quotquot V. F. libri tradunt, sint aestimanda, quod vel ex collatione ipsorum rituum mox apparebit.

Atque his animadversis eum tribuimus usum V. T., quod nos magni aestimare doceat institutionem eam posteriorem, quae omnium antiquis divinitus datarum patefactionum efficacissima sit ad purissimam, cuius homo capax sit, virtutem docendam, commendandam et persuadendam.

Chris-

(1) Ioh. XIV: 9.
(2) Col. I: 15.

Christianae doctrinae universitas.

Addatur vero supra dictis *universitatis* laus; quae soli competit Christianae doctrinae, longe adeo post se relinquenti *particularismum*, qui ita dicitur, Iudaicum.

Ne probemus, sapiens fuisse Dei consilium in seiungendo populo Israëlitico, hic animadvertere sufficiat, huic conditioni separatae accommodata fuisse omnia instituta, et multa quoque doctrinae capita: quo magis igitur omnia praecepta huic populo convenerint, quo magis id spectarint, ut Israëlitae a ceteris gentibus seiuncti manerent, eo minus apta fuisse, quae ulterius ad ceteros populos extenderentur; immo ad Palaestinae conditionem ita fuisse comparata, ut ad alias regiones transferri aegre (1) possent. Gentium vero discrimine sublato, antiqua Dei institutio, quae per tot secula ad gentis Israëliticae ingenium et conditionem apta fuerat, eam subiit formae mutationem, ut ad omnium, qualescunque in terrarum orbe sint, gentium ingenium et indolem accommo-

(1) Hoc probavit Michaëlis, in Opere suo Mos. regt passim: addatur *eiusdem* Comment. in Societ. reg. scient. Goetting. praelect. IX et X.

modaretur. Eo enim consilio, quod a primis iam temporibus spectaverat divina benignitas, Conservator noster coelitus demissus doctoris et praeceptoris munere functus est, ut, quâ olim Israëlitica gens sola fuerat collustrata luce, ea splendidiore etiam modo ad omnes dispergeretur regiones: ipse adeo *lux mundi*, *lux quae in mundo orta omnes collustrat homines* vocatus (1). Illius igitur religionis ab antiquis vatibus annuntiatae, cui tandem universum genus humanum addiceretur, auctor exstitit Iesus Christus. Hic doctrinam, quam tradebat, ad omnes propagandam gentes iussit (2), et sibi a patre suo eam in omnes homines potestatem datam testatus est (3), suisque Apostolis mandatum iniunxit, ut ubivis praedicarent euangelium (4) promisitque, eos ad extremos orbis terrarum fines ipsum praedicaturos esse (5), quibus etiam convenerunt, quae deinceps docuerunt eius

Apo-

(1) Ioh. I. 4, 5, 7, 8, 9. III: 19. alibi.
(2) Marc. XIII: 10.
(3) Ioh. XVII: 2.
(4) Marc XVI: 15. Matth. XXVIII: 19.
(5) Act. I: 8. Conf. D. F. Volkmar Reinhard, *Proeve over het plan, het welk de stichter des Christendoms tot heil der wereld ontwierp*, Amst. 1806. p. 39, 40.

Apostoli (1). Huic autem proposito peragendo, quod uberius exposuit et demonstravit Reinhardus (2), quantopere apta sit doctrina Christiana, ipsius indoles luculenter probat. Quae enim *moralis* est religionis doctrina atque adeo naturae humanae universe conveniens, quamdiu *moralitatis* capaces maneant homines; quae *perspicuitate* ita eminet, ut ab omnibus, ratione praeditis, teneri possit, tam quod ad argumentum, quam quod ad formam; quae denique est πνευματικὴ internamque spectat hominis naturam, merito dicenda est omnibus hominibus omnibusque temporibus convenire (3). Accedit, quod nihil sanciat felicitati hominum, ubicunque degant, adversans, nihil praecipiat aut vetet cum officiis civilibus certans; sub diversis hinc imperii formis apta semper, cuius praeceptis obediatur; nec tantum apta verum et necessaria societatis saluti, cum optimos Christianos optimos reipublicae cives habendos censeamus, et temerarias iudicemus eorum calumnias, qui amicitiam, patriae libertatisque amorem et fortitudinem haud satis praecipi et com-

(1) 1 Cor. XV: 24, 25. Eph. I: 9, 10. Phil. II: 6—11. 1 Tim. II: 4.

(2) Libro laud.

(3) Conf. Reinhard, l. l. p. 315—343.

commendari in nostrâ doctrinâ censent (1). Cernitur denique universum eius consilium in eo, ut omnes quicunque homines quam maxime secum invicem iungantur, unamque quasi familiam constituant, hinc Deus omnium describitur Pater, omnium Dominus Iesus Christus: hinc animus religionis causâ infensus vetatur, commendatur amor erga omnes, huiusque amoris veluti exemplum in Deo conspiciendum praebetur, qui omnes eodem amore complexus est homines cuiuscunque gentis et conditionis: hinc singularis erga unum quemdam populum amoris ne species quidem remanet, qui tamen a Mosaicâ constitutione amoveri prorsus non potuit (2).

Praeterea caerimoniae ritusque externi, qui inter alia magnam spectabant Israëlitarum a ceteris gentibus seiunctionem, cesserunt baptismi et sacrae coenae celebrationi, quâ certiores fimus, nos omnes unius familiae esse fratres, uni Domino addictos, unumque efficientes corpus. Est sane collatio horum rituum, quae religionis Christianae *universitatem* probet egregie.

(1) Refutavit has sententias I. W. Statius Muller, Lib. laud.

(2) Vid. Muntinghe, *Gesch. der Menschh.* IX. p. 239.

gie. Quod enim institutum erat Paschatis festum, in memoriam liberati populi, eo minus idoneum fuit, ut ab omnibus celebraretur gentibus, quo magis unius cuiusdam populi indicaret studium; circumcisio autem, doloris et cruciatus plena, non omnibus regionibus aeque accommodata et utilis est dicenda, atque a maribus tantum suscipi potest (1). Salutari igitur Dei consilio, omnes homines spectanti, multo magis respondent, quas instituit Dominus noster, caerimoniae. Hae enim, cum fidei morumque doctrinâ quam maxime coniunctae (2), nobili suâ simplicitate et significatione insignes, omni tempore, quâcunque in regione, facile possunt administrari. *Vinum*, quod in sacrae coenae celebratione adhibetur, ubique acquiri potest, quod si vel alicubi desideretur, nihil tamen obstat, quominus haec coena apparetur (3): neque etiam facile deërit panis et aqua. Abest denique in baptismo vehemens iste dolor, quem circumcisi subeunt, omnesque,

(1) Conf. W. A. van Hengel, *Betoog dat de Doop en het Avondmaal, naar het oogmerk van Jezus instelling door alle tijden dezer wereld moeten voortduren.* In Opp. Soc. Hag. 1806. p. 158.

(2) van Hengel, l. l. p. 148.

(3) Conf. I. W. Statius Muller, l. l. p. 71.

que, nullo sexus habito discrimine, hoc ritu initiantur et Deo dicantur (1).

Quae huc usque de Christianae doctrinae indole et de eius ritibus protulimus, satis mihi probare videntur, illam esse eiusmodi, ut omnes eam amplecti possint homines, et ut ad omnes pertineat; cui conditioni accommodatum etiam fuit laudatum Christi exemplum. Hoc enim adeo „ est *universale*, ut nulla cogitari possit „ vitae conditio, quâ illud ad imitandum nobis „ proponere non possimus" (2).

Restat vero, ut paucis solvamus, quae moventur, dubitationes contra hanc nostram de religionis Christianae praestantiâ sententiam. Dissentientes enim hac in caussâ non desunt, quorum nonnulli (3), ne aptam quidem censent institutionem Christi universo generi humano, saltem religioni naturali inferiorem; quae tamen sententia quantopere a vero sit aliena, et supra dic-

(1) Conf. porro de hoc argumento Frommanni, Commentatio de religione Christianâ omni climati accommodatâ, in eius opusculis Philol. et Hist. Argum. Cob. 1779.

(2) Conf. Muntinghe, Theol. Chr. l. l. § 233.

(3) Inter eos recensendus est auctor fragm. Guelferb.

dicta ostendunt et uberius probarunt alii (1). Montesquivii autem observationem (2), quâ Muhammedanae religionis conditio prae Christianâ amplior, tribuenda censetur legibus de Polygamiâ, quae a Christo vetita in Muhammedicâ permittitur, nihil in nostram sententiam efficere, satis probasse iudico Rosenmullerum (3). Alii vero, cum maximam etiamnunc orbis terrarum partem Euangelii lucem desiderare observent, et tot secula post Conservatoris vitam praeteriisse reputent, quibus facile quaquaversum extendi potuisse religionem Christianam opinantur, magnum hinc pro suâ de hac religione, non omnibus aptâ, sententiâ invenisse sibi videntur praesidium. Hos autem in eo errare naturalis religionis consideratio docet, quippe quae aequo iure dicenda foret omnibus mortalibus haud apta, cum nondum quaquaversum sit divulgata (4). Insuper vero, haud

(1) Praeter Frommannum, l. l. Conf. Trecho (*kleine Versuche im denken und empfinden*) f. 156 sqq.

(2) *l'Esprit des Loix*, XVI. et XXIV.

(3) In libro *Trapswijze voortgang* l. l. p. 267—269.

(4) Conf. R. Feithii, Diatribe: *over de verbreiding der Evangelieleer over den aardbodem*, Amst. 1809. p. 14.

haud alio nisi lento modo divinum consilium attingi potuisse dicendum est, quod etiam praevidens Dominus noster saepissime annuntiavit (1), certamque nobis post antiquorum vatum praedictiones (2) spem dedit, fore ut tandem aliquando per omnes terrae partes, omnes ad homines, propagetur religio (3) ab ipso instituta.

Quae cum ita sint, haud contemnendus est usus V. Foederis librorum, quibus antiqua Dei institutio genti tantum Israëliticae apta continetur, ad aestimandam doctrinam Christianam, quae omnium est populorum et a cuius beneficiis nulla gens excluditur.

Chris-

(1) V. c. Marc. IV: 26–29.

(2) E multis, quae hic afferri possent, locis laudare sufficiat Ies. II: 1—4. XI: 6—10. XLV: 22—24. coll. Ioh. V: 23. et Phil. II: 10, 11. Zach. XIV: 1 sqq. Ps. XXII: 28 sqq. Conf. Feith, l. l. p. 20—28. Addatur Statius Muller, l. l. p. 455–515. qui et alia laudat loca, eo tamen consilio, ut Euangelii annuntiationem *gentibus* tradendam probet a vatibus fuisse praedictam, haud vero ad omnes omnino homines tandem extendendam.

(3) Conf. Matth. XIII: 31, 32, 33. et Feith, l. l. p. 197 et 198. not. 100.

Christianae doctrinae perpetuitas.

Universitati vero, quam supra spectavimus, adiungenda est *perennitas*, quae facit, ut haec doctrina nunquam permutetur cum aliâ salutis viâ, nec ita loco suo moveatur, quemadmodum antiqua illa Veteris Foederis, verum maneat felicitatis norma ad ultima usque tempora.

Quam cognoscendam praebet V. F. constitutionem Mosaicam, ea ex Dei consilio ad minus confirmatum hominum ingenium comparata cum esset, non potuit non aliquando dissolvi atque illi cedere institutioni, cuius praeparatio erat dicenda. Vatum hinc oracula eam tandem esse destruendam et meliori religionis formae cessuram esse annuntiaverant (1): atque in eo praestantiam novae huius formae laudantes habemus N. F. Scriptores (2). Christianam autem doctrinam eandem semper manere usque ad orbis huius finem, saepe testati sunt Christus et Apostoli, neminique licere hanc mutare aut perfectiorem reddere docuerunt (3). Quamobrem non audiendi

(1) Ierem. III: 16. Dan. IX: 24—27. Conf. G. Lesz, *Bewijs der waarheid van den Christ. Godsd.* 1771. p. 569.

(2) 2 Cor. III: 7—11. Hebr. VII: 15—25.

(3) Matth. XIII: 39—43. XXVIII: 18—20. 1 Cor. XI:

endi sunt qui Lessingium et Tellerum secuti Christianam doctrinam magis magisque perficiendam esse opinentur, et accommodandam ad huius aevi conditionem et ad progressus, quos in philosophiâ iam fecerint homines. Primum enim demonstrandum foret, quonam sacrarum literarum fundamento beatior exspectatio nitatur, deinde probandum, cum haud sine gravi consilio Deus novam formam inducere censendus sit, felicitatem generis humani non posse amplius his institutis contineri, sed maiorem vel notitiarum amplitudinem vel disciplinae liberalitatem, quam praestat religio Christiana, requirere. Falsa insuper et temeraria est nonnullorum sententia, quae doctrinam Christianam omni utilitate facit carentem, simulatque ad adultam venerit aetatem genus humanum, atque adeo eo tantum consilio traditam, ut ratio hominum emendaretur et magis magisque ad perfectionis culmen eveheretur. Continet multo magis omnia hominibus scitu necesfaria ad vitam bene beateque agendam, quantum per conditionem hanc terrestrem liceat, eosdemque ad meliorem vitam praeparandos, ut adeo nec novâ nobis pa-

XI: 26. XV: 24—28. 2 Cor. III: 11. Gal. I: 8, 9. 1 Tim. VI: 3—5. Hebr. XIII: 8.

patefactione neque incertis hominum subsidiis opus sit (1).

Abrogatâ igitur constitutione Mosaicâ, praestantiorem merito dicimus illam, quae, omnibus temporibus accommodata, *perennis* simul est habenda. Eadem autem laus ritibus est danda, quos ad fidem confirmandam et sanctitatem promovendam instituit Conservator noster. Quae enim antiquitus instituta fuere, circumcisio et Paschatis festum, obsoleta erant ducenda, simulatque alia inducta fuerat religionis forma, cui nequaquam conveniebant, quapropter Apostoli omnem iis denegarunt utilitatem (2). Sacra autem lavatio et coena semper administrabuntur, et cum Christianâ religione coniunctissima manebunt; neque unquam genus humanum ad eum *cultus* gradum perveniet, ut eiusmodi symbolis carere possint Ecclesiae Christianae socii (3).

Mo-

(1) Conf. Cl. I. van Voorst, *in aanspraak over eenige Grondstellingen enz.* in Opp. Soc. Hag. 1811. p. 40—52. et Censor, in Opere menstruo *Bijdragen tot de Beoefening en Geschiedenis der God gel. Wetenschappen*, 1818. VI. D. 1ᵉ Stuk p. 28.

(2) Act. XV. XXI: 21. Gal. V: 2—4.

(3) Hoc probavit Cl. van Hengel, in laud. Diatribe Soc. Hag. pag. 109—111.

Modus, quo doctrina Christiana est patefacta.

Nisi sacer Veteris Foederis Codex per tot saecula conservatus, in usum Christianorum adhiberi posset, haud cognitae nobis essent variae rationes, quas in voluntate suâ patefaciendâ sequi solet divina benignitas. Cum vero nostris in manibus etiam nunc versetur hic Codex, contemplari licet modum, quo antiquitus data fuit institutio divina: hunc igitur conferamus cum simili, quâ doctrina Christiana patefacta est, ratione, ut hinc cernamus, qualis sit librorum laudatorum usus in eâ aestimandâ.

Quae antiquae patefactioni accesserunt signa, sive coelitus missa, sive a Mose vatibusque edita, satis superque divinam eius originem et auctoritatem probarunt (1): horum tamen comparatione institutâ cum iis, quae religioni Christianae sunt propria, apparet manifesto, quanta praestantia sit doctrinae, cuius auctorem agnoscimus Dominum nostrum.

Fatemur, illustria fuisse divinaeque maiestatis plena, quaecumque variis temporibus ac praecipue in legis promulgatione edita fuerunt signa mo-

(1) Vid. quae supra disputavimus, Part. I. Sect. 2. § 5.

modo magnificentisſimo et ad gravisſima Dei conſilia accommodato (1). Eo enim tempore, quo Deus Israëlitarum tutelam ac regimen ſolenniter quaſi ſuscepit (2), nihil validius et efficacius animos movere, terrorem iis incutere omninoque perſuadere potuit de divinâ inſtitutionis Moſaicae auctoritate, quam magnifica illa apparitio divina in monte Sinaïtico, ad cuius radices omnes convenerant Israëlitae. Fatemur, Israëlitas, ad Deos peregrinos colendos valde propenſos et rebus ſenſuum ope percipiendis maxime movendos, optime luculentis et gravisſimis his ſignis ad legum obedientiam obſtringendos fuisſe. Fatemur denique, quotquot Moſes, uti deinde ceteri legati, divina ediderunt legationis ſuae testimonia, illustria ſaepe et ad perſuadendum validisſima fuisſe; nihilominus vero praeſtantiora iudicamus omnia, quibus auctoritatem Christi tanquam doctoris divini probatam habemus.

Primum enim, qui ſe legatum divinum dixit (3), Deo dictis factisque placentem (4), cui uni aus-

(1) Exod. XIX. XX.
(2) Exod XIX: 5, 6. Deut. V: 2, 3, 27—29.
(3) Ioh. VII: 28.
(4) Ibid. VIII: 29.

auscultandum esset et obtemperandum (1), ac cuius arctissima esset cum Patre coelesti coniunctio, is divinae confessionis et approbationis signis, coelitus demissis, suum confirmatum vidit testimonium (2), eodemque consilio angeli divinitus sunt missi, sive ad ipsum Conservatorem, sive ad alios illustrandi eius caussâ, quales fuere nuntii ortus eius, item reditus in vitam et adscensus in coelum. Haec omnia eiusmodi fuere, ut in uno eodemque legato divino sub V. Foedere nunquam locum obtinuerint: quid? quod pleraque inaudita huc usque essent dicenda.

At vero miraculorum, quae Dominus noster edidit, indolem attendamus. Haec non tantum multiplici fuere varietate, sed etiam ad depingendum munus suum salutare valde apta, et effectu semper fere benefico, atque adeo anteponenda permultis eorum, quae in V. F. commemorantur.

Mosem caeterosque vates si spectes, continue videbis, plerumque iis, antequam consuetâ ratione legationem suam divinam probare possent, Dei mandatum fuisse exspectandum (3). Chris-

(1) Matth. XXIII: 10.

(2) Matth. III: 16, 17. XVII: 1—5. Ioh. XII: 28.

(3) Conferri merentur quae de hoc argumento disseruit Cl. I. H. van der Palm, in Oratione Eccles.

Christus contra, cuius vis mirifica circa omnes res, ne mari quidem, ventis, daemonibus exceptis, versabatur, nutu suo, nullâque saepe emissâ voce stupenda edidit; immo divinae, quâ pollebat, facultatis documenta, iis etiam in locis, a quibus erat semotus, ostendit (1), et similem discipulis suis concessit potestatem (2), qui eâ magistri auctoritate feliciter usi sunt, testante historiâ sacrâ (3).

Accedit, quod Dominus noster, qui se doctorem divinitus missum Deique filium dixerat, huiusque rei caussâ ad crucem damnatus, Deo se commendans, morte placidâ suum obsignaverat testimonium, tertio a morte die in vitam redierit, uti ipse saepe annuntiaverat, terrâ tremen-

clesf. ad Luc. VII: 11—16. *Eerste zestal Leerred.* pag. 108, 109.

(1) Matth. VII: 6 sqq. Ioh. IV: 49 sqq.

(2) Matth. X: 8. coll. Luc. X: 17. Conf. Doederlein, l. l. Proleg. C. II. § 14.

(3) Videatur, qui uberius de miraculorum a Christo editorum praestantiâ egit van Limborch, l. l. pag. 81. 315—322. 354. Ne autem ulterius, quam diatribes nostrae sinant fines, pergamus, satis erit hic annotasse, miraculorum Christi praestantiam, prae quibuscunque ab Elia et Elisa editis, nuperrime descripsisse Venerandum Muntendam, in commentatione praemio ornatâ a Societ. Hag.

mente legatisque coelestibus missis, qui ei ministrarent. Hinc fidem sibi et auctoritatem conciliavit, ita ut rata sint ac firma quaecunque dixit, praesignificavit et promisit, quo argumento saepe deinceps usi fuerunt Apostoli in propagandâ doctrinâ Christianâ (1). Denique, Christus, quadragesimo a reditu in vitam die, in coelum migravit, relictumque antea locum honorificum et beatam conditionem recuperavit, unde, decimo post discessum die, Spiritum Sanctum antea promissum effudit, donisque mirificis eos instruxit, quibus docendi provinciam demandaverat; quo facto nova religionis forma solenni ritu promulgata et in veteris locum substituta fuit (2).

Licet igitur ab initiis nostrae religionis abfuerit terribilis pompa, quâ Sinaïticae legislationis auctoritas commendabatur populo rudiori; haud tamen modus, quo instituta est, inferior habeatur: longe enim diversa ratio novae religionis diversam eius commendandae methodum, persuasionis vim potius, quam minarum terrores requirebat; neque praeparatis Iudaeorum animis ad divinam Christianae disciplinae originem intel-

(1) 1 Cor. XV: 1—4, 14—19. Rom. I: 3, 4.
(2) Act. II.

telligendam admodum opus erat ſolemniori ſignificatione (1).

Verum, ſacrorum V. F. Librorum auxilio, opportunitas quoque datur egregia, diverſas comparandi conditiones, in quibus tum Moſes, tum Christus et Apoſtoli verſati fuere. Quae ſi conferantur, novum datur pro aestimandâ doctrinâ Christianâ argumentum; hinc enim certum fit, Christo eiusque legatis plures maioresque quam antiquae *oeconomiae* conditori fuisſe difficultates, quae ſuperandae esſent in perſuadendo hominibus de legatione ſuâ divinâ. Nimirum referunt libri V. Foederis, Moſem in Pharaonis Aegyptiorum regis aulâ educatum fuisſe, unde merito coniicimus variis eum inſtructum fuisſe doctrinis; magnum deinceps apud populares ſuos attigisſe honoris gradum, ſummâque valuisſe auctoritate, et univerſam, cui praeesſet gentem, ob ſalutem iis recuperatam ſibi quam maxime devinxisſe. Longe vero aliud praebet ſpectaculum Christi eiusque discipulorum vita: in inferiore plerumque conditione degentes, nec no-

(1) Vid. I. A. Noesſelt Proluſio, quâ demonſtratur, Deum auctoritatem divinam religionis Chr. confirmasſe ſignis maioribus legislatione Sinaïticâ, Hal. 1773. et auctores laudati a Beckio, in Comm. laud. p. 72. n. 1.

nobilitate neque etiam doctrinae copiâ ſe valde commendare potuerunt, et ob doctrinam, quam tradebant Iudaeorum exſpectationi oppoſitam, plebis aeque atque optimatum invidiam ſibi contraxerunt, ita ut capite damnati crudelisſimam mortem ſubirent. Haec, et alia his ſimilia, vel acu tetigisſe ſufficiat ad probandum, maiorem perſuadendi vim iure tribui rationibus, quibus divina doctrinae Christianae probetur auctoritas, quam iis, quae in antiquâ inſtitutione erant conſpicuae, multoque facilius in dubium vocari posſe argumenta, quibus divina inſtitutionis Moſaicae origo probetur, quam quae pro nostrae religionis auctoritate afferuntur ſummo iure.

Forſitan e Ieſu fata, cum ſua, tum ſuorum, tum doctrinae ſuae, tum denique reipublicae Iudaicae, clare et determinate praedicente ſimili ratione probare posſemus, magnum esſe uſum librorum V. Foederis in aestimando, quo Christiana doctrina patefacta est, modo (1); potius tamen hic ſubſistendum putavi et transgrediendum ad gravisſimum, quod tertio loco tractandum est argumentum, quo eximius, quem praebent laudati libri in *tuendâ doctrinâ Christianâ*, apparebit uſus.

(1) Conf. Limborch, ibid. pag. 88—90.

SEC-

SECTIO TERTIA.

USUS LIBRORUM VETERIS FOEDERIS IN DOCTRINA CHRISTIANA TUENDA.

§ I.

Vinculum, quod inter Novum et Vetus Foedus intercedit, ope horum Librorum cognoscendum.

Argumentorum, quibus doctrinae Christianae veritas et origo divina probantur, haud minimum profecto est illud, quod ducitur e vinculo, priores inter patefactiones, et postremam omnium Christianam animadvertendo. Quod ut cognoscatur, sacra V. T. requiri monimenta, omni caret dubio. Primum igitur videamus universe, quaenam sit *huius vinculi ratio*, dein vero imprimis attendamus *typos* et *vaticinationes V. T.*, quibus illud egregie appareat.

Licet religio Christiana quoad formam multis nominibus veteri istâ ante Christum fuerit praestan-

ſtantior, quemadmodum praecedente ſectione probaſse nobis videmur, una tamen et eadem, ſi res ſumma conſideretur, doctrina de ſalute generis humani ante et post Christum fuit. Etenim primum et praecipuum in V. F. libris caput verſatur in eo, ut doceatur unum esſe Deum, omnium rerum creatorem et gubernatorem. Univerſum hominum genus peccato infectum deſcribunt (1): peccata autem indignationis divinae et cuiuscunque miſeriae fontes esſe et cauſas affirmant: quod testabantur diluvium, Sodomae vicinarumque civitatum interitus, et Israëlitarum clades variae (2): Deum vero docent non delectari poenâ peccantium, ſed eorum crimina condonare velle (3), et, quamvis ſummam hoc modo et immeritam hominibus exhibeat benevolentiam (4), ſanctisſimum ſimul et iustisſimum esſe; atque adeo hominem, ut veniae peccatorum favorisque divini particeps fiat, oportere, ut non modo benignitati divinae eam acceptam referat (5), verum etiam Dei mandatis ſancte obſervandis operam det perpetuo (6).

At-

(1) Gen. VIII: 21.
(2) Pſ. XXXII. LI. caet.
(3) Pſ. LXXXVI: 5. CIII: 3. Ieſ. LV: 7 ſqq.
(4) Pſ. CIII: 10. 12. caet.
(5) Pſ. LXXXVI: 5. caet.
(6) Ieſ. LV: 7. Ezech. XVIII: 32.

Atque haec ſunt ſemina quaſi doctrinae de ſalute generis humani per Ieſum Christum reparandâ: haud mirum igitur, omnia etiam, quae Deus inſtituit antiquitus, ut conſilium ſuum in reſtituendo genere humano attingeret, mirifice cohaeſisſe cum iis, quae ſpectanda praebuerunt Christi adventus, fata et res gestae. Hinc, quod non tantum *inter doctrinae capita*, verum et *inter univerſam veteris et novae conſtitutionis formam* inſigne animadvertamus vinculum.

Patefactionis nimirum historia certiores nos reddit, Deum ſemper voluisſe homines educare et inſtituere legatis divinitus misſis. Horum eximius erat certe Christus, quem ut indicaret Iohannes Baptista munere ſuo functus erat. Huic autem praeiverant vates divi variis aetatibus ſub V. F. viventes, quorum primus dicendus est Moſes, ſubſequentibus viam ſternens; et quaecunque hic docuit atque egit, patefactionibus nitebantur, quas acceperant Patriarchae. Quae omnia nobis perſuadent quam maxime de admirabili nexu, quo ſibi invicem conveniant inſtitutiones, quas memorant V. F. libri et omnium postrema Christiana (1).

Diligens porro univerſae gentis Israëliticae, a

(1) Vid. Cl. Muntinghe, *Geſch. der Menschh.* X. pag. 66. 67. not. 117.

a Deo peculiariter ductae et institutae; contemplatio eiusdem nexus praebet testimonia evidentia. Quos enim variis temporibus exstitisse tradunt Libri Sacri magnos et eximios gentis defensores et liberatores, egregios doctores et vates, sacerdotes denique et reges praeclaros ac fortes, hi semper multa relinquunt desideranda, et exspectandum praebent Conservatorem adhuc maiorem, in quo omnes, quibus singuli gavisi fuerunt, virtutes coniunctae cernantur, ita ut ille demum idoneus fiat Israëlitis ad diu promissam salutem ducendis. Mira hinc quaedam apparet convenientia argumenti librorum V. T. cum doctrinâ Christianâ, quam uberius indicatam videas a Hessio (1). Praeeunte hoc viro doctissimo, divinas patefactiones tam arcto connecti vinculo perhibemus, ut V. F. argumentum non nisi ulterioris institutionis luce, quam Christo debemus, rite intelligi possit (2).

At vero, quale ex his omnibus ducendum est argumentum pro doctrinâ Christianâ tuendâ? Singulare quoddam, verum et gravissimum, cuius virtutem iam dicenda probabunt. Nimirum post ea, quae disputavimus supra, persuasum

(1) Conf. Hess, *Leer, Daden en Lotgevallen van onzen Heer*, II. p. 229—232.

(2) l. l. II. p. 288, 289.

ſum nobis est de inſtitutionis antiquae in V. T. traditae origine divinâ: Christianam vero probavimus antiquae illius conſummationem esſe, atque adeo ampliorem et formâ perfectiorem. Si igitur illa antiquitus iam Deo gaviſa fuerit auctore, haec autem mirifice cum eo conſpiret, omni caret dubio, divinam auctoritatem eo magis Christianae doctrinae esſe tribuendam, quo priori inſtitutione amplior et conſummatior ſit dicenda.

§ II.

Typi V. T. in tuendâ doctrinâ Christianâ adhibendi.

Verum enimvero, cum praecipuum doctrinae Christianae conſilium in eo cernatur, ut genus humanum ſalutem recuperet, fide datâ Ieſu Christo, Conſervatori nostro; age videamus, quid laudatum N. et V. Foederis vinculum praeſtet in eo ſive tectius et obſcurius, ſive evidentius praeſignificando, et quid propterea polleant libri V. F. *ad tuendam doctrinam Christianam.*

Atque hic primum damus locum *typis* V. F., quos cum conſtituat ſimilitudo quaedam duarum rerum perſonarumve, quarum altera alterius imaginem continere videatur, eos in multis fuisſe ſive hominibus, ſive ritibus in conſtitutione

Mo-

Mosaicâ praescriptis, censemus omnino. Multorum enim hominum multarumque rerum in V. F. fit commemoratio, quorum similitudinem a Iesu et Apostolis in rebus N. Foederis indicatam habemus. Nec mirum: sapientisfima enim haec erat divina agendi ratio, quâ Deus ad Israëlitarum, qui rebus externis vehementius et propemodum unice movebantur, se accommodaret ingenium, atque adeo res a sensibus nimis remotas imagine quâdam aliarum rerum in sensus incurrentium iis proponeret.

Cum igitur promisfus esset Israëlitis vates Mosi similis (1), sacerdos secundum ordinem Melchisedeci (2), rex denique e familiâ Davidis, res Israëlitarum collapsas restituturus (3), nemo non paullo prudentior in vatibus, sacerdotibus et regibus Israëliticis videre potest imaginem promisfi illius Conservatoris.

Quod autem in *typis* his, qui *personales* dicuntur, adumbratum videmus, magis etiam in *realibus* elucet, cuius habemus luculentisfimum testem Paullum (4), docentem legibus, caerimo-

(1) Deut. XVIII: 28.

(2) Pf. CX: 4.

(3) 2 Sam. VII: 12.

(4) Ep. ad Hebr. IX: 8. coll. VIII: 5 fqq. IX: 24. X: 1.

moniis et sacrificiis, a Mose institutis, spem fuisse factam legum et rerum sacrarum meliorum, imprimis sacrificii illius, quo Iesus Christus hominum peccata semel esset expiaturus. Huc peculiariter pertinent ritus lustrales, quorum haec omnino erat indoles symbolica, ut peccati foeditatem, quae tollenda esset, oculis quasi subiicerent; atque universe piacularium sacrificiorum, ut et plerorumque, quae a summo Pontifice peragenda erant solenni expiationis die, ea erat ratio, ut in iis, quotquot paullo intelligentiores essent ex Israëlitis, facile animadverterent, homini sonti et opus esse morum emendatione et peccatorum veniâ, licet non nisi umbram conspicerent harum ipsarum rerum, quae demum per Christum doctorem hominumque servatorem in plenam lucem evocatae (1) fuerunt. Mirum igitur non videatur, typicam hanc V. F. rationem propositam a nobis esse, ut probaremus, multum conducere huius Foederis libros ad tuendam doctrinam Christianam. In istâ enim Veteris et Novae, ceteroquin suâ formâ sibi dissimillimae, religionis similitudine eundem Deum agnoscimus, utriusque auctorem, qui hominis per peccatum mi-

(1) Vid. Cl. Muntinghe, *Gesch. der Menschh.* IV. pag. 298—304.

miseri liberationem et instaurationem nonnullis ritibus, in peculiarem Israëlitarum usum praescriptis, adumbraverit, et per Iesum Christum revera ad effectum perduxerit.

Sunt nihilominus multi *theologiae typicae* adversarii, qui statuant omnem *typorum* vim et intelligentiam ignorasse prorsus eos, quibus primum scripti essent (1), quâ de re quominus nostram uberius exponamus sententiam, vetant termini, quibus haec disputatio circumscribenda est. Quidquid vero eâ de caussâ sit statuendum, haud tamen exin sequitur, omne illis denegandum esse pretium. Audio equidem, nobis reponi: „quod si remotioribus eos esse destinatos temporibus obiicias; cave, ne obliviscaris, in tantâ veritatum per Iesum Christum patefactarum luce nos non egere typorum umbrâ" (2): sed dubito vehementer, an evidens hoc sit argumentum ad probandum, nihil esse, quod commendare possit istos typos. Si enim sumas modo, e locis N. F., in quibus cultus Le-

(1) Vid. Ierusalem, l. l. III. p. 434—436. et Hufnagel, Diss. de Psalmis prophetias Messianas continentibus in Comm. Theol. editâ a Velthusenio, Kuinoelio et Rupertio, III. pag. 101.

(2) Sunt verba Hufnagelii, in Diss. laud.

Leviticus ad Mesſiam et novam religionem accommodatur, effici poſſe, Deum hoc quoque conſilio Israëlitis praeſcripſisſe quosdam ritus, ut Apoſtoli, demonſtrando ſimilitudinem, quae inter Moſaicam religionem atque Christianam intercederet, Iudaeos proclives redderent ad cultum Dei novum, atque ab eorum moribus alienum, recipiendum; univerſum, quod ex iis petendum cenſemus argumentum, valet quam maxime. Nobis enim hinc etiam fit perſuaſum de conſtitutionis et antiquae et novae auctore eodem (2).

Sed ſuadet et virium nostrarum tenuitas, et rerum, quae etiamnunc pertractandae restant, gravitas, ut uberiorem laudatae *typologiae* defenſionem mittamus. Transeundum igitur est ad gravisſimum de *vaticinationibus* locum, quarum vim in tuendâ doctrinâ Christianâ indicare tentabimus § III; quo facto, ipſarum auctoritatem, non niſi V. F. libris adhibitis, defendi poſſe probabimus § IV.

(1) Vid. M o r u s, in Praef. Verſioni Ep. ad Hebraeos praemisſâ p. 9.

(2) Conf. K o p p e, *de Bijbel enz.* I. l. p. 227 ſeq.

§ III.

§ III.

Vaticinationes V. T. apti ad tuendam doctrinam Christianam.

Imprimis ſunt vatum divorum praedictiones in V. F. libris conſervatae, quae oſtendant, quantus ſit horum uſus in tuendâ doctrinâ Christianâ. Primum igitur rationem contemplemur, quâ Christus et Apoſtoli pro cauſſâ ſuâ defendendâ vaticinationes V. T. adhibuerint, dein praecipuum earum argumentum breviter apponamus, ut hinc pretium cognoſcamus, quo a Christianis ſunt habendae.

Multiplicem eſſe utilitatem V. T. Conſervator eiusque legati ſatis docuerunt, quemadmodum vidimus antea (1). Praeſertim vero ad huius auctoritatem provocarunt, quotiescunque dicta ſua vel probare, vel affirmare vellent, quâ in re ita verſari ſolebant, ut praecipuas V. F. vaticinationes in Christo eventu comprobatas demonſtrarent. Atque eiusmodi continua fuit inſtitutio Domini noſtri, qui cum multa a vatibus annunciata exitu etiamnum carerent, discipulis ſuis ea in memoriam revocavit (2), iis-

(1) Part. II. praemonenda, pag. 53 ſqq.

(2) Luc. XVIII: 31.

iisdemque deinceps, cum pleraque hac in vitâ e divino conſilio iam egisſet et pasſus esſet, expoſuit ac illustravit Prophetarum ſcripta, ut doceret, omnia, quae vidisſent ſecundum eorum praedictiones accidisſe (1). Qui autem ita ab optimo magistro inſtituti fuerant, quid mirum, ſi eandem in docendo ſecuti ſint viam (2)? Hos ideo libros omnibus commendarunt Apoſtoli, ut fides in Christo eo firmius ſtabiliretur.

Quantum vero ex his vaticinationibus, eventu comprobatis, peti posſit praeſidium pro doctrinae Christianae auctoritate et divinâ origine, haud obſcure ſaepe docuerunt: quod imprimis videndum est in Petri epiſtolâ priore. Hic enim Apoſtolus, cum per totam hanc, quam ſcripſit, epiſtolam id vellet agere, ut Christianos ad ſibi conſtantem pietatis Christianae profesſionem et exercitationem maximo ſtudio hortaretur, huius adhortationis ſuae ſtatim ab initio hoc fundamenti inſtar poſuit: videlicet ſummam esſe et immortalem ſalutem, cuius ſpe certâ gaudeant, quibus patefacta ſit doctrinae Christianae veritas; ſi modo omnem, quam deceat, daturi esſent

(1) Luc. XXIV: 27, 44.

(2) Conf. loca laudata a Beckio, in Comm. laud. p. 75—78. n. 1.

ſent operam, ne a cognitae veritatis ratione ite-rum deficerent, ſed vel afflicti undique conſtantem ſibi ad finem usque praeſtarent fidem; per-ſuaſum habendo, ſe ita veram aliquando ſalutem esſe reportaturos. Ne autem res Christiana vel de ipſâ novitate (quaſi inaudita ferret) videretur ſuſpecta, illam ſalutaris doctrinae veritatem imprimis commendat ex Prophetarum ſtudio: pergit enim (1), *περὶ ἧς σωτηρίας ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρεύνησαν προφῆται οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες· Ἐρευνῶντες, εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα χριστοῦ προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας· Οἷς ἀπεκαλύφθη, ὅτι οὐχ ἑαυτοῖς, ἡμῖν δὲ διηκόνουν αὐτὰ, ἃ νῦν ἀνηγγέλη ὑμῖν διὰ τῶν εὐαγγελισαμένων ὑμᾶς ἐν πνεύματι ἁγίῳ ἀποσταλέντι ἀπ᾽ οὐρανοῦ, εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι.* „ Quâ de ſalute curioſius inquiſi-
„ verunt Prophetarum illi, qui de deſtinato vo-
„ bis a Deo beneficio vaticinati ſunt: ſcrutati
„ imprimis, qualicunque demum tempore Spi-
„ ritus ille, qui de Christo per eos testabatur,
„ indicaret futuras esſe et calamitates Christo
„ ſubeundas et ſecuturam eius ſubinde gloriam;
ſed

(1) 1 Ep. I: 10—12. Conf. Kleuker, de Nexu, qualis conſtet inter utrumque divinae conſtitutionis foedus prophetico, Helmſtadii 1792.

„ sed patefactum illis, quod non sibi, sed nobis
„ ministrarent ea, quae eadem iam annunciata
„ vobis sunt per eos, qui Sancto coelitus de-
„ misso Spiritu instructi vos in doctrinâ saluta-
„ ri instituerunt" (1).

Hic igitur locus luculenter probat, Apostolo persuasum fuisse de egregio consensu inter antiquam et novam Dei institutionem, eodem gaudentes auctore, eundemque spectantes finem, et de vaticinationibus Prophetarum hunc consensum indicantibus.

Eodem autem consilio a Christo et eius legatis laudatas esse divorum vatum praesignificationes, haud est quod dubitemus (2). Quod enim multi hodie statuunt (3), Iesum et Apostolos in iis adducendis ad perversas Iudaeorum opiniones se accommodasse, longe abest ut credamus. Iesus nimirum eos, qui sibi erant fa-

(1) Versionem secutus sum, quam praebet Kleukerus, in laud. Diatribe, cuius titulus: *de Nexu, qualis constat inter utrumque divinae constitutionis foedus prophetico*, plura profecto mihi promittere videbatur, quam ipsum argumentum huius libelli praestitit.

(2) Conf. Regenbogen, in Opp. Soc. Hag. 1797. p. 66, 67.

(3) Conff. Scriptores laudati a Beckio, l. l. p. 62.

familiares, quorum maxime intererat bene rem ſcire, nunquam alia docuit, immo inſtante morte, quo tempore ſaltem nulla ipſi fuerit causſa ad Iudaeorum errores ſe accommodandi, ad easdem provocavit vaticinationes; ac interpoſito per ſummum Iudaeorum pontificem iureiurando asſeveravit, ſe esſe Christum, quem exſpectaret gens Iudaica (1). Quid? quod e mortuis reſurgens discipulos ſuos haud omnem Prophetis fidem tribuentes reprehenderit (2), quemadmodum ipſi illi, meliora edocti, deinceps conquesti ſunt de Iudaeis vatum oraculis fidem negantibus (3): et eam ſequentes rationem non tantum coram Iudaeis, verum et apud alienigenas, provocarunt ad has vaticinationes (4). Quae cum

(1) Matth. XXVI: 54. Luc. XVIII: 31. Ioh. XIII: 18. XV: 28.

(2) Luc. XXIV: 25—27. 44, 45.

(3) Act. III: 18—21. X: 43. XIII: 33—40. XXVIII: 23—27.

(4) Act. X: 43. Rom. XVI: 26. Neque ideo audiendus est S h e r l o k k i u s, *gebruik en oogwit der oude Prophetiën*, pag. 166. ſtatuens, vaticinationes valere quidem in Iudaeis perſuadendis de veritate religionis Christianae, haud vero alienigenis; atque eam ob causſam hoc argumentandi genere uſum fuisſe Paullum contra Iudaeos Antiochenos disputantem Act. XIII. non vero Athenis in Areopago Act. XVII.

cum ita ſint, quamvis et aliae moveri posſent rationes (1), ſatis iam patet, non in eo ſe accommodasſe Christum et Apoſtolos ad Iudaeorum errores.

Iccirco, niſi Conſervator noster eiusque legati aut ſe ipſi, aut alios decepisſe dicendi ſint, quod quantum ab his abhorruerit demonſtratione meâ non eget; haud dubitamus, quin in V. F. libris exſtent vaticinationes de Mesſia et rebus ad eum pertinentibus.

Atque hac de re cum nobis perſuaſum ſit, ipſos evolvamus libros, ac varia inveniemus oracula divina de ſalute Israëlitarum aliarumque gentium a Deo procurandâ, de Vetere Foedere abolendo, Novoque ſanciendo, de exſpectando Mesſia hominum Conſervatore, huius doctrinâ, perpesſionibus, morte, reditu in vitam, et coelesti regno, de religionis Christianae propagatione, ministris eius et adverſariis; quae eventu ita fuerunt comprobata, ut eundem Deum benignisſimum, miſeris ſuccurrentem hominibus, per univerſam religionem patefactam agnoscamus.

Continuo enim post Adami et Evae lapſum ad-

(1) Conf. quae uberius de hoc argumento ſunt collecta a I. Heringa vir. Cl., in Disp. Soc. Hag. 1789. p. 183—193.

adfuit Deus hominibus testans: „ faluti huma„ nac divinitus ita provifum esfe, ut mulier „ quae primo certamine contra fuum adverfari„ um tam infeliciter dimicaverit, viribus re„ fumtis, pugnam reftituere posfit, eiusque „ progenies tandem fuperius discesfura, et hos„ tem fuum penitus fractura fit, cum fummo „ ipfius opprobrio et terrore" (1).

Hac autem promisfione paullo accuratiorem dedit idem Deus postea Abrahamo (2), Ifaäco (3) et Iacobo (4), e quâ iam hoc conftitit, felicitatem ex Abrahami eiusque filiorum familiâ ad univerfas terrae gentes aliquando derivandam fore.

Mofes fenex genti fuae valedicens promifit Prophetam popularem fuum, ipfius fimilem, cui auscultandum foret (5).

Davidi porro, cum Deus pollicitus fuisfet regnum perpetuum, filius annuntiatus est regni hae-

res

(1) Gen. III: 15. Conf. Storr, Disf. de Proteuangelio in Opusc. Acad. Vol. II. pag. 428. laud. a Cl. Muntinghe, Theol. Christ. Theor. II. 5. § 312.

(2) Gen. XII: 2, 3. XXIII: 18. coll. XVIII: 18.

(3) Gen. XXVI: 4.

(4) Gen. XXVIII: 14.

(5) Deut. XVIII: 15.

res perpetuus, iustus, pius, idemque Dei filius, a Deo unctus, ad Dei dextram sedens, cuius imperio subiiciendi essent cuncti reges ac populi, qui simul futurus esset sacerdos perpetuus, prouti olim Melchisedecus: de hoc rege promisso exponendi sunt *Psalmi*, qui dicuntur *Messiani*, in quibus huius maiestas et praeclarae virtutes celebrantur (1).

Regno autem Davidico et Salomoneo in duas partes scisso, vates identidem hunc regem promiserunt, verae religionis statorem, res gentis suae collapsas restituturum, Dei nomine et auctoritate Israëlitis et alienigenis feliciter imperaturum, pacem, tranquillitatem, omnemque prosperitatem piis procuraturum, denique in perpetuum regnaturum.

Uti autem in Psalmis, ita etiam in Prophetarum libris aliquando praesignificantur tristia promissi Servatoris fata et mors violenta.

Denique, cum huius Messiae exspectatione iuncta fuit spes singularis favoris divini, quo Israëlitae erant gavisuri, novo foedere cum Deo iuncti, criminum poenâ liberati, et Sancto Spiritu donati, eximiisque bonis, ad animum perti-

(1) Conf. G. F. Hufnagel, in Commentatt. Theol. ab I. C. Velthusen, C. F. Kuinoel et G. A. Ruperti editis, Vol. III. p. 60 sqq.

tinentibus, beati: gravis vero poena metuenda fuit hanc ſalutem repudiantibus (1). Haec igitur omnia, quae variis in locis annunciata invenimus, unicuique facile perſuadere posſunt, Conſervatorem nostrum, qui ſaepe ad oracula divina provocavit, eum esſe, qui in V. F. libris fuerit praeſignificatus; omnesque de Mesſia vaticinationes in eo ita fuisſe comprobatas, ut in neminem quadrare posſint alium: quemadmodum earum collatione cum vitâ, rebus gestis et fatis Iesu Christi apparet.

Quominus vero eiusmodi collationem hic apponamus, cohibere videtur ipſum quaestionis, cui reſpondendum est, conſilium. Requiritur tantummodo deſcriptio uſus Librorum V. F., atque adeo ab hoc loco aliena est ampla de hac causſâ disquiſitio. Sed, quemadmodum probavimus, ſacrum V. T. Codicem magni esſe uſus ad discernendum, quaenam loca in N. T. allegata vaticinationes vere ſic dictas complectantur (2), ita nunc indicare iuvat magnum praeſi-di-

(1) Conf. Hamelsveld, *Bijb. verd.* C. 6. Vol. I. p. 244—388. Ioh. Stinſtra, *oude voorſpellingen aangaande den Mesſias en deszelfs openbaring opgehelderd en toegepast op den Heer Jezus en zijn Euang.*, 3 Vol. 8vo Harlingae 1779—1786.

(2) Vid. Part. II. Sect. I. § 2. p. 69—72.

dium e V. T. petendum, ad tuendam earum auctoritatem. Hoc argumentum erit §[i], quae huius sectionis est postrema.

§ IV.

Vaticinationum, ad tuendam doctrinam Christianam adhibendarum, auctoritas, ex ipsis V. F. libris defendenda.

Permultas V. T. vaticinationes tempore Ecclesiae Christianae eventu esse probatas, variis exemplis demonstres: neminem nisi Conservatorem nostrum iis designatum fuisse, evidenter ostendas; frustra tamen susceperis laborem, antequam constet de oraculorum auctoritate divinâ. Tristis scilicet experientia docuit, hanc a multis in dubium vocari, immo compluribus argumentis negari.

Retulerunt Prophetae V. F., ut statuunt nonnulli, „ eodem modo sua oracula Dei numini
„ accepta, quo aliarum gentium vates; atque
„ uti omnia cogitata, subito menti oblata, om-
„ nesque bonos animi motus, omnia prudentiae
„ consilia, et quidquid ingeniose ac sapienter
„ animo informabatur, divinitus sibi suggeri,
„ prisci opinabantur; ita quoque illi futurorum
„ divinationem a Numine inspiratam, credide-
„ runt:

„ runt: fuerunt vero Hebraei Prophetae ſingu„ laris perſpicacitatis viri, quorum praedictio„ nes modo nihil erant, niſi iudicia, in ſe val„ de probabilia de rebus, quae ſive inter Israë„ litas, ſeu inter horum hostes aliquando even„ turae esſent, modo generales quaedam futu„ rorum temporum partim fortunatorum, par„ tim infelicium deſcriptiones, quae, pro ar„ gumenti diverſitate, ſive ſpem, ſeu terrorem „ iniiciebant animis; viſiones autem propheti„ cae mera fuere imaginationis phantasmata (1); „ atque adeo praedictionum, ſi definitae ſint, „ comprobationem eventu demonſtratam in tem„ poribus duntaxat ipſi auctorum aevo proximis „ quaeri oportet, cum remotiora ſuae mentis „ vi praevidere non potuerint, et quaecunque „ adeo ad tempora ſpectent magis longinqua, „ nec vagis ac generalioribus rerum deſcriptio„ bus comprehendantur, ea propter ipſam hanc „ cauſſam ſuſpectae ſunt habendae, iisque, quo„ rum nomen praeferant, ſuppoſitae. Oracula „ denique, quibus illustris aliquis vir, quem „ Mesſiam dicere ſolemus, olim in gente Is„ raëliticâ exoriturus, et iustisſime ac felicis„ ſime longe lateque regnaturus, praeſignifica-

„ tur,

(1) Conf. Meyerus, Hermen. V. T., II. p. 596—610.

„ tur, fuerunt pia nonnullorum virorum pa-
„ triae suae amantissimorum vota, quibus et si-
„ bi et aliis meliores dies augurabantur, eo-
„ rumque felicitatem ad aureorum ac fictitio-
„ rum seculorum imagines laetissimas adumbra-
„ bant: harum autem vaticinationum aliqua so-
„ lummodo pars eventu comprobata fuit per
„ Iesum illum Nazarenum, qui, quo tempore
„ generalis apud Iudaeos illorum promissorum
„ tandem implendorum erat exspectatio, semet
„ ipse pro viro, cuius nascituri spem fecerant
„ antiqui Prophetae, haberi voluit, quo meli-
„ us se ad communes opiniones accommodaret,
„ et, quod haberet, propositum magis feliciter
„ exsequeretur" (1).

Atque hoc modo divinâ V. T. oraculis auctoritate negatâ, omnis simul reiicitur Conservatoris nostri eiusque legatorum auctoritas, in docendo et interpretando antiquas vaticinationes: hac ratione miserrime homines decepisse dicendus est Optimus noster Conservator, omneque pe-

(1) Illustrationis causâ ad verbum fere hic secutus sum descriptionem, quam dedit Cl. I. H. Pareau, in Disput. laud. pag. 140, 141. Nec diffiteor, mihi quoque datam fuisse opportunitatem, ea nonnunquam consulendi, quae idem Vir Cl. in Scholis suis de Antiq. Hebr., et de Interprete V. F. tradere solet.

perit, quod per tot fecula in vaticinationibus pofuerunt Chriftiani, fundamentum fuae fidei. In eiusmodi autem criminationibus cuique patet, ex folis libris V. Foederis litem esfe dirimendam: quod quam feliciter fieri posfit, fequentia, ni fallor, probabunt.

Divorum enim Prophetarum doctrinam, vitam, res geftas, et conditionem fi fpectes, eoque confilio ipforum fcripta et hiftoricorum nonnullorum V. T. libros legas, difcrimen optime animadvertes, quod eos inter et gentium aliarum vates intercedit.

Et primum quidem, hoc adhibito fubfidio, videmus folos esfe Prophetas V. F., qui uno fere ex ore dictis fuis et fcriptis idololatriam et fuperftitionem repellere ftuduerint, librosque, qui eorum complectuntur oracula, folos esfe, qui ex antiquo illo tempore unius Dei cultum probarint ac defenderint. Quod fi teneamus ac praeterea credamus, Deum esfe, qui fui cognitionem per orbem terrarum propaget, omni iure perfuademur, eundem fuisfe Deum, qui hos viros duxerit et docuerit (1).

Porro cum gentium vates, appareant vi fictitiorum

(1) Vid. G. F. Seiler, *Bijbelfche Uitlegkunde uit het Hoogd.*, *met aanmerkingen en bijvoegzelen van* J. Heringa, *Eliza's Zoon*, 1804. § 190—192.

rum Deorum ſua oracula accepta tribuentes, fabulas et commenta, nunquam eventu probata, tradentes, plerumque principum gratiam quaerentes, et ſui commodi cauſſâ plebem ludentes, denique idololatriae, voluptatis, multorumque vitiorum propagatores: longe aliud praebent ſpectaculum, quaecumque de antiquis Prophetis traduntur. Hi enim veram tradebant doctrinam de Deo eiusque operibus, providentiâ, remuneratione, et poenis ab eo iudice ſupremo ſpectandis: oracula edebant, nullâ habitâ ratione ſive principum, ſeu magnatum, quibus ſaepe poenas nobilisſimâ audaciâ divinitus annuntiabant, neque unquam crudelisſimorum tyrannorum minas metuebant: moralem vero regum non minus quam plebis conditionem curantes, religionem, virtutem veramque felicitatem quaquaverſum dispergere conabantur (1). Quemadmodum autem in doctrinâ tradendâ, vitâque inſtituendâ ad optima morum praecepta, legatorum divinorum nomine dignisſimos ſe praeſtarunt, ita quoque in ſingulari ſuo munere fungendo tanta praebuerunt auctoritatis ſuae testimonia, quanta in vatibus divinis deſideres. In rerum futurarum praedictione verſantes, arcanae cuiusdam artis ne ſpeciem quidem prae-

(1) Vid. Seiler, l. l. § 192.

praebebant, absque ullâ haesitatione tempora tam prope quam remotius instantia describentes, ac si ea iam adessent, et in rebus iam iam eventuris, ne levissimum quidem metum ostendentes, ne aliquando erroris convincerentur. Profecto quam sibi ipsi tribuendam voluerunt dignitatem non ita servare et tueri potuissent, nisi revera tales fuissent, quales se esse profiterentur, legati divini. Nisi igitur horum virorum scripta, et quaecunque ab aliis in V. T. de iis relata fuerunt, perlustres, haud facile auctoritatem, quâ gaudebant, divinam probare poteris; neque etiam certum erit, vaticinationum eam fuisse rationem, ut aliquando omnino eventu essent comprobandae, atque longe abesse, ut merae imagines poëticae, aut allegoriae sint dicendae (1).

Perhibeant licet nonnulli, rerum praesignificatarum eventum pependisse semper a conditione quâdam, a vatibus facile praevidendâ, haud paucis argumentis e V. T. desumtis ad huiusmodi dubitationes respondere possumus. Nonnunquam enim divinitus editas vaticinationes certissimo comprobandas esse eventu testantur, tunc etiam, quando nonnulla prohibere viderentur, quo-

(1) Conf. Folmer, Diatribe in Opp. Soc. Hag. 1804. pag. 330 sqq.

quominus res annunciatae acciderent (1). Quodsi oraculorum eventum in temporibus duntaxat ipsi auctorum aevo proximis quaerendum esse censeatur, vaticinationes in V. T. libris indicari possunt, quarum post tria quatuorve secula comprobatarum in iisdem scriptis fit mentio (2).

Sunt vero et alia, quibus impiam opinionem defendere conantur adversarii: suppositas et suspectas esse statuunt, quotquot sacer codex exhibet vaticinationes, remotiora tempora definite spectantes. Si autem demonstraveris, adesse eiusmodi divinationes, quae nec post eventum deinceps inseri, neque iis, quorum nomen praeferunt, supponi potuerunt, de ceteris nulla manet dubitandi ratio iusta. Idcirco si vaticinationem spectamus de uno vero Deo per omnem terrarum orbem colendo: hanc a Mose iam editam (3), a subsequentibus Prophetis amplificatam, eventu magis magisque probatam cernimus. Quomodo quaeso haec supponi potuerit, et variis inseri locis, nisi omnis V. F. librorum integritas sit neganda? (4).

Ut

(1) Vid. e. g. 2 Sam. VII: 15. coll. Ps. LXXXIX: 31—34.

(2) e. c. 1 Reg. XIII. coll. 2 Reg. XXIII: 16.

(3) Deut. XXXII: 28—35. 37—43. XXXIII: 26 sqq.

(4) In universâ nostrâ disputatione sumitur Librorum

Ut cetera mittam, una hoc loco etiam commemoranda est sententia, Christo indigna, quae optime e libris V. T. refellitur. Qui huius sunt fautores autumant, Iudaeos calamitatum pondere presfos, tandem in spem et exspectationem illustris alicuius regis fuisse adductos, a quo maxima beneficia ad gentem Iudaicam essent manatura, quique eam ab hostium dominatione liberaturus, et summam salutem procuraturus esset. Cum autem Iudaei eâ spe frustra fuissent, atque respublica magis magisque in peius rueret, factum fuisse censent, ut hominis probi et sapientes in longe aliam Messiae exspectationem pervenerint; animadvertentes nimirum, vacuam esse spem, quam in terrestri quodam rege ac vindice posuissent, omnem suam cogitationem ad coelestem quemdam regem convertisse, cuius aeternum et felix esset imperium. Atque hac ratione, si istis audias, vates quoque antiqui sibi reipublicae Iudaicae instaurationem mente et cogitatione informaverint. Ad horum igitur vi-

[illegible] ro-

rum V. T. authentia et integritas. Caeterum, quod ad Propheticos, qui dicuntur, libros attinet, peculiaris exstat Commentatio M. I. H. Beckhausii, *oordeelkundige verdediging van de echtheid en ongeschondenheid der Prophetische Schriften*, in Opp. Soc. Hag. 1795.

rorum vota pia, veluti ad ipsa Dei oracula, provocaverit Conservator noster! haec laudaverit et commendaverit ad divinam legationem suam atque originem probandam!

Sed laetemur, nobis haud deësse argumenta, quibus facile haec sententia ab omni veritatis praesidio destituta appareat. Primum enim Messiae exspectationem minime ortam esse ex infelicissimâ reipublicae conditione, exin patet, quod faustissimo Israëlitarum tempore eadem iam foveretur spes laeta, uti maxime intelligitur e Psalmo II et CX (1). Dein vero, errant vehementer, qui primum annunciatum fuisse putent terrestrem vindicem, summam Israëlitis felicitatem redditurum. Nimirum, quae pro hac opinione afferuntur loca e V. T. ea modo probant, Liberatorem promissum et designatum fuisse imaginibus e rebus huius vitae desumtis. Cum autem ipse Deus simili ratione saepissime ad captum hominum describeretur, quidni etiam regia Messiae dignitas eiusque munus salutare ad optimorum regum rationem depingerentur? Accedit, quod non paucae sint eius-mo-

(1) Conf. H. Müntinghe vir Cl., in Annott. ad h. l. et in Opere saepius laud. *Gesch. der Menschh.* IV. p. 106. I. H. van der Palm vir Clar., in Animadv. ad h. l.

modi descriptiones, quae sublimius quoddam imperium hisce imaginibus propositum fuisse aperte doceant (1). Denique, quod attinet ad coelestis cuiusdam regis exspectationem, quam demum in tristissimâ gentis Iudaicae conditione ortam fuisse statuunt, in eo sibi ipsi contradicunt. Etenim ne captivitatis quidem Babylonicae tempore se abstinuerunt vates divi ab iis Messiae annunciationibus, quae eum facere viderentur regem in hoc orbe imperaturum, hostes devicturum, gentique Israëliticae, Hierosolymis cum templo restitutis, optimam felicitatem procuraturum (2). Quodsi igitur hac aetate omnem cogitationem ad coelestem regem conversam fuisse, ipsi fateantur, non video, quonam iure antea longe alium exspectatum fuisse Liberatorem statuant, cum haud mutata fuerit ratio, quâ variis temporibus hunc vindicem et Conservatorem descriptum videmus.

Aut ego fallor, aut haec aperte docent, magni esse usus V. T. codicem in tuendâ vaticinationum auctoritate, atque omnes, qui eam ne-
[illegible] gent,

(1) Ps. II: 6, 7. Ies. VIII: 23. IX: 1—6. Mich. V: 1. Dan. VII: 13, 14.

(2) Ierem. XXIII: 1 sqq. Ezech. XXXVII: 21 sqq. Zach. VI: 12.

gent, feliciter refutari posse, si prudenter antiqua sacrae gentis monimenta adhibeas.

„ Quorsum vero," uti alios mihi reponentes audio, „ quorsum haec universa disputatio hodiedum pertinet? Isti enim, qui adhuc Veteri Testamento aliquâ religione tenentur, illudque pro pietatis et fidei normâ amplectuntur, Novum autem reiiciunt; isti hodierni Iudaei eâ ratione debellentur, ut iis luce clarius demonstretur, Christum, qui olim patribus eorum fuit promissus, tempore antea definito venisse, atque in eo omnia, a Prophetis praedicta, eventum habuisse, adeo ut ad amentiam et furorem referri oporteat, quod post eiusmodi demonstrationes etiamnum alius exspectetur Conservator; quâ methodo Paullum Apostolum usum fuisse novimus (1). Nobis vero doctrinae Christianae auctoritas ex eius praestantiâ, et e vi, quam in animos hominum habeat, probanda est." At vero, ne dicam, hanc rationem lubricam esse et incertam (2), ita mihi est persuasum de vaticinationum eventu comprobatarum usu, ut, si absint, omnis pereat argumentorum vis in tuendâ doc-

(1) Act. XVII: 2 sqq.

(2) Vid. Danovius, in Programmate de eo, quod in religione vim rationis superat, Ienae 1781.

doctrinâ Christianâ. Quomodo enim de aedificii cuiusdam virtute constare poterit, ante quam fundamenta, quibus innititur, firma et stabilia esse apparuerint? Fundamentorum autem instar in religione nostrâ spectandas esse vaticinationes, ipsa docet ratio, quam Christus et Apostoli in docendo tenuerunt.

Haec scilicet eiusmodi fuit, ut ex oraculorum antiquorum eventu Christum Messiam probare necesse ducerent. Si autem necessarium non esset hoc argumentum, haud profecto id allaturi fuisse censendi sunt: satis nimirum dictorum suorum veritatem miraculis editis confirmaverant, atque adeo hisce fidem sibi conciliare potuerant prae antiquis vatibus eo maiorem, quo splendidiora et ad persuadendum accommodatiora erant; deinde missurus fuisset Conservator noster hanc argumentandi rationem ob perversam, quae de Messia fovebatur, exspectationem, cui satisfacere nunquam potuit, terrestre imperium haud constituturus (1). Quid? quod eadem haec fuerit ratio, quae ansam praebuit calumniis, quibus crudelis eius tribuenda fuit mors (2).

Itaque cum hoc modo vaticiniis et promissioni-

(1) Conf. Regenbogen, in Opp. Soc. Hag. 1797. p. 66, 67.

(2) Matth. XXVI: 64.

nibus V. F. ſuperſtructa ſit doctrina Christiana, cum porro per univerſam mundi historiam, quatenus eam exhibet ſacer codex, regnet Mesſias ille, in ſalutem hominum, divinâ dignorum poenâ, promisſus (1), cumque Christus ſe venisſe testatus ſit, ut perpetuum illud regnum, quod Mesſias adducturus foret, conſtitueret, per ſe patet, ab effatis V. F. librorum omne doctrinae Christianae veritatem pendere (2).

Hisce igitur V. Testamenti uſum in tuendâ doctrinâ Christianâ deſcripſisſe nobis videmur; quibus addas omnino ea, quae antea disputavimus de uſu in hac doctrinâ cognoscendâ et aestimandâ. Quodſi enim vera eius indoles nec cognosci, nec rite aestimari, neque adeo defendi et propugnari posſit absque hoc ſubſidio, quisque videt, omnia in Sectione I. et II. disputata, valere etiam ad firmandam ſententiam nostram, quam hac Sectione probare conati ſumus.

Transeundum iam est ad postremam huius Partis Sectionem, quâ uſus Librorum laudatorum in doctrinâ Christianâ ad virtutis ſtudium adhibendâ est deſcribendus.

(1) Conf. Venerabilis M. Rummerink, in Oratione praelectâ in Soc. Hag. 1797.

(2) Conf. Folmer, in Opp. Soc. Hag. 1804. p. 429—439.

SEC.

SECTIO QUARTA.

USUS LIBRORUM VETERIS FOEDERIS IN DOCTRINA CHRISTIANA AD VIRTUTIS STUDIUM ADHIBENDA.

§ I.

Librorum V. F. usu in doctrinâ Christianâ intelligendâ, aestimandâ ac tuendâ descripto, superest denique, ut eorum demonstremus usum in eâdem doctrinâ ad virtutis studium adhibendâ. Hac autem postremâ quaestionis parte id spectatum fuisse videtur, ut ex iis, quae supra de Librorum laudatorum praestantiâ ac usu disseruimus, tandem conficeremus, quantopere horum auxilio ducamur ad *praxin* Christianam. Quae, ut rite instituatur disquisitio, primum universum eorum argumentum erit considerandum, dein vero inquirendum quid e praestantiâ religionis Christianae prae antiquâ Mosaicâ oriatur ad virtutis studium commendandum.

§ II.

Argumentum Librorum V. F. aptisſimum esſe ad virtutis ſtudium augendum, provehendumque, nemo non agnoscet, qui in memoriam revocet ea, quae monuimus de egregiâ morum doctrinâ, in his monumentis exhibitâ.

Ad *Christianae* autem virtutis ſtudium commendandum et excitandum imprimis haec ſcripta adhiberi posſe, eiusdem morum doctrinae conſideratio abunde docet. Quocirca tum *praecepta moralia*, quae ſparſim inveniuntur, ac in legendo ubique nobis occurrunt, tum etiam *exempla* hominum proborum aeque ac impiorum ſunt attendenda. De his igitur in hac et ſubſequente §° breviter disputemus.

Quae praecipit Christi doctrina erga Deum officia, identidem ea ſibi commendata ac iniuncta reperiet Librorum V. F. lector. Sincerum ardentisſimumque erga Deum amorem, gratum quibusvis in conditionibus animum erga ſummum Dominum praecipiunt, atque fiduciam in eo ſemper collocandam esſe docent, neque hoc tantum, verum in his ſimilibusque iubendis et commendandis eam ingresſi ſunt viam ſinguli, qui divinitus ex ſummâ antiquitate nos etiamnunc docent ac hortantur viri, quâ optime ad fun-

fungendum officiis ducantur homines. Nunquam fere causfas addere negligunt, quae nos adſtringant voluntati divinae obſervandae; cuius rei documentum in divorum vatum carminibus et hymnis tam manifestum est, ut non opus ſit e caeteris ſacrorum ſcriptorum libris nostram probare ſententiam. In iis enim pasſim celebratur Deus Optimus Maximus, ſapientiâ, potestate, et ſanctitate infinitâ praeditus, huiusque proprietates ita deſcribuntur, ut in lectorum animos non posſint non infundere ſenſus pios. Providam Dei Procreatoris curam et imperium in res creatas, praeſertim in homines, hominum indolem depravatam, quantumvis origine ſuâ praeclaram, beneficia, quae in ſontes mortales quotidie deferuntur, veram felicitatem in ſincero laetoque Dei cultu poſitam, faustam hinc et iucundam proborum ſortem, flebilem contra aerumnoſamque conditionem omnium, qui Deum contemnant, deſcribunt, oculisque quaſi ſubiiciunt vates antiqui, tantâ ſuavitate et gravitate, quanta nuspiam alibi inveniatur. Quis quaeſo est, qui Domini ſui Christi praecepta recordans iisque obedire ſtudens, haec legat carmina, quin ſimul incitatum ſe ſentiat ad lubentisſimam obedientiam, et ad pergendum in virtutis ſemitâ, quam ſemel iniit, cuiusque necesſitatem et iucun-

di-

ditatem eo melius agnoscat, quo altius hymnos laudatos memoriâ teneat. Plura profectò hic dicenda forent, nisi omnium fere Christianorum experientia satis doceret, quid in hac caussâ valeant sacri, qui maximam partem Davidem habent auctorem, hymni. Ut porro e multis nonnulla acu tangamus, Proverbiorum liber hic memorandus est omnino. Foecunditas enim praeceptorum moralium, quae in eo animadvertitur, et *methodus* docendi, quam sequitur auctor, optime inserviunt quibuscunque vitam in Dei Christique honorem instituere studentibus. Sententiae scilicet eiusmodi breves facile menti alte infiguntur, acumine delectant, et oblatâ occasione recurrunt. Quod si vero semper utilis sit homini, in hac rerum conditione posito, descriptio stultitiae, quae in voluptatibus percipiendis, in divitiis corradendis cernitur, Ecclesiastes scriptor optimus est magister. Vanas esse et inconstantes docet res omnes huius vitae, licet saepe magni aestimatas et cupide appetitas: atque hinc efficit, hominem in hac conditione nunquam invenire, quod cupiat, reverentiam vero Dei esse omnium summam. Tandem hic etiam commemorandum est elegantissimum poëma, quod Iobi eiusque amicorum egregias continet super Dei imperio morali disputationes: nullus enim est Dei Christique cultor,

tor, cui inutilis esse posſit divinae in ſorte humanâ regendâ curae defenſio. Legat igitur atque in omni fortunae vicisſitudine perlegat antiquisſimum hoc monumentum: discat, humano ingenio haud investigandas esſe causſas, propter quas probi non raro laborent adverſis, improbi vero usque ad vitae finem proſperis utantur rebus; verum fiduciam ſemper esſe collocandam in eo, qui pro divinâ ſuâ ſapientiâ et ſanctitate omnia regit ac gubernat.

Ut caetera frugiferi argumenti ſcripta, quae ſacer hic Codex complectitur, mittamus, hoc unum animadverti velim: eo ſcilicet etiam contineri fontem, e quo officiorum nostrorum cognitio petatur. Obligamur enim ad eadem officia praeſtanda, quae Israëlitis fuere praeſcripta, quatenus conveniant legi naturali et Christianae; ita amoris erga Deum praeceptum, quod veluti principium nobis commendatur, amplificatur quam maxime, ubi conſideres, quot et qualia ex eo ducta fuerint in V. T. officia, quae in N. T. non tam evidenter ſunt iniuncta.

§ III.

Laudandus porro est V. T. codex ob *exempla* bene multa hominum piorum ex antiquâ aetate cognitorum.

Ubi-

Ubinam quaeso tot reperiuntur descriptiones sanctorum virorum, in quibus imagines virtutis ac benefactorum oculis nobis ad intuendum et imitandum proponuntur? Ubinam tanta eorum nobilitas, suavitas ac varietas? (1) His autem magnam esse tribuendam utilitatem in doctrinâ Christianâ ad virtutis studium adhibendâ, nemo facile in dubium vocabit. Quamvis enim optimum omniumque instar exemplum nobis praebuerit Conservator, ab omni culpâ immunis, quod ita est comparatum, ut omnes ad sui imitationem plane obstringat, contra vero in iis, qui maxime ob probitatem suam in V. T. laudantur, non nisi imperfectae virtutis imago cernatur; haud tamen his carere possumus facile. Isti nimirum sumus, ut quaecunque doctrinae Christianae praecepta gravia ac difficillima videntur, lubenter duceremus humanae naturae haud convenientia, nisi aliunde constaret, perversam esse eiusmodi opinionem. Iam vero Patriarcharum, Mosis, Samuelis, Davidis, divorum vatum indagantes fata et res gestas, omnique Israëlitarum historiam perlustrantes, undique circumdamur hominum catervâ, qui ex an-

(1) Conf. Niemeyeri Diatribe laud. praefixa Tomo V. eius Operis *Charakteristick der Bibel*, pag. 16. et A. van Harencarspel, l. l. pag. 118, 119.

antiquisſimo aevo doceant, ſe nonnunquam luculentisſima pietatis documenta dare potuisſe. Quodſi igitur multi aegre ſibi ad imitandum proponi patiantur perfectisſimum Servatoris nostri exemplum, quippe qui ab errore et peccandi libidine longe ſemotus, non fuerit expoſitus labendi periculo, antiqua haec monimenta admoveantur, et in uſum omnium vertantur. Atque ita ſibi data vident Christiani, quae deſiderant: immo hac ratione omne demitur praeſidium, quo uti cupiunt quicunque, in debilitate nostrae naturae, labendique periculorum multitudine nimis tollendâ, peccatorum quaerunt excuſationem. Quoties enim adſpiciant virtutis heroes, in V. T. laudatos, cernunt homines eâdem, cuius hodiedum participes ſumus, naturâ gaviſos, et qui ſaepe maiores, quam quas Christianae Eccleſiae ſocii experiuntur, obediendi difficultates feliciter ſuperarunt. Verbo: ſi propoſiti nobis deſideremus viam, quae depravatis hominibus ineunda ſit, ut ad ſanctitatem perveniant, exempla haecce intuenda ſunt.

Cum autem iidem libri prae ceteris prodant laetos, quos virtus ferre ſolet, fructus, atque aerumnas, quae officii neglectum ſequuntur plerumque; hinc conſequitur, tam proborum, quam improborum hominum exempla hic in cenſum venire, quippe quae et ad amorem probi-

bitatis promovendum, et ad impietatis fugam immittendam conducunt.

§ IV.

Cernitur denique singularis V. T. usus in doctrinâ Christianâ ad virtutis studium adhibendâ, simulatque in mentem revoces, quae de Conservatoris nostri institutione, Patefactionibus antea datis longe ampliore, disputavimus (1). Si enim hac de caussâ constet, idonei sumus omnino ad inquirendam rationem, quâ religionis et ethices Christianae doctor his libris uti possit, ut homines convenienter cum huius melioris doctrinae indole ad virtutis studium informet.

Itaque, si officiorum rationem spectes, qualis et in Mosaicâ et in Christianâ religione animadvertitur, non fieri potest, quin eo lubentius ad divinae voluntati obtemperandum ducamur, quo diligentior sit V. T. lectio. Nimirum, valde durum fuit caerimoniarum iugum, quod Israëlitis imponebatur, ita ut laboris, curae et abstinentiae plena esset praeceptorum observantia, atque saepe magna cultus divini pars irrita fieret, minutissimâ re neglectâ. Cum vero longe alia sit ratio officiorum, quae Christianis sunt ex-

(1) Vid. Sect. II.

exsequenda; cum sit mitior et simplicior, affirmare haud dubitamus, laudatos libros ansam praebere doctori, animos auditorum ad promte Deo obtemperandum instigandi. Doceat enim, neque continuam a cibis quibusdam abstinentiam; nec difficile saepe et longum iter ad sacrum, quo Deus adorandus sit, locum, nec sumtuosa sacrificia, nec lustrationes saepe repetendas, nec crebras lavationes, nec circumsectionis molestiam, nec caetera horum similia etiam nunc impedire, quominus facilis habeatur praeceptorum divinorum obedientia. Ubique, absque donis et sacrificiis, ne corporis quidem munditiei ratione habitâ, Patrem coelestem adire nobis licet, dummodo animum ei offeramus sincerum, peccata dolentem, et ab unâ Dei benignitate salutem et poenae remissionem quaerentem. Nulla amplius sacrificiorum est necessitas. Christus ipse est hostia, omnium pretiosissima, pro nobis, quotquot ei fidem habeamus, immolata (1).

Eodem modo virtutis Christianae studium excitatur quam maxime, si conferamus Mosaicae religionis severitatem cum suaviore nostrae religionis indole. Quotiescunque V. F. libros legendo in ea incidimus loca, quae maxime

(1) Hebr. IX: 14. X: 14.

me minantem fuisse testantur antiquam reipublicae constitutionem, in quâ Deus variis naturae phaenomenis, terribili ratione suam prodidit praesentiam, sponte fere ducimur ad agnoscendum Dei in nos favorem, neque possumus non gratum ei referre animum, qui paternâ magis clementiâ prodiit in Christo Iesu.

Ut autem omnem improbitatem, diffidentiam et contumaciam fugiamus, suadet eadem Israëliticae religionis consideratio. Quodsi enim haec firma et rata fuerit, ita ut leges et praecepta eius haud sine damno violari potuerint, nemo non sentit, maiores et iustiores manere poenas quoscunque Christi doctrinam negligentes (1). Israëlitae longe remoti ab eo ingenii cultu, quo nos gaudemus, multarumque rerum divinarum, quae a Iesu Christo demum sunt patefactae, carentes notitiâ, obstricti tamen fuere legibus divinitus latis, easque non impune neglexerunt.

Profecto salutaris et incitando virtutis Christianae studio valde idonea est eiusmodi collatio conditionis, quae olim Israëlitarum fuit, hodie vero est omnium Christianorum. Consideremus e. c. fundamentum, quo plerumque legislatoris Israëlitici auctoritas nixa olim fuerit, eamque com-

(1) Simili argumentandi ratione utitur auctor Epistolae ad Hebr. II: 2, 3. X: 28, 29. XII: 25.

comparemus cum legis Christianae fundamento. Etenim, ut Israëlitae caussam, ob quam legibus divinis obediendum esset, compertam haberent, in memoriam revocandam iussit Moses (1), pristinam in Egyptiacâ servitute conditionem, et Iehovae benignitatem in gente suâ e tristissimo hoc statu liberandâ. Summum hoc beneficium, quod eodem consilio identidem laudatur in V. T., exponat religionis Christianae doctor: hinc egregiam sibi capiet opportunitatem docendi, quanto maiora et efficaciora habeant Christiani argumenta, quibus laetae obedientiae Deo atque Conservatori nostro praestandae necessitas probetur. Non liberati sumus e servitute Aegyptiacae illius simili. Verum saevissimo peccatorum imperio subiectum erat universum genus humanum. Ex istâ tyrannide redemti sumus, interveniente Optimo Patre coelesti, miseris ac sontibus benigne succurrente: hanc superavit ipsius Filii servatoris nostri, dum in terrestri versabatur conditione, obedientia, quae tam in sanctâ et utilissimâ suâ vitâ instituendâ, in multis iisque diris fatis subeundis, quam et in morte crudelissimâ obeundâ, fuit

(1) Deut. VI: 20—25. Conf. I. H. van der Palm Vir Cl., ad h. l. in Orat. Sacrâ. *Achtste Zestal Leerred.* pag. 71—106.

fuit manifesta. Si igitur Israëlitis satis argumentorum fuerit exhibitum, quibus certa fieret Iehovae auctoritas legislatoria, quam alacres, quaeso, et promtos nos esse oportet in virtute sectandâ, qui Dei voluntatem, Filio ipsius interprete, cognitam penitus habemus, et quorum caussâ inauditum et maximum, quod dari potuit, divinae benignitatis documentum est editum? Atque adeo, quantis sibi beneficiis clementissimus Deus devinxerit Christianos prae gente antiquitus ei sacrâ, et quid propterea ei debeamus, rite demum institutâ eiusmodi comparatione agnoscemus et ardentissimi incendemur amoris sensu erga salutis nostrae auctorem et vindicem.

Hoc modo sacrum V. T. codicem in usum nostrum vertamus, ut virtutis Christianae momenta augeantur, et animus noster vehementius excitetur ad Deum colendum ac venerandum.

Quandoquidem vero singulas doctrinae divinitus patefactae partes accuratius et interius perspicere liceat Christianis, quam olim Israëlitis, sequitur, magnam semper esse V. T. utilitatem, si hac ratione adhibeatur. Hinc etiam crescit exemplorum, supra iam laudatorum, usus. Probitatis enim documenta, qualia exhibet sacra antiquitas, ad imitandum proponat doctor Ecclesiae Christianae, doceat simul, quid iam Is-

 raë-

raëlitae arctis cognitionis limitibus circumfcripti valuerint in virtute fectandâ: probet, vitae exfpectationem futurae apud quosdam nonnihil efficacitatis fuisfe ad probitatis conftantiam; et permultos fuisfe, quorum fides inconcusfa maneret, licet haud tanta divinae veracitatis documenta cernerentur, quanta nobis data funt: immo, Confervatoris a Deo promisfi fpem crevisfe, quamvis a propofito nonnunquam defistere videretur Dei fapientia. Egregia profecto hinc ortura funt incitamenta ad aemulandi ftudium provehendum, et eo magis augendum, quo validiora funt virtutis fubfidia, et momenta, quae Christi doctrina nobis tradidit.

Verum uberiore huius fententiae demonftratione haud opus esfe cenfemus. Itaque manum de tabulâ.

Ad finem fic perducta fit nostra qualiscunque disputatio, quae, fi quid valuerit virium nostrarum tenuitas, magnam esfe probavit Librorum V. F. praeftantiam egregiumque ufum: ita, ut fummo eos habeant loco quicunque boni, veri ac pulcri fenfu haud prorfus funt deftituti, iisque carere non posfint quotquot Christianam doctrinam intelligere, aestimare, tueri et ad virtutis ftudium adhibere velint.

Quo-

Quocirca lubenter etiam nunc asſentimur Paullo Apoſtolo, cuius de V. T. ſententia in ſymbolo nostrae Commentationis enuntiata fuit.

Πᾶσα γραφὴ, θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ.

2 Tim. III: 16.

T A N T U M.

IANI CONRADI PRUIMERS,

ZWOLLANI,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

IURIS CAND.

COMMENTATIO,

QUA RESPONDETUR

AD

QUAESTIONEM

AB ORDINE

IURIDICO

PROPOSITAM:

„ *Quid ſtatuerunt auctores Codicis Civilis de re-*
„ *rum mobilium vindicatione? Quibus de cau-*
„ *ſis hac in re a Iure Romano recesſerunt?*
„ *Qua tandem ratione utriusque iuris doctri-*
„ *na optime temperari posſe videtur, ut tum*
„ *in iure dominii tuendo, tum in libero re-*
„ *rum mobilium commercio haud impediendo,*
„ *aequitatis et boni publici, quoad eius fieri*
„ *posſit, habeatur ratio?"*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Inter utrumque tene.

OVIDIUS.

PROOEMIUM.

Neminem fugit, naturae humanae proprium esſe ſtimulum, ut ad maiora tentanda efficaciter impellamur: qui ſtimulus, uti in aliis rebus multis exitio fuerit, ita tamen omnino necesſarius est illis, qui litteris disciplinisque operam navare cupiunt. Is enim, qui ſemper anxie timideque vires ſuas metitur atque deliberat, an labori cuidam ſint pares, facillime a quovis propoſito abſterrebitur et nunquam pari pasſu ambulabit cum illo, qui ſibi perſuaſum habet ſtrenuam fortemque voluntatem in rebus, quae ſtudia ſpectant, ſummam habere ad felicem ſuccesſum efficaciam.

Haec cum mecum reputarem, ad meam notitiam pervenit quaestio Iuridica, hoc anno in Academia Rheno-Traiectina propoſita, cuius tale est argumentum, ut, quo nullum ſit neque legum discrepantia inſignius, nec ad vitae

ufum accommodatius, eodem nullum mihi videatur ad elaborandum iucundius. Sic factum, ut ad nobilisfimam hancce quaestionem refponfionem confcribere nullus dubitaverim; non quafi non probe cognitum habeam, quam leve fit onus, quod humeri ferre valeant, quam parum grave, quod ferre recufent; verum talis haec arena, ut vinci quam non certasfe gloriofius existimem: talis palma propofita, ut fpes tenuisfima vincendi victoriae fulgore late compenfetur: tale denique quaestionis argumentum, ut qui illud elaboraverit, ut ut res cadat, oleum et operam numquam perdiderit.

Ut dilucido, quantum fieri posfit, procedamus ordine, aptior haud esfe mihi vifa est via, quam ipfa illa, quae placuit Viris Cl. in quaestione proponenda.

Hanc igitur fecuti:

Cap. I. *Doctrinam Codicis Civilis exponemus.*

Cap. II. *Quid Iure Romano conftitutum fuerit et quibus de caufis ab eo fit recesfum, inquiremus.*

Cap. III. *De eo, quid circa rerum mobilium vindicationem legibus iuberi civitati expediat, nostrum qualecumque iudicium addemus.*

CA-

CAPUT PRIMUM.

QUID STATUERUNT AUCTORES CODICIS CIVILIS DE RERUM MOBILIUM VINDICATIONE?



§ I.

Quid ſit rei vindicatio.

Is, qui rem aliquam ſibi tractandam ſumit, hoc ante omnia agat necesſe est, ut claram rei exhibeat notionem: quae obſervatio in omnibus quidem valet; ſed in hacce materia ſummi est ponderis, cum verbum *rei vindicatio* tam vario ſumi posſit ſenſu, ut eodem caſu alter ICtus eam dari affirmet, alter neget, quamvis quoad iuris principia eandem plane tueantur ſententiam. Hoc igitur ne in vitium incidamus, ante omnia rei vindicationis naturam indicemus.

Dominium (*la propriété*) ipſo *Codicis Art.* 544. definitur: „ Ius de re ſua pro arbitrio disponendi eaque plenisſime utendi fruendi, quatenus

„ nus id non ſit legibus vel ſtatutis prohibitum."
Rei vindicatio autem intelligitur *actio*, *qua dominus*, *vi iuris dominii*, *rem ſuam repetit a quovis posſesſore*. Oritur ergo haec actio ex iure dominii, huius probationem tanquam fundamentum iuris actoris ponit; datur vero contra quemvis posſesſorem, qua talem, unde actor probare debet reum esſe posſesſorem vel pro tali in iure habendum esſe (1). Est itaque actio realis, cuius fundamentum est dominium, ius perpetuum, quod a posſesſione minime pendet, ſed domino inhaeret, licet res ex manibus eius quocunque alio, ac legitimo, modo exciderit. Hoc ſenſu acceptam rei vindicationem nunc tractemus, postea vero eam latiori quoque ſenſu accipi videbimus.

Doctrina, quae ſpectat vindicationem rerum immobilium, iure Codicis difficultatibus adeo laborare non videtur neque ad nostrae pertinet ſcriptionis argumentum. Si vero quaeratur, quatenus vindicatio mobilium Codice excludatur;

(1) Pothier, *traité de la propriété*, *P. II. Ch. I.* „ *l'Action*, inquit, *en révendication est une action*, „ *qui nait du domaine de propriété*, *que chacun a des* „ *choſes particnlières*, *par la quelle le propriétaire*, „ *qui a perdu la posſesſion*, *la réclame et la révendique contra celui*, *qui s'en trouve en posſesſion et le* „ *fait condamner à la lui reſtituer*."

tur; varii interpretes varia proposuere, qui tamen omnes uno ore fatentur summam hic esse vim *Art.* 2279, cuius quippe parte priore regula ponitur generalis, ita ut ibi sedes doctrinae habeatur (1). Hanc explicandam statim aggrediamur.

§ II.

Proponuntur et refelluntur nonnullorum interpretum opiniones de sensu Art. 2279.

Principium generale hisce continetur verbis:

„ *En fait de meubles la possession vaut titre*"

In mobilibus possessio habet vim tituli

Haec regula prima quidem fronte nullum dubium

(1) Saepissime hoc agunt Codicis architecti, ut principium tantum generale ponant: idque valde profuturum existimarunt. „ *C' est*, inquit Portalis, *l' office de la loi de fixer par des grandes vues les maximes générales du droit, d' établir des principes féconds en conséquences et non de descendre dans le détail des questions, qui peuvent naitre sur chaque matière. C' est au magistrat et au jurisconsulte, pénétré de l' esprit général des lois à en diriger l' application.*" *Disc. prél. du projet de Cod. Civ.*

um continere videtur, re vero presſius conſiderata, non ita facile exponitur. *Scire enim leges, non hoc est earum verba tenere, ſed, vim atque potestatem* (1).

Sunt, qui doceant, hunc esſe legis ſenſum, ut posſesſio rerum mobilium producat exceptionem contra actiones reales atque habeat tantum vim negativam. Verum ſi infra probaverim rerum mobilium vindicationi locum non dari; ſimul patebit horum virorum non admittendam esſe ſententiam. Etenim, ſi non datur actio ad res illas vindicandas, nemini certe opus erit exceptione, qua ſe adverſus talem actionem tueatur. Ipſa etiam ratio, qua *Art.* est conceptus, omnino est poſitiva atque posſesſorem dominum declarat, ceu postea accuratius dicemus.

Alii putant, ſolum factum posſesſionis valere in uſucapione rerum mobilium pro posſesſione titulo munita, ita ut ad harum uſucapionem non requiratur titulus ad transferendum dominium idoneus. Hoc ſi verum esſet, non alia foret ratio legis ac praeſcribere regulam uſucapioni rerum mobilium, cum tamen pateat hanc eius esſe rationem, ut libertati commerciorum proſpiciatur atque lites, quantum fieri posſit, minu-

(1) Uti ait Celſus, in l. 17. D. de Legg.

nuantur (1); repugnat igitur haec explicatio rationibus legis.

Praeterea ex toto contextu et habitu legis patet regulam tradi omnino ſingularem; illud autem non obtinet, ſi eo, quem dixi, modo *Art.* intelligamus. Titulus quippe idoneus, quamvis faciat, ut res breviori tempore uſucapiantur (2); generalibus tamen praeſcriptionis requiſitis non adnumeratur (3).

Tandem nullum est dubium, quin hoc principium deſumtum ſit ex iure antiquo Francico, cuius fuit paroemia: *mobilia non habent ſequelam*, et multis in locis non dabatur rei vindicatio contra tertium rei mobilis posſesſorem (4).

Hac argumenta faciunt ut illis, qui, uti dixi, ſentiunt, minime asſentiamur. Horum praeterea interpretandi rationi obſtant multae res iudicatae (5), quae, quamvis vim interpretationis au-

(1) Vid. *Cod. Nap. ſuivi des Mot.* T. VII. p. m. 167.

(2) *Art.* 2265.

(3) *Art.* 2262. de hisce opinionibus omnino, conf. Bauer, in Opuſc. de vi *Art.* 2279.

(4) Testibus Bourjon, *Jurisprudence du Châtelet de Paris*, T. II. p. 695. ed. an. 1770. et Planck, *die Lehre vom Verjäring*, § 7. p. 24. et autores ibi citt.

(5) Quas habet Ampl. Merlin, *Questions de droit*, *mot. révendication.*

authenticae non habeant, magna tamen non carent auctoritate.

§ III.

Proponitur nostra ſententia de ſenſu et principio Art. 2279.

Quaenam ſententiae displiceant, iam vidimus: quaenam nobis arrideat nunc exponendum. Quod ut accuratius fiat, non incongruum existimamus breviter dicere, quid ſint res mobiles, quid posſesſio, quid titulus.

Verbum *meubles*, quod nostro *Art.* occurrit, quaenam comprehendat, nonnulli dubitarunt: an, ſcilicet, omnia complectatur mobilia, an vero ſumendum ſit eo ſenſu, quo legis auctores *Art.* 533. *meuble*, ſingulari numero definiverunt, ſcilicet pro ſupellectile, cum et in nonnullis Codicis exemplaribus (1), ibidem *meubles*, plurali numero, legatur. Quoniam autem verbum *meubles* non tantum pluribus in locis immobilibus opponitur (2), ſed etiam ſine illa oppoſitione aut alio quoquam adiecto mobi-

(1) V. c. in *Code Napoleon*, *Nouvelle Edition*, *Paris* 1807. *Stéréotype* d'Herhan.

(2) *Artt.* 826, 880, 1564.

bilia universa significat (1); hinc etiam in *Art.* 2279. *meubles* accipimus pro *mobilibus* (*roerende goederen*), quae significatio menti quoque legis omnino consentanea est (2).

Mobilia autem iure Codicis non tantum sunt, quae salva substantia de loco in locum possunt moveri (3); sed etiam ea, quae determinatione legis pro mobilibus habentur (4). Utramque autem speciem generali mobilium nomine contineri, nemo est, qui inficias ibit.

Verum omnino observandum, legem, in qua exponenda versamur, unice spectare res mobiles *singulares*, minime vero trahendam esse ad universas. Si quis enim, exempli gratia, hereditatem, quae forte mobilibus tantum constaret, repetere vellet; actio ad hasce petendas non prius praescriptione tolleretur quam titulus, quo hereditas peti posset (5).

Pos-

(1) *Artt.* 805, 2012, 2101.

(2) Conf. Zacharia, *Handbuch des Franz. Rechts*, I. B. p. 185. N. 2. et Delvincourt, *Institutes* etc. T. I. p. 313.

(3) *Art.* 528.

(4) *Art.* 527. haec enumerantur *Art.* 529.

(5) Vid. Delvincourt, *Instit.* T. II. p. 104. Maleville, *Anal. raif.* ad h. *Art.* et Merlin, *Repert. de Jurisprud. mot. hérédité.*

Posſeſſionis definitionem exhibet *Art.* 2228, ut ſit: „ detentio aut uſus rei vel iuris, quam „ tenemus quodve exercemus per nosmet ip- „ ſos aut per alium, qui illam tenet illudve „ exercet nostro nomine." Quomodo termino logice dividatur posſesſio, interpretes vehementer litigant (1); nos autem hic intelligimus posſesſionem *civilem*, id est, naturalem detentionem cum animo domini. Is, qui phyſice tantum detinet, ideo nondum posſidet. Hoc enim, quamvis non expresſe in definitione dicatur, ex eo tamen fluit, quod quis per alium posſidere queat. Tertius igitur ille detentor minime posſidet, cum duo in ſolidum posſidere nequeant (2). Lex autem hic induxit praeſumtionem iuris, qua quis *ſuo nomine* et *animo domini* posſidere intelligatur, donec probetur contrarium (3).

Ge-

(1) Pothier, *Traité de la posſeſſion*, Ch. I. N. 6—16. Domat, *les lois civiles dans leur ordre naturel*, Vol. II. p. 473. Maleville, ad *Art.* 2228, alii, quos citavit Planck, Op. cit. p. 11. ubi ipſe ait: „ *Detention oder körperliche Inhabung der Sache* „ *verbunden mit den Willen ſie als Eigenthum zu be-* „ *handlen, begründen den juristiſchen Beſitz.*"

(2) Illud de Iure Romano dilucide docuit von Savigny, *das Recht des Beſitzes*, § II. p. 107—133.

(3) *Art.* 2230.

Generatim igitur haec est vis posſesſionis, ut locum faciat praeſumtioni iuris, ita ut is, qui posſidet, rei habeatur dominus, donec alter, qui eam petit, contrarium probaverit; *in mobilibus* vero posſesſio inducit praeſumtionem iuris et de iure, ad cuius igitur contrarium probandum, nemo ad limen iudicii admittitur (1). Haec nempe fuit mens virorum, qui codicem civilem condiderunt, ut posſesſio rerum mobilium non haberetur diverſa ab earundem dominio; ut ad earum posſesſionem, a dominio diverſam, ſolo fundamento dominii antiquioris, agi non posſet atque proinde actiones posſesſoriae, quas de immobilibus admitterent (2), de rebus mobilibus non darentur (3).

Hic autem non levis momenti occurrit quaestio, nempe: anne, ut posſesſio mobilium hanc, quam diximus, vim habeat, requiratur, *ut bona fide coepta ſit*, id est, ut posſesſor rem acquiſiverit vi tituli cuius vitia ignoravit. Eam requiri affirmat Bauer (4), ideo quia lex eum tue-

(1) *Art.* 1350, 1352. Conf. Bauer, Opuſc. cit. p. 10.

(2) Vid, Cod. de Ord. Iud. Civ. *Art.* 23. ſeqq.

(3) Vid. *Cod. Nap. ſuivi des Motifs*, Tom. VII. p. 161. et 170. eod.

(4) Opuſc. cit. p. 14.

tueri debet, qui in bona fide verſatur, non vero adiuvare fraudes eius, qui ſciens rem alienam acquirere et cum damno domini ſe locupletiorem reddere ſtudet.

Facile asſentimur Bauero, ius non debere fraudes adiuvare, neque id facere ius civile Francicum contendimus, uti ex iis, quae infra disputabimus, omnino apparebit. Verum in quaestione, in qua nunc verſamur, de bona aut mala fide non quaeri, neque ex rei natura quaeri posſe, existimamus; quod facile nobis largietur, quicumque ad naturam rei vindicationis attendat. Est rei vindicatio actio, quae oritur ex iure dominii, quaeque datur contra rei posſesſorem; itaque actor hic duo probet necesſe est, *dominium ſuum* tanquam fundamentum iuris ſui et *posſesſionem alterius*, nempe alterum posſidere vel pro posſesſore habendum esſe. Qui igitur dicit, dari vindicationem contra malae fidei posſesſorem, eo ipſo negat veram esſe vindicationem; nam actionem esſe in rem et tamen non dari contra quemcumque rei posſesſorem, duo ſibi invicem contraria ſunt. Sed inſtat forte quis et dicit: datur tamen actio ad res amisſas et furtivas a quocunque posſesſore vindicandas (1), ergo datur vera rei vindicatio: datur porro actio ad-

(1) Altera parte *Art.* 2279.

adversus eum, qui rem mala fide acquisivit, ergo datur vindicatio contra malae fidei possessorem. Actionem dari concedimus; sed hanc veram rei vindicationem esse negamus. Omnis vera rei vindicatio nititur iure dominii, huius probationem tanquam fundamentum iuris actoris requirit; qui vero res furtivas vel amissas repetit probare debet rem sibi ablatam esse vel se eam amisisse, sed dominii probatio hic minime necessaria est. Itaque non tantum dici potest exceptionem obtinere ratione rerum furtivarum et amissarum, uti vulgo fit; sed utique affirmari potest, actionem, qua repetuntur res amissae et furtivae, non esse veram et propriam rei vindicationem, uti pluribus dicemus hoc Cap. § 5.

Qui vero rem repetit ab eo, qui ipsam mala fide acquisivit, non magis cogitur probare dominium, quod necesse esset, si dominium foret fundamentum agendi; sed probare debet rem, a se profectam, alteri mala fide quaesitam fuisse, quia actio est in personam, oriunda ex facto illicito.

Tota res igitur huc redit: rei vindicatio sive actio, quae nititur iure dominii, quae huius probationem requirit atque etiam, quod ad ius actoris attinet, hac probatione contenta est, iure Codicis in mobilibus non est admissa: itaque non sunt termini, ut huius actionis ratione,

quae-

quaeratur de bona aut mala fide posſesſoris; atque ideo § primo *Art.* 2279. ſimpliciter et ſine ullo additamento posſesſio vim tituli habere dicitur.

Haec noſtra opinio inſuper firmatur auctoritate rei iudicatae, quam refert Merlin (1), qua in ſpecie contra malae fidei posſesſorem negabatur rei mobilis propria et vera vindicatio.

Titulus, id eſt, actus quo ius aliquod conſtituitur (2), Iure Romano erat tantum cauſa remotior dominii; cum cauſa proxima esſet traditio, quae requirebatur quoties dominium ex conſenſu duorum vel plurium transferendum erat (3). Iure Codicis vero Francici ſolus titulus ad dominium transferendum ſufficit (4) et modis acquirendi annumeratur (5). Si igitur is, qui posſidet, titulo habili gaudere intelligitur, ſequitur et eum haberi dominium.

Senſus igitur legis eſt hicce: *Posſesſor rei mobi-*

(1) *Questions de droit m. révendication.*

(2) Merlin, *Rep. mot. titre* Zacharia, Op. cit. I. B. p. 197.

(3) L. 20. Cod. de Pact.

(4) Vid. *Artt.* 938, 1138, 1582, 1583. alii, conf. Delvincourt, *Cours de Code Civil* T. II. p. 111.

(5) *Art.* 711.

bilis vi possessionis censetur rei dominus, eo sensu et effectu, ut cesset vindicatio, quae, tanquam actionis fundamento solo iure dominii nitatur.

§ IV.

Traduntur regulae generales.

Certum itaque et constans probavimus Codicis principium, cui si alterum adiunxerimus non minus certum, tota doctrina circa rerum mobilium vindicationem duabus regulis contineri posse videtur, quibus positis, perspicua, ni fallor, aderit norma, qua ex legum, quae sibi obstare videntur, labyrintho, facile nos expediamus. Sit itaque

Regula I.

Non datur rerum mobilium vindicatio, *id est*, (repetere liceat) *actio*, *quae datur domino ex eo solo*, *quod dominium antiquius habuerit contra quemcunque possessorem ex eo ipso*, *quod possideat* (1).

Re-

(1) Audiamus Merlin, *Quest. de droit*, *mot. révendication*, p. 506, qui ait: „ *Par cela seul*, *que* „ *je possède un effet mobilier*, *j'en suis censé proprié-* „ *tai-*

Recula II.

Posſesſio rerum mobilium non eam vim habet, ut posſesſorem tueatur contra actiones ſpeciales, quae non ex priore dominio, ſed ex alia cauſa oriuntur. Cum vero is, qui hisce agit, ſaepius dicatur révendiquer, *hinc nata fuit quaedam idearum confuſio.*

Ad hanc autem, quam propoſui, normam plurimi Codicis *Artt.* ſunt exigendi, hoc quidem ordine, ut:

1°. Iilos exponamus, in quibus agitur de actionibus perſonalibus.

2°. Illos illustrare conemur, in quibus generatim conceditur rei vindicatio, praeſcriptio aut evictio.

§ V.

Articuli in quibus agitur de actionibus perſonalibus.

Inter leges, in quibus de hisce ſermo est, pri-

„ *taire et vainement chercherez vous à me l'enlever*
„ *en prouvaut, que vous en étiez propriétaire avant*
„ *moi. Si vous ne prouvez que cela, votre réclama-*
„ *tion ſera rejettée et je ſerai maintenu dans ma pos-*
„ *ſesſion.*"

primum certe locum sibi vindicat altera pais *Art.* 2279, ubi haec invenimus:

„ *Néanmoins celui, qui a perdu ou au quel* „ *il a été volé une chose, peut la révendiquer* „ *pendant trois ans, à compter du jour de la* „ *perte ou du vol, contre celui, dans les mains* „ *du quel il la trouve, sauf à celui-ci son re-* „ *cours contre celui, du quel il la tient.*"

Anne hic conceditur rei vindicatio ex priore dominio oriunda? Minime. Sed actio, quae datur illi, qui rem amisit, aut cui furto est ablata, oritur ex speciali *legis dispositione*, quae voluit, ne quis re amissa aut furto ipsi substracta careret. Legem propius inspiciamus; ibi non dicitur: „ *Néanmoins le propriétaire*," sed simpliciter *celui*, id est, quicumque possederit. In mobilibus Codex ignorat ius illud perpetuum, quod cum possessione non exspirat, de dominio earum non quaeritur. Liquet igitur, huiusce in rem scriptae actionis fundamentum non esse dominium, sed solam legis dispositionem. Is tamen, qui hac actione rem repetit, dicitur *révendiquer*, ita ut hic exemplum habeamus latioris illius, quam memoravimus, significationis.

Verum huic legi alia inest hac opportunitate enodanda quaestio, scilicet, quaenam res *furto ablatae* aut *amissae* intelligi debeant?

Iure Romano *rei furtivae* notio latius patebat;

nam ait Imp. (1): „ Qui ſciens rem alienam „ vendiderit vel ex alia cauſa tradiderit furtum „ eius committit." Hanc rei furtivae notionem nostro *Art.* applicarunt Zacharia et Delvincourt (2), quos tamen viros Cll. hic non ſequi liceat. Interpretatio quippe exceptionis ex Iure Romano haurienda non videtur; cum regula, cui adiungitur, directe huic iuri ſit contraria. Praeterea, ſi cum illis facimus, ſemper per triennium obtinebit mobilium vindicatio, eo tantum excepto caſu, ubi quis rem alienam, quam detinet, bona fide alienavit; veluti heres rem depoſitam, quam hereditariam esſe existimabat Talem vero caſum rarisſimum regulae generalis obiectum esſe, non temere est affirmandum.

Res amisſas autem iidem viri ſtrictius interpretantur, cum alii interpretes et hoc nomen latisſime extendant.

Nobis vero utraque notio ſtrictius capienda vi-

(1) § 3. Inſt. de Uſuc. et long. temp. praeſcr. Conf. § 6. Inſt. de Obl. ex del. l. 22. § 7. D. mandati l. 4. D. in f. de pignor. act l. 16. D. de Condict. furt.

(2) Zacharia, *Op. cit.* I. B. § 15. et auctores ab eo citt. Merlin, *Quest. de droit mot. révendication* rem furtivam putat, ſi adſit alienatio fraudoloſa ab utraque parte.

videtur. *Furti* quidem definitio ex ipſo Codice criminum et poenarum petenda est, ubi dicitur (1): „ Quisquis rem alienam dolo malo „ ſubtraxerit, reus est furti." Requiritur igitur et *fraus* et *ſubſtractio*, unde res, quae a commodatario, conductore, depoſitario, ſimilibus alienata fuit, huc non pertinet; cum dominus ipſe res illas alterius fidei commiſerit. Talium quoque rerum doloſa alienatio eodem Codice non dicitur *furtum* (*vol*), ſed *abuſus fiduciae* (*abus de confiance*) (2). Hisce rationibus factum, ut plura tribunalia atque ipſa Curia ſuprema regni Francici, earum rerum non dari vindicationem, judicaverint (3).

Quo magis haec omnia perpendimus, eo magis placet opinio Baueri (4), qui architectos Codicis ad modum, quo res *ex manibus* domini aut eius, qui pro domino habetur, exciderit, attendisſe existimat. Illud ſi factum *ex eius voluntate*, non habet actionem ex furto aut amisſione; ſi vero *ſine eius voluntate*, res ei aut *frau-*

(1) *Art.* 379.

(2) *Art.* 408.

(3) Vid. Sirey, *Récueil gén. des lois et des arrets*, T. XIV. P. I. p. 306, et Merlin, *Quest. de droit mot. révendication.*

(4) *Opuſc. ſaep. cit.*

fraude est ſubſtracta, tumque est *choſe volée*, aut *caſu* ei excidit, tumque dicitur *choſe perdue.*

Haec opinio non tantum naturali ſimplicitate ſeſe commendat; ſed etiam inde probatur, quod exceptio lapſus triennii non detur posſesſori, qui rem per id tempus posſedit, verum detur cuique, licet per diem posſederit, modo elapſum ſit triennium a die amisſionis aut furti.

Quicunque hac actione rem ſuam repetit, posſesſori pretium, quod forte pro re dedit, refundere non tenetur, niſi in caſibus *Art.* 2280. memoratis, ſcilicet, ſi posſesſor rem emerit in nundinis vel foro, aut in publica auctione, aut a mercatore, qui talium rerum commercium facit.

Non alia actionis, quae *Art.* 2102. § 5. conceditur, ratio, non aliud est fundamentum. Ibi, § 1. domino privilegium conceditur in invecta et illata conductoris, quo facilius locationis conſequatur pretium, tum vero § 5. additur, dominum mobilia, ſi absque eius conſenſu evecta fuere, arripere posſe atque in iis ſuum ſervare privilegium, *modo* intra 15 aut 40 dies *res vindicaverit.* Hoc autem, quo fiet fundamento? Vera rei vindicatio, etiamſi ceteroquin in mobilibus obtineret, hic tamen admitti nunquam posſet; cum non *dominus*, ſed *locatur* res repetat. De latiore ſignificatione, quae in-

est

est verbo *révendiquer* iam diximus; hic alterum habet exemplum Articulus.

Saepius laud. Bauerus hancce dispositionem ad generalem rei furtivae exceptionem referendam putat; sed an res, quas conductor ita evexerit, locatori furto ablatae aut casu excidisse dici queant, vehementer dubitamus. Is quippe, qui tales res petit vi *Art.* 2279, non quidem dominium earum probare tenetur; sed semper tamen, se eas animo domini possedisse, docere debet.

Verba *modo vindicaverit* alio etiam sensu accipi possunt: scilicet, ut pro materia subiecta restringenda sint ad casum, quo quis rem mobilem a tertio repetere possit: ita ut tum demum usu veniant, si tertius invecta et illata mala fide acquisiverit adeoque ex quasi delicto locatori ad damni refusionem teneatur.

Quod si vero consideramus rationem totius dispositionis, quae semper harum rerum dari repetitionem praesumit: si ad brevissimum, quo actio praescribitur, tempus attendimus: si denique observamus, hanc actionem Codice de Ord. Iud. Civ. speciali nomine dictam esse (1); inter-

(1) Non enim dicitur *Saisie-révendication*, sed *Saisie-gagerie*, *Art.* 819. *Cod. de Ord. Iud. Civ.* Ad hunc locum ait Zacharia, *Op. cit.* II. B. p. 74.

N.

terpretatio, quam modo propofuimus, non placet, fed dicendum videtur, locatori hoc in cafu concedi actionem fpecialem in rem fcriptam, oriundam ex fola legis difpofitione, quae noluit, ut conductores fraudes adhibere posfent et homines ita a contractu utilisfimo, civitati proficuo, facillime abfterrerentur.

Actio porro perfonalis oriri poteft *ex facto* alicuius, uti docent *Artt.* 568, 570, 572, 574, 576. In hisce enim actio conceditur contra eum, qui rem alienam cum fua iunxit aut mifcuit, ex ipfo illo facto, non vero contra quemcunque rei posfesforem; unde fatis patet neque illis *Artt.* proprie dictam intelligi rei vindicationem. Haec etiam fi daretur, non agi deberet ad damni illati refufionem (1), fed ad rem ipfam recuperandam.

Non aliter, cum factis et non facta contineantur, explicanda difpofitio *Art.* 2102. § 2. N. 4. Domino, qui rem mobilem vendidit eiusque pretium nondum eft confecutus, conceditur, ut per

N. 7: „ *Übrigens ist das Recht des Verpachters nicht* „ *ein Vindicationsrecht in der eigentlichen Bedeutung*, „ *fondern eine Art. des Befchlages.*" Conf. *Expofé des motifs du Cod. de proced. Civ. Rapport par* M. Tarrible, *fur le liv. I. de la 2ᵉ part.*

(1) Vid. *Art.* 576, 577.

per octo dies rem repetere posſit, *ſi emtor eam adhuc posſideat;* quae clauſula ſatis indicat non concedi veram rei vindicationem, ſed actionem perſonalem rescisſoriam, quae oritur ex contractu ab altera parte non impleto.

Multi tandem occurrunt *Artt.*, in quibus agitur de actione perſonali oriunda ex malae fidei acquiſitione, id est, *ex delicto vel quaſi delicto posſesſoris.* Talem ſi non admitti dicamus, mala fides facillime lucrum praebere potest. Hoc ne fieret Zacharia et Delvincourt, rem furtivam tam lato ſumſere ſenſu atque Bauerus bonam fidem in posſesſore requiſivit, ut locus esſet regulae *Art.* 2279 (1). Talem actionem dari nullis, fateor, Codicis expresſis verbis; ſed tamen, argumento ex *Art.* 1382 petito, probari posſe existimem. Quicunque facto ſuo alteri damnum infert, obligatur ſecundum illum *Art.* ad damni refuſionem; damnum autem alteri is certisſime infert, qui ſciens rem esſe alienam, eam tamen ſibi capit. Is igitur, cui hoc modo damnum illatum est, debet habere actionem perſonalem contra eum, qui illud intulit, ex ipſo hoc malae fidei acquiſitionis facto oriundam. Exemplo uti liceat. Depoſitarius rem depoſitam dolo malo

(1) Vidd. quae diximus p. 13.

lo alienavit, alter facti conscius eam emit. An hic conveniri potest? Potest certissime; depositarius enim utique delinquit (1), alter fit socius delicti (2), proinde uterque ad damni illati refusionem tenetur, qua continetur primario rei restitutio (3).

Duae autem hac in materia non negligendae sunt observationes:

I. *Dolosa illa acquisitio ab actore est probanda.* Licet enim sint, qui putent, homines Iure Codicis malos haberi, eo inducti, quod huius auctores tot cautiones praescripserunt, ut et volentibus difficile sit fraudes adhibere; minime tamen negari debet, judici observandam esse auream illam regulam, quam et Ius Romanum agnovit (4), et Codex expresse confirmavit (5): *homines bonos haberi, donec probetur contrarium.* Pro-

(1) *Art.* 408. Cod. crim. et poen.

(2) *Art.* 59. et 62. eod.

(3) Hoc sensu verum est, quod ait Merlin: „ *Indubitablement si dans l'un de ces cas* (scilicet rei „ depositae, commodatae, similibus) *vous prouvez* „ *que j'ai connu le vice de la possession de mon ven-* „ *deur, je serai évincé et votre révendication triom-* „ *phera.*"

(4) Vid. l. 18. § 1. D. de probat. l. 6. Cod. de dolo malo.

(5) *Art.* 2268.

Probatio autem illa non tantum testibus et scriptura, sed quibusvis etiam modis fieri potest, quin etiam actori praesentem possessorem in iure interrogare permittitur (1).

II. *Inter hanc actionem et veram rei vindicationem*, (si in mobilibus detur) *magnum intercedit discrimen.* Hic sufficit, si actor possessorem dolo malo rem acquisivisse et sibi hoc facto nocitum esse probaverit; cum e contrario is, qui ex dominio agit, dominium prius probare debeat. Nemo praeterea rei vindicatione conveniri posset, nisi qui possidet; hacce vero actione quidni et is teneatur, qui possidere desierit (2)? Hoc enim non impedit, quominus ad damnum, quod dolo dedit, resarciendum teneatur. Actio tandem, qua ex legis dispositione res amissae furtoque ablatae repetuntur, tribus praescribitur annis, cum haec actio triginta demum annorum lapsu tollatur (3).

Quicunque talem actionem personalem dari fatetur, non diu haerebit in explicatione *Art.* 1141, qui ceteroquin haud exiguas parit difficultates; ita qui-

(1) *Artt.* 324. seqq. Cod. de Ord. Iud. Civ.

(2) Uti Iure Romano secundum l. 22, l. 27, l. 36. D. de rei vind.

(3) *Art.* 2262.

quidem ut Cl. Delvincourt (1) exceptionem, favore commerciorum inductam in eo ſuspicatus ſit. Hoc, ſcilicet, *Art.* cavetur, ut, ſi quis ſe obligaverit ad rem mobilem duobus praeſtandam, is praeferatur, cui res priori est tradita, licet eius titulus ſit recentior, et additur: „ *modo tamen* „ *rem bona fide acquiſiverit.*" Iam vero, ſi a contrario argumentemur, haec lèx prima quidem fronte totam nostram doctrinam everrere videtur; re vero presſius conſiderata, ad eam ſtabiliendam facit. Etenim, uti monuimus, dominia rerum ſecundum Codicem ſolis transeunt pactionibus nec requiritur traditio. Is igitur, qui prior rem emit, dominium eius acquiſivit; proinde, ſi actio in rem rerum mobilium nomine daretur, eam vindicare posſet, ſive alter bona ſive mala fide posſideret. Sed nunc demum contra eum, qui rem ſubinde traditam accepit, agere potest, ſi in rem ſciens dolo malo acquiſiverit. Hinc igitur patet, doctrinam *Art.* 1141. conſentaneam esſe tum regulae *Art.* 2279, quae negat actionem in rem contra quemcunque posſesſorem, ex dominio oriundam; tum iuris principiis ac doctrinae *Art.* 1382, unde actio perſonalis, ex facto illicito oriunda, competit adverſus huius facti auctorem.

Eodem profecto modo et is tenebitur, qui ſciens

(1) *Cours de Cod. Nap. ad Art.* 1138.

ſciens rem esſe alienam, eam dolo conſumit. Nihil itaque nobis obſtat argumentum a contrario, quod ex *Art.* 1238. elici posſet et in promptu est reſponſio ad quaestionem: quid obtinebit ſi creditor illas res mala fide conſumſit? Res autem ſi non fuerit conſumta et penes creditorem exſtet; *Art.* 1238. ſpecialem vim non habet, ſed univerſa de rerum mobilium vindicatione doctrina ad caſum obvium est applicanda.

§ VI.

Explicantur Artt. in quibus generatim conceditur rerum mobilium praeſcriptio, evictio, vindicatio.

Rerum mobilium non dari vindicationem proprie dictam nec proinde praeſcriptionem in iis uſu venire, diximus; *Art.* vero 880. earundem ratione praeſcriptio admitti videtur. Quomodo haec concilianda? *Art.* 878. conceditur creditoribus defuncti ius petendi, ut bona defuncti et heredis ſeparentur, hoc autem ius triennii lapſu quoad mobilia praeſcribi dicitur *Art.* 880. Creditoribus etiam *Art.* 1167. conceditur actio Pauliana ad ea reſcindenda, quae debitor in fraudem ipſorum gesſit. Verum quisque facile intelligit, haec pertinere ad reſcisſionem actuum et negotio-

tiorum in fraudem creditorum gestorum, minime ad vindicationem rerum mobilium ex iure dominii oriundam. Hos igitur certisſime tantum ſpectat caſus, in quibus reſcisſio admitti potest. Non aliter vis *Art.* 1664, qui actionem ad redimendum contra tertium etiam rei posſesſorem concedit, per *Art.* 2279 reſtringitur, ita, ut tum demum contra rei mobilis posſesſorem agi queat, ſi is, quo minus alter rem recipere posſit, dolo fecerit.

Praeſcriptionem in mobilibus valere etiam elicitur ex *Art.* 2239, quo, ſcilicet, docetur eum praeſcribere posſe, qui rem a *colono*, *uſufructuario* et *depoſitario* accepit. Quod de prioribus dicitur, aptisſime ad res immobiles referri potest; ſed in tertio haeret ſcrupulus. Nam, ſi *res depoſita* non alia intelligi posſit ac mobilis; mobilium admittitur praeſcriptio. Depoſitum tantum esſe rerum mobilium, docuit B a u e r u s (1), argumento *Art.* 1918. Dictus vero *Art.* tantum ſpectat *depoſitum proprie dictum*, cum in capite, quo occurrit, de illo tantum ſermo ſit. Depoſitum autem *latiori* etiam ſumitur *ſenſu*, ita ut et ſequestrationem contineat (2), et haec immobilia etiam continere potest, ceu expresſe do-

(1) *Opuſc. l.* p. 30.

(1) Vid. *Art.* 1619.

docetur *Art.* 1959. Ex hisce luculenter patet, depositum lato sensu immobilia etiam continere. Rationem autem, quare *Art.* 2239 haec notio *stricte* sic accipienda, nullam video. Itaque necesse non est, ut architectos Codicis negligentiae accusemus, quasi regulae *Art.* 2279. fuerint immemores, neque cum Bauero ad, nescio quam, mobilium quasi usucapionem confugere cogimur.

In doctrina de donationibus aliqua etiam occurrit difficultas: *Art.* quippe 960. omnium permittitur donationum revocatio, si donatori post factam donationem liberi supervenerint. Sed re pressius considerata, nulla adest difficultas; quoniam hic agitur, de revocatione donationis, non de vindicatione contra tertios. Hanc vero ratione mobilium hic non competere, luculenter patet ex *Art.* 930. et 954, quibus actio ad revocandas donationes expresse contra tertios rerum *immobilium* possessores conceditur, quibusque proinde regula *Art.* 2279. non infirmatur, sed quam maxime confirmatur.

In his autem explicandis minime tandem negligendus est *Art.* 1599, ex quo duplici modo argumentum, ad doctrinam nostram evertendam primo intuitu idoneum, elici potest. Rei alienae venditio *Art.* illo nulla declaratur, tum vero actioni de damno et interesse locum facere

af-

affirmatur, si rem alienam esse sciverit. Haec tantum dari potest, *si res evicta sit;* videtur igitur supponi omnium, proinde et mobilium, rerum evictio. Ad haec respondemus, *Art.* 1599. certissime accipiendum esse pro materia subiecta, ita, ut ad ea tantum pertineat, quae evinci possunt, id est ad res immobiles et mobiles amissas furtove ablatas (1).

Secundum, quod hic indagari meretur, hoc est: anne dispositio *Art.* 2279. efficiat, ut nulla in mobilibus sit vis *Art.* 1599? Titius rem Caii a Maevio emit. Titius habetnr eiusdem dominus vi *Art.* 2279, quod non obtineret si non emisset; ergo emtio venditio rei alienae effectum sortitur, cum tamen *Art.* 1599. nulla esse dicatur. Haec argumentatio, ut ut speciosa, vitio tamen non caret. Emtio venditio dominium demum transfert, si is, qui vendidit, rei dominus fuerit. Nemo plus iuris in alterum transferre potest, quam ipse habet; itaque emtio per se emtorem non facit dominum. Caius vero in specie proposita rem mobilem a Titio repetere nequit, non ex hac ratione, quod is rem emerit adeoque *se emisse* contra Caium agentem excipere possit: hoc si verum esset, tum emtor rei furtivae et amissae ut et is, qui sciens

(1) Vid. Zacharia, *Op. cit.* II. B. p. 305.

ſciens rem alienam emit, ſeſe hac exceptione tueri posſet; ſed Caius ideo rem a Titio vindicare nequit, quod iure Codicis nemo ad rem mobilem ex antiquiore dominio vindicandam, ad limen iudicii admittatur. Si vero res ſit furtiva, Caius eam repetere poterit, atque etiam actione perſonali Titium convenire, ſi is rem mala fide acquiſiverit, ob hanc ipſam rationem, quod emtio per ſe nulla ſit, non tollat vel excludat actiones ex alia cauſa Caio competentes. Itaque nullam inter hosce Articulos antinomiam deprehendimus.

Haec de doctrina Codicis Civilis dicta ſufficiant; verbo etiam notemus:

I°. Si res, quae repetitur, fructus forte proferat, hi ſunt reſtituendi, ſed discrimine adhibito inter bonae et malae fidei posſesſorem.

II°. Solennitates in rei repetione adhibendae, traduntur *Codice de Ord. Iud. Civ. Art.* 826. ſeqq.

III°. Codice de commerciis *Art.* 576—585. ſpecialia quaedam introducta ſunt in favorem creditorum eius, qui foro cesſit; de hisce autem non agimus, cum de Codice Civili ſolummodo quaeratur.



CAPUT SECUNDUM.

QUIBUS DE CAUSIS CODICIS CIVILIS AUCTORES HAC IN RE A IURE ROMANO RECESSERUNT?

Doctrina Codicis Civ., quam pro viribus exposuimus, insignes parit effectus, dominium quippe rerum mobilium ex iure *absoluto* et *perpetuo*, fit ius *relativum* et *momentaneum*, quod cum possessione exspirat. Hac in re, cum architecti Codicis Civ. longe lateque a Iure Romano recesserint, gravibus sine dubio moti rationibus; operae certe pretium est hasce rationes pressius considerare. Ut autem pateat hosce Codicis auctores a Iure Romano recessisse; non superfluum quid acturi videmur, si, quid Ius Romanum hac in parte iubeat, breviter narremus.

§ I.

§ I.

Iuris Romani brevis expositio.

Dominium est ius de re corporali (1) quovis modo disponendi, quatenus nec lege nec testamento, nec conventione prohibeatur. Est ius absolutum neque a possessione pendet. Quamvis enim ius possidendi et utendi contineat; hoc tamen ad eius substantiam non requiritur, sed tantum est sequela dominii (2).

Do-

(1) L. 4. pr. D. commun. divid.

(2) Egregie rem proposuit cl. Glück, *Ausfürliche Erlaüterungen der Pandecten*, T. VI. Sect. I. p. 38, cuius locum hic adscribere liceat. „*Wer ein* „*ausschliessendes Recht an der Substantz einer Sache* „*hat, hat zwar auch nothwendig eben solches aus-* „*schliessendes Recht an den Gebrauch der Sache. Er* „*kan daher allen und jeden Nutzen aus der Sache zie-* „*hen, ihm gehören die Früchte der Sache und keinem* „*anderen als im kan auch ohne seinem Willen ein* „*Recht zukommen die Sache zu besitzen. Allein dem* „*ongeachtet, ist doch das Recht die Sache zu nützen,* „*zu gebrauchen und zu besitzen nur eine Folge des* „*Eigenthums, gehört aber nicht zum Wesen desselbe.* „*Den dieses besteht bloss in den ausschiessenden Rechte* „*an der Substanz der Sache, welche die Gesetze* „proprietatem *in eigentlichen Verstande nennen. Das*

Ei-

Dominus non tantum potest posſesſionem tueri interdictis *utrubi* et *uti posſidetis*, ſed praeterea qui rei ſuae posſesſionem amiſit, eam repetere potest per rei vindicationem, ita quidem, ut rei vindicatio detur domino adverſus quemcunque posſesſorem. Hinc manifesta est differentia inter rei vindicationem et interdicta, ſcilicet, ut ad illam requiratur dominii, ad haec autem ſufficiat iustae posſesſionis probatio (1).

Interdictorum autem, quae ex peculiari civitatis Romanae ratione ſunt inventa (2), obiectum est, ut quieta rerum posſesſio acquiratur, ſervetur, recuperetur. Cum vero posſesſio per ſe non ſit ius, huius quoque turbatio non est turbatio iuris, niſi quatenus ſimul aliud ius laeditur, unde interdictorum ſpecies non oriuntur ex vario modo, quo res posſidemus, ſed ex varia forma, qua turbatio fieri potest, ſeu vi, ſeu clam, ſeu precario fiat (3).

Iu-

„ *Eigenthum oder* dominium *im Eigentlichem Sinne*
„ *bleibt alſo in ſeinem Weſen*, *wenn auch der Nies*-
„ *brauch oder der Beſitz davon abgeſonderd ſind.*

(1) Vid. Noodt, ad D. tit. de rei vind.

(2) Vid. Niebühr, *Römiſche Geſchichte*, T. II. S. 370.

(3) Sic F. C. von Savigny, in Op. cui tit.: *Das Recht des Beſitzes*, p. 7. ait: „ *Da der Beſitz an*
„ *ſich*

Iure antiquo etiam distinguebatur inter interdictum *utrubi* et *uti posſidetis*, ſcilicet, quod illud in mobilibus, hoc vero in immobilibus daretur; verum postea hoc discrimen est abrogatum (1). Rei autem vindicatio datur ex ſolo dominio, a quo posſesſio est avulſa, ſive res ſit mobilis, ſive immobilis (2) contra quemcunque posſesſorem (3). Nudi tamen detentores liberantur nominando auctorem ſuum (4). Nullus posſesſor, ſeu mala ſeu etiam bona fide posſideat, pretium, quod forte pro re dedit, a domino re-

„ *ſich kein Rechtsverhältnis ist, ſo ist auch die Stö-* „ *rung desſelben kein Rechtverletzung, und ſie kan es* „ *nur dadurch werden, das ſie ein anderes Recht zu-* „ *gleich mit verletzt. Wenn nun die Störung des* „ *Beſitzes gewaltzam geſchieht, ſo liegt in dieſer* „ *Störung eine Rechtsverletzung, weil jede Gewaltthä-* „ *tigkeit unrechtlich ist, und dieſes Unrecht ist es was* „ *durch ein Interdict aufgehoben werden ſoll.*" Conf. eiusdem Op. p. 415.

(1) Vid. § 4. Inſt. in fin. de Interd. L. un. § 1. D. Utrubi.

(2) L. 1. § 1. L. 56. D. de rei vind.

(3) L. 9. l. 36. pr. D. de rei vind. § 1. Inſt. de Act. L. 25. pr. D. de O. et A. L. un. Cod. de alien. iud. mut.

(4) L. 2. Cod. ubi in rem act. ad quam, conf. Branchu, Obſervat. Decad. D. II. c. 15.

repetere potest neque etiam poscere, ut fibi cedantur actiones, quae domino v. c. contra furem competunt (1), fibi enim imputet quod cautius non fit mercatus. Est haec fcilicet regula generalis. Talia enim utique accedere posfunt, quae posfesfori ius ad pretium repetendum tribuunt, nempe fi reus probet verfionem in rem actoris (2), fi reus rem redemit animo reftituendi domino, qui ceteroquin ea carere debuisfet (3), alia; verum in hisce fundamentum, quo pretium est reftituendum, non est bona fidei posfesfio, fed verfio in rem aut negotiorum gestio (4).

Factum tertii rem fine domini confenfu alienantis, domino nihil nocet, unde fi Titius Caium rem foluto pretio vendere iusferit isque fine pretio accepto Maevio vendiderit, Titius rem a Sempronio vindicare poterit (5). Est itaque pa-

roe-

(1) L. 23. Cod. de rei vind. L. 2. Cod. de furt. conf. omnino Voet, ad tit. D. de rei vind. qui et legem 14. § ult. D. de ferv. corr., quae obftare videtur, enodavit.

(2) L. 16. Cod. de Praed. et aliis reb. min.

(3) L. 36. D de Captiv. et post lim. reverf.

(4) Conf. Glück, *Op.* l. Th. VIII. p. 230.

(5) L. 1. § 2. et 3. D. de excert. rei vend. et trad. L. 39. § 1. L. 50. D. de rei vind. Conf. Voet, N. 5.

roemia Iuris Romani, *Ubicunque rem meam invenio, ibi eam vindico* (1). Factum tertii nihil efficit, secundum regulam: *Nemo plus iuris in alterum transferre potest quam ipse habet* (2).

§ II.

Alia Romanae, alia gentis Franciae conditio.

Mores apud omnes populos legum fuisse caussas, rei natura probat, historia testatur, quo fit, ut universa legum, quas sibi aliqua gens constituit, in eius moribus sit quaerenda ratio. Vere et elegantur ampl. Portalis (3): „ *Les codes* „ *des peuples se font avec le temps, mais, à pro-* „ *prement parler, on ne les fait pas.*" Haec etiam, quam tradidimus, doctrina cum Romanorum moribus arctissime cohaeret.

Romani iurisprudentiam habebant philosophiae par-

(1) Antiquas, in rei vindicatione, adhibendas solennitates describit Gellius, Noct. Att. L. XX. c. 9. Conf. Averranius, Interpret. Iur. L. I. c. 15.

(2) L. 54. et l. 120. D. de div. reg. iur. § 10.

(3) *Disc. prélim. des.* Conf. *du Cod. Civ.* T. I. p. 27.

partem (1), ex certis principiis summo studio servatis sequelas ducebant (2): cum igitur dominium haberent ius absolutum, quod a possessione nequaquam penderet; utique sequi necesse erat, ut rem a quocunque possessore repeti posse statuerent.

Praeterea haec doctrina inprimis originem traxit ex antiqua fori Romani ratione. Res enim dividebantur in *res mancipi* et *nec mancipi*. Harum quidem dominium ex omnibus iustis acquiri poterat modis; illarum vero peculiare habebatur dominium, quod *civile*, *plenum*, *Quiritarium* dicebatur. Tale dominium Quiritarium ut transferretur, non sufficiebat ex iusta causa traditio, sed intervenire debebat *mancipatio* aut *solemnis in iure cessio* (3). Haec autem differentia inter dominium Quiritarium et bonitarium, uti et inter res mancipi et nec mancipi, quamvis postea a Iustiano sublata sit,

(1) Vid. Cic. de Legg. L. I. c. 5. quin hoc ipsa docet iurisprudentiae definitio, § 1. Inst. de Iust. et Iur.

(2) Vid. I. G. Schlosser, in Hugo's *Civil. Magaz.* I. p. 40. seqq.

(3) Vid. Bissonius, Selecta et Iure Civ. antiq. I. 7. Conf. Bynkershoek, de Reb. mancip. C. VII.

ſit (1), eo tamen invaluit, ut ICti, Iuris antiqui formas negligentes (2), eius tamen principiis adhaererent, adeoque dominium ius quaſi ſanctum, quod nullis aliorum infringi poſſet actionibus, ſemper haberent.

Tale ius rerum commerciis non favere, quisque facile videt: haec autem ratio apud Romanos non multum ad ius mutandum valere poterat (3). Sive enim moralem, ſive politicam Romanorum conditionem inſpiciamus, eam mercaturae non faviſſe liquet, Is quippe populus, qui gloriae ſumma ardet cupiditate, ſe ipſe omnium gentium primam existimat, exteros homines non quidem hostes, ſed tamen longe inferioris conditionis neque ullo vinculo ſibi iunctos habet (4), is utique occupando regiones earum divitias, quam ſenſim ſenſimque easdem coemendo

(1) Per L. unic. Cod. de nud. Iure Quirit. toll. et L. unic. Cod. de Uſuc. transf. et ſubl. diff. rer. manc. etc.

(2) Solennitates, quae in hisce uſu veniebant, tradit Ulpianus, Inſtit. I. tit. 6.

(3) Montesquieu, *Eſpr. des Lois* T. II. C. 10. ait: „ *On n' a jamais rémarqué aux Romains de* „ *la jalouſie ſur le commerce. Ce fut comme une nation* „ *rivale et non comme une nation commerçante, qu'ils* „ *attaquèrent Carthage.*

(4) Vid. L. 5. D. de Captivis.

do, acquirere malit. Hisce si iungimus educationem militarem, continua bella, negotia politica, quibus omnes cives continue intenti erant, summum denique agriculturae amorem (1); tum profecto non mirabimur civem Romanum non fuisse mercatorem (2). „ Mercatura, ait Cicero (3), si tenuis est, sordida putanda est, „ sin magna et copiosa, multis undique apportans et sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda." Ipso etiam iure Civili, illa, quae mercimoniis publice praefuit, eodem loco habetur, quo ancilla, liberta, scenica, tabernaria, leno (4).

Prorsus autem alia fuit gentium occidentalium conditio. Hae sub Imp. Caligula mercaturam

(1) Audiamus ex innumeris Ciceronem de Off. L. I. c. 42. „ Omnium antem rerum, ex quibus „ aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nil „ uberius, nil dulcius, nil libero homine dignius." Conf. idem Caton. Mai. ubi toto Cap. 15. agricultaerae laudes extollit.

(2) De mercatura et agricultura Romanorum, vid. omnino P. de T. *Traité des Lois Civiles*, Ch. III. p. 129. et in appendice *sur l' Etat de l' agriculture chez les Romains.*

(3) De Off. L. I. c. 42.

(4) Vid. L. 7. Cod. de nupt.

ram; iam amabant (1). Urbs Massilia ab antiquis inde temporibus rerum commercio floruit (2). Quantum vero hoc studium, religione Christiana inter omnes homines vinculum constituente, maiore invalescente humanitate, inventa pixide nautica, reperta America, sit auctum, non est, quod moneamus (3).

In specie autem Franco-Galli habuerunt bona immobilia, fundos, tanquam cuique populo propria, mobilia vero tanquam omnibus communia (4), unde in plurimis provinciis urbibusque habita est paroemia iuris: *Mobilia non habent sequelam* (5).

Ho-

(1) Vid. Sueton. Calig. c. 39. Dio Cassius, L. LIX. p. 654.

(2) Vid. Iustinus, lib. XXXIV. c. 3.

(3) Eleganter sua tempora pinxit Portalis, in *Disc. prélim. sur le proj. du Cod. Civ.* „*Dans nos* „ *temps modernes*, inquit, *où le commerce a établi* „ *plus de liens de communication entre les divers états,* „ *qu'il n'en existait autre fois entre les villes d'un* „ *même empire, dans nos temps modernes. où les mê-* „ *mes arts, les mêmes sciences, la même réligion, la* „ *même morale ont établi une sorte de communauté* „ *entre tous les peuples de l'Europe.*"

(4) Vid. Montesquieu, *Op. cit.* Lib. XX. c. 21.

(5) Vid. Planck, *die Lehre vom Besitze*, N. 5.

p.

Horum itaque alia conditio alias postulabat leges. Quum igitur initio sec. XIX. leges speciales in variis Franciae locis obtinentes sibique saepissime prorsus repugnantes abrogarentur, et novum legum corpus, quo omnes Imperio Francico subditi tenerentur, esset conficiendum; nemo mirabitur architectos Codicis Civ. Ius Romanum hac in parte non esse secutos.

Hi etiam, quod non negligendum, longe aliter processere ac ICti Romani. Horum quippe scripta ad illud inserviunt, ut doceatur quid sit iuris, magis continent iurisprudentiam, quam normam civibus praescriptam: cum contra id egerint Codicis Francici auctores, nt ederetur norma civibus observanda, civitati profutura, experientia comprobata (1).

§ III.

p. 18. seqq. et Bourjon, *Jurisprudence du Châtelet de Paris*, Tom. II. p. 695.

(1) Praeclara ad hunc locum verba Cl. Seidensticker, *Einleitung zum Cod. Nap.* in praef. „ *Ja* „ *est ist gewiss nicht das kleinste Lob*, *das man den* „ *Cod. Nap. geben kann.*, *wenn man ihn nennt ein kost-* „ *bares Resultat*, *gewonnen für die Praxis aus einem* „ *vieljärigen Streite zwischen Speculation und Empi-* „ *rie. Er steht auf dem Grunde einer lehrreichen Er-* „ *farung.*" Quomodo in Cod. Civ. condendo processum sit docet idem C. II. p. 182. seqq.

§ III.

Speciales Iuris diversi causae.

Ratio itaque generalis, cur eo, quem vidimus, modo a Iure Romano recessum sit, sita est in alia Gentis Francicae conditione alias leges postulante, *ne rerum impediretur commercium*. Hac autem generali plurimae continentur speciales, quae non melius cognosci possunt quam ipsa oratione suasoria, hac de materia habita ab ampl. Bigot de Préameneu (1). Illae huc redire videntur:

I°. *Res mobiles ordinario possidemus sine ullo titulo*, id est, instrumento, quo ius aliquod constituitur (2). Quis enim de omnibus rerum mobilium translationibus, instrumenta, secundum formam legibus praescriptam, conficere posset?

II°. *In mobilibus saepius difficillimum est probare rem esse eandem, de qua quaeritur.* Mobilia aliquando sibi creduntur adeo similia, ut res, eademne sit, an minus, vix dici queat.

III°. *Mobilia citissime de manu in manum transeunt: quo sit, ut difficile sit dictu quomodo*

(1) *Cod. Nap. suivi des Mot.* T. VII. p. mea 261.

(2) Ita definit Merlin, *Rep. mot. titre.*

do ad aliquem pervenerint. Plurimae res mobiles sunt usus quotidiani, plurimae fungibiles, plurimae etiam post certum tempus valorem suum amittunt, unde, qui ipse iis non utitur, eas quantocyus in alterum transferre conatur.

IV°. *Lites, quantum fieri possit, sunt minuendae.* Haec ratio uti generatim summi est ponderis, ita tamen in mobilibus specialem vim habet; nam

1°. Haec saepissime ad alium dominum transeunt atque ideo eo frequentiores lites forent.

2°. Lis saepe magnis sumtibus est agenda. Mobilia vero saepius sunt vilioris, aliquando vilissimi pretii. Facillime itaque fieret, ut litis sumtus valorem rei litigiosae excederent, quod nemo negabit, qui *Codice de Ord. Iud. Civ.* inspecto, quot quantisque solennitatibus lis prematur, cognoverit. Iure antiquo lites in Gallia longe etiam fuere graviores, cum quaeque provincia suo diverso uteretur iure. Mala inde oriunda moverunt Cod. Architectos, ut nihil magis agerent, quam litium praecidere causas (1).

(1) Quantum hoc egerint patet ex tumidis Jauberti, dictis in Concil. legisl. 11. Mai. 1816. „*Tous „les hommes sont d'accord que c'est* (*Cod. Nap.*) *le „plus bel ouvrage, qui soit sorti de la main des hommes. La grande diminution des procès, attesterait „seule son heureuse influence.*"

CA-

CAPUT TERTIUM.

QUA TANDEM RATIONE UTRIUSQUE IURIS DOCTRINA OPTIME TEMPERARI POSSE VIDETUR, UT TUM IN IURE DOMINII TUENDO, TUM IN LIBERO RERUM COMMERCIO HAUD IMPEDIENDO, AEQUITATIS ET BONI PUBLICI, QUOAD EIUS FIERI POSSIT, HABEATUR RATIO?

Ius Francicum et Romanum conſtitutum prioribus capitibus adumbravimus, ita ut nunc ad ius conſtituendum transeamus, cuius tractatio inſignes continet difficultates; utrumque enim ius, quibus ſe commendet, plurima habet. Verum, neque quod lex ſit aequa, neque quod commercio rerum faveat, ſolummodo ſufficit; utrumque, ut bona dicatur, contineat. Eleganter Luſac (1): „ *Il y a ici deux éceuils à éviter, l'un de nuire* „ *à*

(1) In notis ad Wolffii *Inſt. du Droit. Nat.* in fin. § 262.

„ *à la ſureté, que chacun doit avoir par rap-*
„ *port à ſes biens, l' autre de nuire à la ſure-*
„ *té, que le commerce de la vie exige par rap-*
„ *port aux acquiſitions.*" Hosce igitur inter duos ſcopulos rectam quaeramus viam, memores aurei praecepti:

„ *Inter utrumque tene!*"

Ut et hoc capite tractando, dilucidum, quoad eius fieri posſit, ſequamur ordinem, ſtatim quidem de eo, quid naturalis ratio hac in parte postulet inquirere, dein vero an et quasnam limitationes ſalutis publicae cura ſuadeat, investigare, haud incongruum existimavi.

---

§ I.

Quid postulet aequitas.

Ex ipſa dominii natura ſine ullo dubio ſequitur dominum rem ereptam malae fidei posſesſori posſe extorquere, ſive ipſe eam contrectaverit, ſive alterius delicti ſocius aut conſcius eam detineat. Huius enim actus phyſicus moralem domini facultatem nequaquam perimere potest et ex ipſo ſuo facto illicito ad rei reſtitutionem obligatur, unde etiam ſi aliquid pro re dedit, illud nullo fundamento repetere potest; ſcivit enim

rem

rem esſe alienam et proinde damnum, quod ſentit ſibi ipſi imputare debet (1).

Sunt tamen, qui dominium actu phyſico interire posſe ſtatuant, ita ut dominus cogatur iuri ſuo renunciare, quam ſententiam tuetur magnus L u ſ a c (2); quia, verbi cauſa, abſurdum est, rem in terra reconditam aut mari iniectam ſemper manere in dominio.

Sed vereor, ut hoc argumento quicquam efficiatur: hoc enim in ſpecimine non petit dominium, quod demum fieret ſi et res periisſet; nam ſi res caſu extrahitur et dominium potest probari, utique dominus rem recipit, unde patet ſuſpendi tantum dominii exercitium. Si dominus neſcit quisnam rem teneat, aeque ſuſpenditur dominii exercitium, ſed reviviscit ſimul ac cognoverit.

Longe vero alia est conditio bonae fidei posſesſoris: [illegible]um rem reſtituere teneatur, necne, lis est inter interpretes. Nos eum teneri ſtatuimus, quoniam *a parte domini* illi, cui ius est rem posſidendi, huic etiam inesſe debet facultas rem vindicandi, *et a parte bonae fidei posſesſoris*, is ius rei retinendae non habet; unde enim tale ius oriatur, cum ratio naturalis, non minus quam ius

(1) Conf. L. 38. D. de Uſurp. et uſuc.

(2) In Notis citt. ad § 262.

ius Romanum (1), nos doceat, neminem plus iuris in alterum posse conferre, quam ipse habet.

Verum, dicunt dissentientes, facultas moralis consistit in facultate exercendi actus physicos, quibus nemo se opponere potest; si quis igitur potest, amittitur facultas moralis, et potest bonae fidei possessor, quia a sua parte nullum vitium actui acquirendi inest. Sed nec illa ratio nobis valere videtur: licet enim quoad animum acquirendi bonae fidei possessoris ius vitio non laboret; contractum tamen est super re, de qua contrahi non potuit, aut res occupata, cuius possessio non erat vacua, adeoque non illa adsunt omnia, quae ad legitimum dominium acquirendum requiruntur.

Quoad regulam, „ nemo plus iuris in alte„ rum potest conferre quam ipse habet," hanc Lusacius ita interpretari conatur, ut significet illum, qui rem alienam transtulerit, dominum indemnem praestare debere; sed si hoc admittimus, tum, si rem meam alter vendiderit, hoc pati teneor et tantum regressum habeo contra venditorem, qui forsitan in remotissima deget regione. Sic dominus iure suo quaesito privaretur absque ullo aequitatis fundamento.

Bo-

(1) Vid. Lex. 54. 120. D. de Reg. iur.

Bonae igitur fidei posſesſor rem domino vindicanti reſtituere tenetur, ſive eum titulo oneroſo ſive lucrativo acquiſiverit: ſed ſi *oneroſo*, anne tum aequum, ut pretium, quod pro re dedit, ipſi a domino refundatur? Haec ſane quaestio, quae accurate exponatur utique digna, anterioribus longe est difficilior: quae enim de obligatione rei reſtituendae diximus, ex iuris naturalis principiis deduci posſunt; quaestio vero de aequitate non ita ſtabili baſi est innixa et multum pendet a ſingulorum opinionibus, unde Paulus ICtus: „ Quod aequum est, inquit, illud in„ certum est."

Ex variis aequitatis definitionibus, unice placuit ea, quam tradit ſummus Pestelius (1) ſcilicet ut ſit: „ ſtudium in officiis imperfectis „ ſervandis alios ſibi, et alios inter ſe pro eo„ rum merito coaequandi." Hanc igitur legem civilem *aequam* merito dixeris, quae homines inter ſe pro eorum meritis coaequet; quare operae pretium esſe videtur, ut, cum domini, qui rem amiſit, tum bonae fidei posſesſoris, qui rem tenet, conditionem paulo accuratius inſpiciamus.

Nullus profecto *dominus* res plurimas posſidens, licet omnem adhibeat curam, quin non ali-

(1) In fundam. iuris nat. T. I. p. 633.

aliquando una alterave ex rebus ſuis illi ſive caſu excidat ſive dolo ſubtrahatur, ſive vi eripiatur, prohibere poteſt, imprimis cum talis ſit multarum rerum v. c. animalium natura, ut ſemper obicibus et ſeris cuſtodiri nullo modo posſint, unde fruſtra diceretur dominum habere, quod ſibi negligentiam imputet. Ius ad rem posſidendam et per conſequentiam vindicandam dominio inesſe oſtendere conati ſumus, ſed unde, quaerimus, probatur obligatio domini ad rem redimendam? nullus enim actus ad obligationem creandam idoneus inter hunc et posſesſorem intercesſit.

Verum quidem eſt quod ait Barbeyracius (1) dominum ſaepe ob ſingularem affectum, quod rem pro pretio recipere posſit, gaudere; ſed quod aliquando fit, regulae generali locum non facit: neque minus verum, dominum actione perſonali eum perſequi posſe, qui rem contrectavit; ſed illud factum plerumque eſt difficillimae probationis, et inſuper actio talis ſaepisſime competit contra tales homines, qui unde pretium ſolvant non habent, quosque ſi in ius vocaveris, litis impenſas inſuper perdideris. Immo licet furem vel raptorem utiliter convenire pos-

(1) Ad Puffendorffi, Iur. nat. et Gent. l. IV. c. 13. No. 1.

posſimus, hic tamen plerumque caret rei reſtituendae facultate et pretium tantum praeſtare potest. Quamvis igitur minime negemus, dominum, qui pretii ſolummodo iacturam facere nolit, ſi a fure aeſtimationem conſequi posſit, melius facturum ſi ab isto pretium, quam ſi a bonae fidei posſesſore rem petat, obſervandum tamen rem continere aestimationem, non vero aestimatione rem contineri, quin ea, quae ipſe Barbeyracius de ſingulari affectu monet, ſatis indicare videntur, dominum ſaepe aestimatione non esſe contentum, et nulla ratio esſe videtur cur illi ius quaeſitum ad rem ipſam auferatur.

Bonae fidei posſesſor est, qui ignorat vitium tituli, quo rem alienam acquiſivit. Nonne igitur iniquum, eum iacturam facere, cum de mala fide auctoris ſui nihil ſciverit? Ut non ſciverit, ſaepe fit, ut ſcire non potuerit, rarisſime, et hic ſi diligentiam omiſerit, hoc domino minime imputandum esſe contendimus. Barbeyracius ideo posſesſorem culpa carere contendit (1), quia non ſemper curare potest, ſibi de evictione caveri. Emtionem ſic difficultate premi fatemur, ſed obſervatio Barbeyracii potius ad id facere videtur, ut doceatur legibus quasdam hic inducendas esſe limitationes, quam ad id ut probetur bonae fidei posſesſorem, ex aequitate pre-

(1) Loc. cit. § 3. No. 1.

pretium petere posſe. Si quis ab homine ignoto emit, tum quidem non ſtatim adest malae fidei praeſumtio, ſed adest tamen quaedam dubitatio; ſi quis vero a cognito emit, actione de evictione ſibi profſpicere potest.

Ex hac autem expoſita utriusque conditione, comparatione inſtituta, ſatis elucere videtur, aequum esſe, ut dominus bonae fidei posſesſori pretium non reſtituere cogatur: „ Iure naturae „ enim aequum est, neminem cum alterius „ damno fieri locupletiorem" (1). Detrimentum autem, quod quis per ſe patitur, merito non pati intelligitur et patitur bonae fidei posſesſor per factum *ſuum:* nam ſi non emisſet aut ſibi idonea ratione caveri curasſet, non pateretur: unde et hic in favorem bonae fidei posſesſoris, nulla est vis argumenti, factum tertii nemini nocere debere (2): quin e contrario huic aequitatis regulae repugnaret, ſi dominus aut re ſua, quam pleno iure petit, carere, aut pro ea aestimationem ſolvere cogeretur hoc fundamento, quod tertius rem bona fide teneat.

Fortiores igitur rationes pro domino militare videntur, unde hic rem ſuam vindicet nullumque refundat pretium, postulat aequitas.

Si

(1) Uti dicitur in l. 206. D. de Div. reg. iuris.
(2) Conf. l. 63. D. de Re iud.

Si cui tamen bonae fidei posſesſor non quidem laedi, ſed tamen paulo durius teneri videtur, ad eum ſpectant verba Iavoleni (1): „ Quo„ ties nihil ſine captione investigari potest, eli„ gendum est quod minimum habet iniquita„ tis."

Haec autem, quae diximus non impediunt quo minus dominus bonae fidei posſesſori actiones ſuas contra eum, qui rem dolo alienavit, cedere cogatur: hae enim domino, ſi rem iam recipiat, ſunt inutiles, posſesſori prodesſe posſunt, illius etiam qui rem contrectavit nil interest, utrum dominus ipſe an alius agat, neque hac cesſione perit ipſius obligatio ad damnum datum reſarciendum. Has actiones, ſi dominus cedit, paret utique regulae aequitatis: *quod tibi non nocet et aliis prodest, ad hoc faciendum es obligatus.* Haec argumenta actionum cesſionem admittendam ſuadent, cumque, quae merito obiiciantur, nulla videam, utique hanc cesſionem legibus introducendam esſe opinari ſum auſus.

Haec autem dicta valent de illis quidem rebus, quae ſine conſenſu domini ex eius manibus exierunt, ſed aliud quid obtinere videtur in illis, quas dominus ipſe ex cauſa locationis, depoſiti, commodati, ſimili, alteri detinendas tradi-

(1) In l. 200. de Div. reg. iuris.

didit. Hoc si factum, sunt, qui dominum ad refundendum bonae fidei posfesfori pretium obligatum existiment (1), „ Quae sententia, ut „ summi Voetii utar verbis, non omni desti„ tuta est aequitatis ratione, cum utique sit „ quod dominus facilitati suae imputare debeat, „ quod tam maligno, cuius fidem necdum habe„ bat exploratam, rerum suarum usum, curam, „ custodiam aut detentionem commiserit, neque „ ignarus esse debuerit conditionis eius, quo „ cum contrahebat" (2). Hic par esse videtur causa domini et bonae fidei posfesforis, quatenus uterque non satis cognitum habuit, cuius fidem alter in emendo, alter in contrahendo sequeretur, unde hisce in casibus aequitatis esse putamus, ut dominus bonae fidei posfesfori dimidium pretii, quod hic pro re dedit, refundere teneatur, nisi bonae fidei posfesfor actione de evictione adversus suum auctorem indemnitatem consequi posfit.

Ne vero bonae et malae fidei posfesforem eodem loco habere, iisque eadem iura concedere vi-

(1) Uti etiam caverunt nonnullae constitutiones municipales. Vid. Ius. Lubec, l. III. V. 2. *Art.* 1. Carpzovius, def. forens. p. II. const. 26. def. 5. Constit. Antwerp. Tit. 58. *Art.* 5.

(2) In comment. ad D. Tit. de Rei vindic. No. 12.

videamur, quod ſane esſet iniquisſimum, verbo notemus ſequentia, quae inter utrumque intercedunt, discrimina:

I°. Bonae fidei posſesſor, niſi fuerit negligens, tutus est actione contra ſuum auctorem, quod non est is, qui mala fide posſidet; rem enim ex cauſa iusta et titulo habili minime nactus est.

II°. Bonae fidei posſesſor, ſi rem iterum alienaverit, ad nihil tenetur, ſed malae fidei posſesſor etiam ex hoc damnari potest, quod aliquando rem posſederit (1).

III°. Solus bonae fidei posſesſor petere potest ut actiones ſibi a domino cedantur contra eum qui rem furtivam contraxerit, ſi ſuum per evictionem conſequi nequeat.

IV°. Magnum intercedit discrimen quoad fructuum reſtitutionem; bonae enim fidei profesſorem fructus perceptos ſuos facere atque impenſas necesſarias repetere, voluptuarias, quatenus ſine rei detrimento fieri queat, tollere posſe, aequisſimum est, rem enim habuit ſuam (2). Malae antem fidei posſesſor fructuum perceptorum aestimationem refundere, extantes reſtituere debet,

(1) Conf. l. 175. et 131. de Div. reg. iuris.

(2) Conf. Iavolenus, in l. 136. D. de Div. reg. iuris.

bet: cur enim ex improbitate emolumentum caperet? Ad impenſas quoque repetendas ius illi non est: quare enim illas fecit ſciens rem esſe alienam?

§ II.

Quid ſuadeat ſalus publica.

Et ſic quidem, quid aequitas hac in materia postulare videatur, expoſuimus; nunc igitur indagandum, quid lege civili conſtitui oporteat.

Hic autem, ſi de ſalute civitatis quaeritur, nihil magis rei naturae conſentaneum est, quam ut ante omnia attendamus ad primarium ſocietatis civilis ſcopum, qui ut ſit perpetuus, moralis, atque ſola civitate attingi queat, ex rei natura requiritur. Haec autem criteria omnia ſola complectitur *ſecuritas*, ea ſcilicet, qua nemo in uſu libero neque qualitatum perſonalium neque bonorum iuste acquiſitorum turbatur, atque, ſi turbatio intervenerit, quisque in liberum earundem uſum reſtituitur. Haec ſecuritas est baſis ſalutis omnium et ſingulorum, hanc igitur leges diligentisſime tueantur (1).

Se-

(1) Eleganter Ampl. Meyer, *Espr. orig. et progr. des inſt. jud. introduction*, p. 35. „ *Le grand objet de* „ *la*

Securitas illa est primarius, minime vero solus, civitatis scopus: quod si obtineret, latissima concedenda esset vindicandi facultas: verum alius datur scopus, qui licet secundarius et securitati postponendus sit, minime quoque legibus negligi, sed e contrario hisce accuratissime curari atque promoveri debet; is autem comprehenditur nomine *boni publici*, cuius consideratio efficere potest, ut, quamvis toti civitati et singulis eius membris expediat, iura dominii intacta manere; vindicandi tamen facultas aliquomodo sit restringenda, atque hic etiam verum elegantissimum M. Antonini dictum: „Quod alveari non prodest, ne api quidem prodesse."

Cum vero bonum commune sit „ positum „ vel in bonis corporis aut animi vel in rebus „ externis acquirendis, conservandis, administrandis, recuperandis, prout consociatis salva „ naturae lege placeat" (1): cum diversarum civitatum alii sint mores, aliae loci aërisque opportunitates

„ *la législation est d'assurer ces avantages, qu'on a* „ *eu en vue, lorsque les hommes ont fait le sacrifice* „ *d'une partie de leur liberté et se sont reunis en société; c'est de garantir à chacun de membres de la* „ *societé, la tranquille jouïssance de ses droits.*"

(1) Sunt verba Pestelii, fund. iuris nat. T. I. p. 253.

portunitates, alia ſtudia; generalis omnino regula omnibus apta populis locisque cogitari non poteſt, quippe hisce omnibus, ut bonum publicum promoveat, lex accommodata eſſe debet. Hinc ars politica non tantum continet regulas generales et ubique applicandas, ſed habet etiam regulas ſpeciales atque conditionales, quae ex peculiaribus rerum momentis fluunt. Unam igitur alteramve peculiarem civitatem nobis proponamus neceſſe est; nulla vero hic videtur aptior, quam ipſa nostra patria carisſima, cuius facultates et opes ut ad pristinum, eheu! florem aliquando reviviscant, Deus faciat omnipotens!

Omnes quidem civitates, quae divitias acquirere et acquiſitas augere conantur, ſimulac ad cultiorem pervenere vitae rationem, agros colunt, fabricas conſtituunt, mercaturam agunt, qui diverſi divitiarum fontes tam arcto inter ſe iunguntur vinculo, ut, ſi unus eorum tollitur aut impeditur, ceteri quoque languescant.

Variis tamen populis unum ex hisce fontibus prae ceteris arriſisſe, docet historia. Nostris autem maioribus unice placuit mercatura, quod non mirabimur, ſi cogitemus, quam pulchra illis, ſummo mercaturae ſtudio pollentibus, contigerit eam exercendi opportunitas: quippe quorum territorium non tantum externe ad mare ſitum est, ſed interne quoque quam plurimis ſcinditur flu-

fluminibus lacubusque, qui rerum commercium tam facile reddunt. Mercaturam igitur exercuere Belgae: neque eos sine fructu exercuisse, patet, si accidisse eius efficacia reputemus, ut minima regio toti Hispaniae resistere potuerit, ut classes Francorum Anglorumque penitus vincere valuerit, ut plurimae Provinciae seriem quasi ditissimorum pagorum exhibeant, ut orbis terrarum divitiae huc affluxerint, et, quod maioris putaverim momenti, ut in variis artibus atque disciplinis nostra patria aliquando primum sibi vindicaverit locum.

Quis igitur neget mercaturae florem plurimum ad opes civium augendas et ad ingenia eorum excolenda conferre? Quis inficias ibit, hanc legem Belgis exoptatam esse dicendam, quae mercaturae favet, et legibus quoque vindicandi facultatem minuendam esse, ut ne turbentur commercia? „ Quae ratio, ut verbis utar Ampl. de „ Brueys (1), etiamsi per se parum sufficiens, „ si tamen in his regionibus procedat, ita ut com- „ merciorum usus a Iure Romano divortii de- „ beat esse causa; nihilominus, caute admodum „ attendendum est, ne fines commercii, qua ta- „ lis, nimis extendantur. Eatenus autem illi „ sen-

(1) In Spec. Iurid. exhib. rei vind. for. civ. et Belgic., Leydae 1765.

„ sententiae suffragari non haesito, quatenus
„ non admissa, revera turbaretur commercium,
„ nam populi utilitas et mercaturae libertas fa-
„ cile aliquid exceptionis mereri debent."

Ut talis turbatio oriatur si vindicatio permittitur, fieri potest ex ipsa rerum natura. Codice civili, uti vidimus, generatim prohibita est vindicatio mobilium et revera hac in materia distinctio inter res mobiles et immobiles minime est ficititia; possessiones enim nostras immobiles non ita quotidie permutamus, ad eas emendas vendendas multo difficilius progredimur, nemo rem immobilem facile emit, nisi cognito auctoris sui titulo verbo, hae non ita de manu in manum transeunt. Codicis civilis auctores mercaturae favisse non dubitamus, sed cum dominus sic nimis facile rebus suis privetur, Charybdim vitare cupientes in Scyllam incidisse videntur, quod vitium haud paucis legum auctoribus commune fuisse, historia docet. Plato, uti avaritiae communionem bonorum opponere voluit, ita inter consilia de optimo civitatis statu fundando, hoc retulit, ut ad tollenda zelotypiae mala cives uxoribus communibus uterentur (1).

Ex

(1) Vid. Pestel, in additam. ad fund. iuris nat.

Ex dicta ratione generatim omnium mobilium vindicationem non excludendam esſe arbitramur. Verum uti multa dantur mobilia, quae facile a ſe invicem cognoscantur, quae etiam non ita quotidie de manu in manum transeant; ſic tamen datur ſpecies mobilium, quarum vindicatio, ſi concedatur, valde nocebit, et haec est *rerum fungibilium.* Harum quippe fert natura, ut homines eas celerrime coëmere debeant, neque in titulum auctoris inquirere posſint: hae difficulter inter ſe distinguuntur, ſemper fere per partes divenduntur atque in plurimis caſibus litis, quae de iis moveretur, ſumtibus res ipſae ſunt viliores.

Ne dubitemus de turbatione, quae ex harum rerum admisſa vindicatione oriretur, fingamus mercatorem alicubi vina habere poſita, quae a tertio mala fide ſint alienata. Vina paulatim per varios mercatorum manus transiere, aqua etiam aut alio quodam fluido non imminuta, tandem per amphoras divendita ſunt. Qualem iam dominus vindicans ſecum fert confuſionem? Inde a maxima ſtatione mercatoria usque ad infimas tabernas omnia turbat.

Rationes autem, quas propoſuimus, tum omni vi carent, quum res fungibiles adhuc inapertis cadis, vaſis ſimilibusve continentur et obſig-

ſignatae ſunt (1), unde videtur generatim neganda rerum fungibilium vindicatio, niſi adhuc hisce machinis contineantur et ſpecies dici poſſint.

Exceptio propoſita ratione rerum fungibilium oritur ex ipſa rerum natura: nunc vero aliam conſideremus, cuius cauſa in ipſo, quo res acquiruntur, modo poſita est, ſcilicet ut pretium non amittant ii, qui rem in nundinis plublicis, in auctione publica atque a mercatore, qui talium rerum commercium facit, bona fide acquiſivere.

Multum profecto ad rerum commercium augendum faciunt nundinae, ad quas igitur, ut quam plurimi ad emendum vendendum accedant, cives ſunt alliciendi.

Cum vero in hisce homines ſibi omnino ignoti ſecum agant, maximopere impediretur emtio venditio, ſi vindicationem timerent: atque in hisce pro venditore magna militat bonae fidei praeſumtio; is enim, qui res furtivas tenet, eas in nundinis publicis tantae undique affluenti hominum turbae non facile exponere auſit, adeoque emtor minorem negligentiam admiſit, ſi in ti-

(1) Hoc modo distinctum Cod. de com. *Art.* 580, item iure Patrio in nummis, ceu docet Neostadius Cur. ſupr. deciſ. dec. 37.

titulum venditoris non inquisiverit (1). Haec consideratio effecit, ut plurimae olim urbium constitutiones rem in nundinis emtam, nisi refuso bonae fidei posfesfori pretio, vindicare prohibuerint (2), „ ne, ut ait Voetius (3), „ timidius ad emendum accederent emtores, si, „ re aliena bona fide comparata, pretii periculum deberent subire, nulla licet in culpa „ plerumque haerentes, dum in peregrinorum „ promercii causa adventantium ac res venales exponentium conditionem integritatem„ que curiosius inquirere, onerosum ementibus „ ac prope imposfibile visum est."

Pares quoque rationes valere videntur de auctionibus publicis, unde et qui bona fide ibi eme-

(1) Maleville, Anal. raif. ad *Art.* 2280. ait. „ *Il est fondé sur la faveur que merite le commerce et la* „ *bonne foi de l'acquéreur, laquelle est prouvée par* „ *les circonstances même de son achât.*"

(2) Vid. Grotius, *Inleid. tot de Holl. Rechtsg.* l. II. c. 11. Zypaeus, notitia iuris Belg. alii, quos citavit Voet. No. 8. Tit. de Rei vind. Item statuta Antwerp. Tit. 58. § 1. et *Landrècht van Overijss.* D. II. Tit. 15. Conf. omnino P. G. Donker, tract. iuris Belg. de iure nund. § 1. p. 73. seq.

(3) Loc. cit. No. 8.

emerit, fit tutus, leges iubeant, ut etiam olim multae iusfere conftitutiones (1).

Eadem quoque bonae fidei praefumtio militat pro eo, qui emerit a mercatore, qui talium rerum commercium facit unde et aequisfimum et bono publico confentaneum existimamus, hunc etiam non cogi ad rem reftituendam, nifi refundatur a domino pretium.

Hae tres exceptiones inductae funt Codice Civili, fed, uti praecedentium, ita et huiusce multa funt vestigia in ftatutis multorum patriae locorum. Sic is qui emerat ab aurifice, tritarum vestium venditore (*uitdrager*) vel menfulario tutus erat (2).

Is autem, qui late mercatur, omnia folus coëmere et divendere nequit, unde mercatores hoc faepius per alios mandato munitos faciant, necesfe est. Mandatarius igitur hic habetur eadem perfona, quae dominus, ita ut, quod ille gesfit, ipfe gesfisfe habeatur. Quatenus autem proxenetae, inftitores, fimiles mandatum generale vel fpeciale habere intelligantur, olim pendebat a fingularium urbium moribus ftatutisque. Hoc ve-

(1) Vidd. *Keuren van Zeeland*, a. 1595. c. 3. *Art.* 23. Conf. Groenewegen, de Legg. abrog. ad l. 2. C. de Furtis.

(2) Vid. Grotius, *Inleid.* l. II. c. 11. No. 14.

vero certum est illum, qui ab hisce emit, aeque tutum esſe debere, contra tertium vindicantem ac ſi ab ipſo mercatore emisſet (1).

In praecedentibus vidimus et Iure Romano et Codice Civili admisſam esſe praeſumtionem iuris, qua quis bona ſide posſidere intelligitur, donec probetur contrarium. Huius praeſumtionis, ſi et hic admittitur, uti omnino admittendam existimamus, haec erit vis, ut in cauſis quidem ordinariis posſesſor, a quo res vindicatur, fructus ut bonae ſidei posſesſor lucretur perceptos; in illis vero caſibus, ubi res est emta in nundinis publicis, in auctione publica aut a mercatore, qui talium rerum commercium facit, dominus posſesſori pretium, quod dedit, refundere teneatur, niſi posſesſorem in mala ſide verſatum fuisſe probet. Quamvis enim ad lites minuendas facere posſit, ut haec probatio non admittatur et in hisce caſibus obtineat iuris et de iure praeſumtio; hic tamen ab altera parte fortior ratio militare videtur, ſcilicet legem non verſari debere in adiuvandis fraudibus eorum, qui cum alterius damno locupletiores fieri ſtudent,

(1) Sic inſtitores et proxenetae ſuis dominis nocere dicuntur variis in legibus, quas citavit de Brueys, l. l. p. 24. No. p. q. et r.

dent, cum civitatis valde intersit, ut dolosi et furaces nebulones, quantum fieri possit, coerceantur.

Notanda superest exceptio, quam aequitas et salus publica pari ratione induci suadent, scilicet, ut dominus illi etiam pretium, quod dedit, refundere teneatur, qui rem amissam vel furtivam eo redemit animo, ut domino restitueret. Hic, si ex bono, quo erga dominum fertur, animo damnum pateretur, haberet quod merito quereretur. Ipsis etiam dominis naves v. c. emittentibus maxime prodest, ut leges hanc exceptionem contineant, nam si is, qui redimere velit, timere debet ne ab ingrato domino damno afficiatur, multo potius rem auferri sinet et summi tamen momenti esse potest, ut dominus ex. gr. naves a piratis occupatas vili pretio recipiat (1). Ne vero hoc modo color quaeratur, quo dominus rem a fure redimere cogatur, is, qui rem redemit, haec omnia bona fide menteque gesta esse doceat, quod ex variis colligitur rerum momentis, uti ex ipso emtionis instrumento, testibus, si rem minori pretio emerit, si ipse domino obtulerit, aliis.

Haec

(1) Hanc exceptionem varia admisere urbium statuta, quae memoravit Voet, l. l. No. 8.

Haec exceptio proprie quidem pertinet ad doctrinam de negotiorum gestione et de in rem verso, sed eatenus cum rei vindicatione cohaeret, ut, illa instituta neque admissa exceptione, dominus eum, qui rem redemit, cogere posset, ad eam, nullo refuso pretio, restituendam.

Verum si commodatarius rem commodatam, aut creditor pignus alienaverit, quaeritur an utile sit ut tum dominus vindicans a bonae fidei possessore pignus luere aut ei pretium restituere debeat? Nonnulli interpretes pretium non refundendum esse statuunt, quia videre potest emtor a quo acquirat (1), alii vero refundendum arbitrantur, ex hac ratione, quod dominus non inquisiverit in quo fiduciam poneret et praeterea moti, multis constitutionibus urbium mercatura florentium, ut sunt Lubeca, et Antverpia (2), quod, uti ait Voet (3). „ Ita litium minu-„ endarum gratia, tum praecipue ob com-„ merciorum usum videtur introductum, diffi-„ culter accessuris ad emendum emtoribus, si „ re-

(1) Vid. Voet, tit. de rei vind. No. 12.

(2) Vid. Groenewegen, de Legg. abrog. ad § 16. de Obl. quasi ex del. Conf. Mathaeus, de Paroem. Par. 7. No. 7.

(3) l. cit.

„ rerum mobilium evectio tam facile pristinis „ earum dominis permisſa esſet."

Quoad aequitatem domini et emtoris conditio par esſe videtur, quod enim ſibi imputet uterque habet. Huc igitur redit quaestio: an contractus locationis, commodati, depoſiti, pignoris, an vero contractus emtionis plus favoris mereatur; quod utique inde pendet, cuiusnam ſit maior ineundi necesſitas Hoc ſi quaeritur, tum profecto pro contractu depoſiti, commodati, locationis, pignoris reſpondendum est; horum enim frequentisſimus, immo quotidianus inter homines uſus: hi ut facile ineantur civitatis valde interest. Hae quidem rationes de emtione venditione quoque omnino valent, verum non tanta videtur esſe necesſitas emendi res mobiles a privatis vel ignotis, et emtor, qui eas in nundinis, in auctione vel a mercatore acquiſivit, ſecundum propoſitas exceptiones, pretium repetere potest.

Liceat itaque domino vindicare rem depoſitam, commodatam, pignori datam, locatam neque ordinario bonae fidei posſesſori pretium reſtituere aut ab eo pignus luere teneatur: „ hoc etenim „ concesſo (ut harum rerum non detur vindicatio „ niſi refuſo pretio) contractus generi humano „ utilisſimi quodammodo tollerentur e medio. „ Quis enim rem ſuam tanto cum periculo lo-

„ ca-

„ care volet? Quis autem commodare amico, „ si tanti constet beneficium alteri dedisse" (1)?

In materia autem rei vindicationis utique valerere debet regula: *nemo vindicat rem suam a se alienatam*, unde fluit dominum res a suo mandatario, sive is proxenetae, sive institoris, sive quocunqne alio nomine veniat, alienatas non posse vindicare, ne refuso quidem bonae fidei possessori pretio (2). Et profecto, si liceret, gravissime turbarentur commercia; tum enim dominus mercator merces, quarum pretium postea cresceret, semper repetere posset, hoc colore, quasi se inscio essent alienatae atque ita pessimis fraudibus via aperiretur.

Aliqua tamen difficultas oriri videtur si eandem regulam applicare velimus ad casum olim rarissimum, nostris temporibus frequentissimum, scilicet *fori cessionis.* Is, qui merces venditionis titulo in alium transtulerit, hasce vindicare ne-

(1) Sunt verba Ampl. de Brueys, *Op. cit.* p. 25.

(2) Hoc quoque multis constitutionibus cautum esse docent, Mathaeus, de Paroem. Par. 7. No. 7. et de auction. l. I. c. 18. No. 9. Responsa ICtorum Holland. p. 4. const. 178. in medio. Statuta Antwerp. t. 58. *Art.* 5. Neostadius cur. supr. decis. dec. 85.

nequit, licet alter non ſolvat, ſed ſolummodo agere poteſt ad implendum contractum. Sed ſi tum emtor mox ſoro cedit, nonnullae leges conceſſere vindicationem non tantum contra foro cedentem, ſed etiam contra tertium quemcunque rerum poſſeſſorem (1), quaſi, cum alienatio nulla eſſet ob dolum, res fierent furtivae, adeoque dictae regulae nullus hac in parte eſſet uſus. Haec autem ratio non ſemper procedit; facile enim fieri poteſt, ut v. c. Titius hodie bona fide a Caio emat hac conditione, ut poſt tres menſes ſolvat, paucis vero poſt contractum initum diebus, Titius, inproviſa quadam calamitate oppreſſus, foro cedere cogatur.

Aliud vero placuit Amſtelodamenſibus ſcilicet ut, licet emtor foro cederet, nulla tamen daretur vindicatio rerum de quarum pretio fides eſſet habita, ſed venditor eadem uteretur conditione, qua ceteri creditores chirographarii (2). Haec conſtitutio, uti ex eo ipſo quod Amſtelodamenſibus placuerit, praeſumi debet mercaturae favere, ſic etiam regulae, nemo vindicat tem

(1) Vid. Voet, No. 14. et quos citavit auctores, item Cod. de Com. *Art.* 576 ſeqq.

(2) Vid. Groenewegen, in notis ad Grot. *nleid.* etc. l. II. c. 5. No. 19.

rem ſuam a ſe alienatam conſentanea est et omnino aequitate fulciri videtur, quia, ſi datur vindicatio, creditor, cuius merces extant, utitur favore prae ceteris, huius autem favoris idoneum deſideratur fundamentum. Titius v. c. et Caius merces miſere Maevio deque earum pretio fidem habuere. Maevius mox foro cedit, res quae a Titio emit iam alienavit, non item quae a Caio. Cur igitur hac in ſpecie Caius prae Titio favore utatur? cur alteri forte omnia ſua ſalva erunt, alter omnia amittet? cum tamen aut ambo male fiduciam in Maevio poſuerint, aut ambo clade ipſius ſint oppresſi. Non igitur liceat vindicare res, de quarum pretio fides est habita, ab emtore, qui foro cedit eiusque creditoribus et proinde multo minus, a tertio bonae fidei posſesſore.

An is, qui merces vendidit ſed nondum tradidit alicui, qui mox ante traditionem foro cedit, contractui ſtare teneatur, inde pendet an dominia rerum ſolis pactionibus transeant et huius loci non est, quamvis fateamur durum videri aliquem hoc caſu teneri. Ex hac quoque ratione Architecti iuris Francici, Codice de mercaturâ hic exceptionem induxere (1).

Si

(1) *Art.* 576 ſeqq.

Si quis rem ſuam apud furem esſe novit, utique actione furti agere potest et fur, ſi condemnatur, omnia reſtituere debet; verum furtum ſua natura est factum, quod ordinario non facile probatur et ſi evidenter probari non potest, dominus utique malit agere rei vindicatione. Inde etiam, quamvis ea, quae diximus, doctrinam de delictis ac quaſi delictis non evertant, actionis tamen perſonalis, qua iure Codicis ex doloſa posſesſionis acquiſitione agitur, non magnus erit uſus (niſi aliquando in rebus fungibilibus) ſi generatim conceditur vindicatio, cum longe facilius ſit posſesſionem, quam doloſam eius acquiſitionem, probare.

De fructuum et impenſarum reſtitutione, quippe quae ad aliam iuris materiam pertinet, hic non agimus, idque eo minus, cum res mobiles rarisſime fructus proferant et impenſas exigant. Verbo notemus aequisſimam hic videri Codicis Civilis diſpoſitionem (1).

Quoad *tempus* per quod mobilium conceditur vindicatio, Codex Civilis et Ius Romanum hic admiſere triennii ſpatium (2), ſed eo discrimine-

(1) *Art.* 548, 549.

(2) *Art.* 2280. Cod. Civ. pr. Inſt. de Uſuc. et long. temp. praeſ. l. un. Cod. de Uſuc. transform.

ne, ut triennium Codice Civili computetur a die amisſionis aut furti, Romano vero iure, ab eo die, quo quis iusto titulo et bona fide posſidere inceperit.

Codicis dispoſitio prima quidem fronte laudanda videtur, quia dominus patitur negligentiae poenam, verum existimamus tales dari posſe caſus, in quibus ne diligentisſimus quidem rem ſuam invenire et repetere potest, et praeterea eum, qui per triennium rem tanquam ſuam habuit, ſecundum aequitatem meliore conditione uti debere illa, qua is, qui per nonnullos dies forte posſedit, uti debeat. Hisce moti rationibus Iuris Romani doctrinam hac in parte praeferendam habemus, adeoque contra rei vindicationem detur exceptio illi, qui per ttiennium ſe rem ut dominum posſedisſe docet, neque alter dolum admisſum probet. Triennii quippe ſpatium neque nimis longum, neque nimis breve putamus.

De rebus ab hostibus occupatis ab hisce vero in cives iterum translatis, uti et de rebus a fisco emtis, hic non quaerimus, cum hae quaestiones ad ius publicum pertinere et Iure Civili privato non regi videantur.

§ III.

§ III.

Summarium de iure conſtituendo iudicium.

Prudens iudex, ut bene de ſpecie propoſita iudicet, hanc certe viam inibit, ut, primo perpenſis utriusque partis argumentis, de hisce ſingulis cogitet; tandem vero ex omnibus ſimul ſumtis, de eo quid iuris ſit ſententiam ferat. Non aliter nos, post expoſitum nostrum de ſingulis legibus iudicium, iam eo perveniſſe videmur, unde totam materiam quaſi ex altitudine intueamur. Quid autem ex dictis concludamus, ſic optime patebit, ſi poſito principio generali, exceptiones addimus necesſarias (1).

Regula generalis.

Detur per triennium quarumcunque rerum mo-

(1) *Necesſarias*, inquam, non immemor praecepti Montesquivii, *Eſpr. des Lois*, T. 3. l. 29. c. 16. „ *Lorsque dans une loi les exceptions, limitations, modifications ne ſont point nécesſaires il vaut beaucoup mieux n'en point mettre, de pareils détails jettent dans de nouveaux détails.*"

mobilium vindicatio domino contra quemcunque posſesſorem, nullo refuſo pretio, quod forte pro re dedit posſesſor.

Exceptiones.

I. Pretium refundatur: ſi res bona fide ſit emta 1°. in nundinis publicis. 2°. In auctione publica. 3°. A mercatore, qui talium rerum commercium facit, vel ab eius mandatario, aut 4°. denique posſesſor probet ſe rem emisſe, ut domino reſtitueret.

Dominus vero cogatur cedere ſuas actiones contra eum, qui rem alienavit, bonae fidei posſesſori a quo rem ſine pretio refuſo vindicat, ſi is actione de evictione contra ſuum auctorem indemnitatem conſequi nequit.

II. Omnino negetur rerum fungibilium vindicatio, niſi res adhuc ſint intactae et obſignatae.

III. Nemo vindicet rem ſuam a ſe alienatam, de cuius pretio fidem habuit.

Hunc autem modum nostro, quod quam ſit tenue probe novimus, iudicio maxime idoneum ha-

habuimus, quo utriusque iuris doctrina optime temperari posſit, ita ut tum in iure dominii tuendo, tum in libero rerum commercio haud impediendo, aequitatis et boni publici ratio habeatur. Rectam vero viam an tentarim a vestro, Viri Clarisſimi! pendet iudicio: quodſi forte praeter ſpem, nostris iuvenilibus conatibus faveat,

„ *Sublimi feriam ſidera vertice!*"

LUDOVICI GERLACHI PAREAU,
IN ACAD. RHENO-TRAIECT.
LITT. HUM. CAND. ET THEOL. STUD.,

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM

AB ORDINE

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITERARUM HUMANIORUM
PROPOSITAM:

„ *Disquiratur, quaenam universe fuerit Tra-*
„ *goediae Graecae ratio, ad eamque exiga-*
„ *tur nobilissima Vondelii fabula,* Gysbrecht
„ van Aemstel."

Quae pariter ac Petri Iosuae Ludovici Huet
de hoc argumento disputatio, praemio digna
iudicata, sortibus iactis, aureum
reportavit nummum.

Ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανῶς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.

Plato, Phaedro. 245. A.

* * *

In omni re literaria mihi ſemper difficillimum viſum est, rite cavere, ne quis ſuas opiniones in aliorum temporum aliorumque hominum rationem transferret. Quam difficultatem maximam esſe ſenſi in tractanda quaestione, a clarisſimo Ordine philoſophiae theoreticae et literarum humaniorum in Academia Rheno-Traiectina propoſita. Nam cum esſet comparatio inſtituenda Vondelii cum Graecis tragicis, ſedulo cavendum videbatur, ne aut his tribuerem, quod ipſis non esſet tribuendum, aut ex horum ſimilitudine ducerem, quae aliunde petiverat ipſe Vondelius. Cum vero ſaepe me monuisſent optimi praeceptores, in artium operibus iudicandis fidisſimam esſe ducem historiam; huius moniti memor, multa ex historia aut petenda aut illustranda putavi in hac ſcriptione.

In qua ſi mirum videatur, quod dialogi forma uſus ſim; fateor me, eius rei ſuavitate abreptum,

tum, fuisſe audaciorem. Nulla enim forma aut ſcribenti iucundior, aut de re ipſa disputanti expedita magis videbatur: et vero diffiteri nolo aliquantum arriſisſe cogitationem, non ineptum fortasſe viſum iri, ſi de dramatibus dramatice agerem. Quod ergo ſi perficere nullo modo posſem; at, quid posſem, experiri volebam.

Hi vero mei ad ſolvendam quaestionem conatus quam parum mihi ſuccesſerint, ipſe probe ſentio, et virium mearum tenuitatem fui expertus. Sed quid plura? Iam enim duorum iuvenum ſermo meam qualemcunque de Graecorum Vondeliique tragoedia ſententiam explicabunt.



LU-

L U C I U S

SIVE

N A V I G A N T E S.



Marcus. Suavisſime Luci! quid tu tandem hoc alto mane extra urbem? Mirabar equidem, quis mihi tam vehementer vestem prehenderet. Terrore me paene ſuffocasti leni ſcilicet illa tua compellatione. Sed dic quonam abeas.

Lucius. Si paululum tibi cesſaverit terror, dicam. — Ego vero eodem abeo, Marce! quo et te abiturum cenſeo, Traiectum ad Rhenum. Quare, amicorum dulcisſime! me tibi comitem habebis navigationis. Nam ut me cogas hic manere, fortior esſe debeas, quam nunc es: et ſi vel e navi me deturbes, natando te tamen ſequar. *Marcus.* Amicisſimus es, o Luci! tuique ſemper ſimilis: nec, ſi iam redire in urbem

bem velles, ego te dimitterem. Sed dic, ſodes, quare tu hoc hiemali tempore, mediisque his feriis Academicis, Traiectum cogitas? *L.* Haud male quaeris. Nam te quidem nemo miretur, ſi ad literarum ſtudia iam redeas; es enim Muſarum prae ceteris amantisſimus. Sed nunc ego quoque, quamvis tardior, tuo ductus exemplo ad Muſarum ſedem iam redeo; nihil enim reliquum mihi erat, Marce! quod in hac urbe nostra nunc peragerem, et, quod postremum volueram, hesterna vespera eximie celebratam audivi huius ipſius urbis veterem fortunam. *M.* Quomodo dicis? *L.* Quid? tune ille poëſeos amator non adfuisti in theatro, cum ageretur Vondelii tragoedia *Gysbrecht van Aemſtel?* Ego vero et heri delectatus illa maxime fui, et nunc etiam eiusdem recordatione delector. *M.* Tu vero haec paulo postea mihi enarra, nunc vero propera. Nam dum animo tuo gaudes, corpore nimis lento procedis; et tamen tempus urget. *L.* Age procedamus. At vero, Marce, ſi heri mihi adfuisſes ſpectator, molesta tibi accidisſet mercatorum garrulitas, quos inter medius ſedebam. Nam cum antiqua urbis fortuna celebraretur, illi interim mordacia quaeque et ridicula de hodierna mercaturae nostrae et navigationis conditione dicebant.

M.

M. Ego vero iam gaudeo; me tibi non affuisse: est hoc enim perquam molestum. Et vero hodie saepius de hac re queruntur. *L.* Sed, dum progredimur, dic mihi, Marce! num iure tibi videntur queri, an immerito? *M.* Neque si hac de re, quid sentiam, dicam, stultus ideo videar multis hominibus, qui solent hodie de patriae nostrae ratione dicere ea, quae aut ipsi vix intelligunt, aut quorum certe optimi iudices sibi solis videntur. Et sunt illa quidem maximae utilitatis; quae tamen ut rite iudicentur, perscrutanda sunt tenebrosa mercatorum horrea, aliorumque hominum horridae latebrae, in quibus ut omnia rite perspicias, centum tibi opus sit Argi oculis. Ceterum ad haec omnia cognoscenda mihi nondum suppetit otium. Cuius rei caussa, amice! haec est: nondum me ipse cognovi, nec ingenii humani latebras satis sum perscrutatus. Quare non illa, sed me specto, utrum ventorum quorundam et fluctuum arbitrio ipse ferar, an sit mihi datus animus aliquis gubernator, qui, rerum etiam iniquitatem prudentia temperans, illuc navem deducere queat, ubi possim ea mercari, quae mihi ad vitae felicitatem prosint. Hoc mihi, o Luci! propositum fuit semper maxime, quod aliquando ex historiae literarumque studio cognoscerem. Et nunc quidem Platonis dialogis et

tra-

tragicorum carminibus legendis delector maxime. Sed in mediis collocutionibus iam quo tendebamus pervenimus. Huc ergo, mi Luci! mecum cede in hanc navis partem: hic soli forte erimus.

L. Sed vide, o Marce! quantus sit hic hominum concursus, prorsus ut olim ad Charontis cymbam *omnis turba ad ripas effusa ruebat, matres atque viri pueri innuptaeque puellae. M.* Bona fortuna, ut videtur, in eandem, nec tamen mortuorum, cymbam ambo devenimus. Sed quantas fortunae gratias debemus, quod hoc hiemali tempore nobis liceat navi iter nostrum perficere; quod mihi semper omnium accidit suavissimum, propter aquarum iucunditatem, locorumque maxime, quae praetervehimur, amoenitatem. *L.* Et vero hoc iam itineris initio pulcerrimus, ut ais, adspectu locus est. Quam enim placide in hac media aqua oras praeterlabimur! Sol autem mira quadam serenitate oritur primosque per undas spargit radios. Ipsa vero Amstelodami urbs aurorae fulgore collustratas turres extollit magnifice; placent omnia lucis novitate, et haec tota rerum natura, quamvis ab aestivo vigore multum absit, tamen hilaritate quadam et laetitia perfunditur. *M.* Et hinc quidem laetissimum nobis hunc fore diem augurari licet, eritque haec nostra navigii

pars,

pars, si tibi ita videtur, quaedam hodie parvula Musarum sedes; quare iam mihi enarra de Vondeliana illa tragoedia. *L.* Sed dic mihi antea; quidni ipse ei adfuisti? *M.* Graecis tragoediis, ut dixi, delectabar; quas, quod pace tua dicam, ipsis etiam Vondelianis carminibus antefero. *L.* Et tibi videtur *sanctum vetus omne poëma;* et nimio quodam antiquorum amore recentiorum carmina despicis. *M.* Ne vero hoc me crimine accusa; quamquam de antiquis ita censeo, veram in iis et nativam haberi pulcritudinem: nam et tragici et ceteri Graecorum poëtae omnes, cum nullam artem cogitarent aut praecepta poëseos, suo quisque ingenio suoque pulcri amori indulserunt: unde illa suavitas et ipsius naturae simplicitas, quae me tantopere cepit. *L.* Habent te laudatorem eximium antiqui; minorem tamen, quam par est, recentioribus laudem tribuere mihi videris. Sed age scin' tu, quid iam diu mihi promiseris? *M.* Quid maxime? *L.* Graecarum tragoediarum rationem mihi declarare et saepe et ante hos paucos dies volebas, et, quid tibi in iis placeret maxime, enarrare: quare cum insperanti mihi, sed valde optanti, contigerit, ut in istum sermonem delaberemur, illud iam perfice; nam otio abundamus, et est hoc a studiorum tuorum ratione minime alienum. *M.* Quid ais? optime

me Luci! adeone arrogantem me putas, ut, qui ſum tiro his in rebus, iam pleno marte pugnare auſim? Utinam vero Graecarum tragoediarum rationem ipſe teneam! Pulcra profecto res esſet, idque mallem, quam magno auri pondere a te donari. Sed bene ſe res habere videtur; nam ſi quem forte nanciscaris, qui antiquos tragicos digne celebret, metuendum tibi ſit, ne et tu forte nimio quodam antiquorum amore capiaris. *L.* Misſo aculeo, Marce, avolare ſtudes; nec tamen effugies; nam etiamſi ludas et apum inſtar me pungas: ego te hac navi non dimittam, donec, quod promiſisti, perfeceris. Hanc tu mihi poenam ideo dabis, quod, neglectis patriis Muſis, peregrinarum quarumdam amore te abduci pasſus es, quo te crimine non ante liberabis, quam tragicam Graecorum Muſam merito laudaveris: quare iam vide, quomodo causſam tuam agas. *M.* Mihi vero longe praeſtabit, quomodocunque potero, dicere; nam videtur haec mihi non quaedam Muſarum ſedes nobis esſe, ſed potius tribunal aliquod; quare dicam, ne me forte etiam deinde catenis huic loco alligatum teneas. Neque etiam in his mediis aquis effugiendi via patet, nec tu precibus aut ſupplicationibus ullis videris mihi moveri nunc posſe. *L.* Et recte tibi ita videor. *M.* Tu vero primum

de

de Vondelio enarra. *L.* Haec postea curabimus; nunc de antiqua tragoedia tibi est dicendum. *M.* Vos ergo, o Musae Atticae, nunc adeste precanti! Nam non meam tantum excusationem ad iudicem paro, sed et vestra, o Musae, caussa agitur! Itaque pulcri amore me totum inflammate, ut tolerabiliter certe dicam coram hoc iudice Lucio! Videtis enim, quanto nunc pudore tenear huius amicissimi iuvenis; et vero multo difficilius est coram hoc uno amico dicere, quam coram ceteris hominibus omnibus. *L.* Ludis me denuo, invocationem simulans Musarum; sed rationes te daturum memento. *M.* Ne vero me custodi, o bone! nam te timeo vehementer. *L.* Sed adhibe mentem, et ita dic, ut rationes daturus; forte, si bene dixeris, te dimittam.

M. Itaque, ut initium ab eo ducam, quod modo dixi, Graecorum poëtae suo quisque ingenio prorsus indulgebant, et quod illis videbatur pulcerrimum, illud carminibus suis effingere solebant. Ita heroum facinoribus celebrandis et miris quibusque de Diis Deabusque et hominibus etiam fabulis narrandis delectatus Homerus, carmen epicum effinxit. Cum autem maxima sit in Graecorum carminibus varietas, pro varia aetate, qua exstiterunt: tum tragici generis peculiaris quaedam dos est atque laus pro-

propria. In hoc enim genere omnia plena ſunt affectibus et ſenſibus quibusque moralibus caritatis, amicitiae, pietatis atque amoris erga patriam. Etenim cum Graecorum ingenium magis magisque excoleretur, ſenſimque ſe evolveret eorum indoles; ſenſim quoque magis ſe explicabant ſenſus quique interiores et moralis hominum conditio. Itaque cum antea rerum mirabilium et fabularum commemoratio et rerum bellicarum narratio maxime placuisſet, postea appetere coeperunt Graeci, quidquid in internis hominum ſenſibus amabile videretur. Atque ita quidem in Graecis exſtitit pulcri moralis amor, qui maxime in illis ſe prodidit bellorum Perſicorum tempore, et ea ipſa aetate, qua exſtitit tragoedia Graeca, quae vere ſic dicitur. Quantum vero fuerit illo tempore in illis pulcri moralis ſtudium, probat non modo tragoedia, ſed longe etiam magis moralis illa philoſophia, quae eodem paene tempore aut paulo postea exſtitit. Spirat enim illa ſenſus quosque internos hominis et eum ipſum pulcri moralis amorem.

Cum ergo hoc esſet Graecorum illo tempore ingenium, ut nihil iis pulcrius esſe videretur, quam quod interiores quosque animi ſenſus proderet, huic ingenio ſuo et pulcri moralis ſtudio ita indulſerunt tragici Graeci, ut nihil fere

nar-

narrarent, nihil effingerent, nisi quod istis sensibus esset plenissimum.

Sed iidem quoque tragici in mediis semper Deorum simulacris et rerum sacrarum solennitate versantes, a mythologia proficiebant maxime, et Homericorum aliorumque antiquorum carminum lectione instituebantur. Itaque si argumenta spectes, videatur adeo tragoedia ab Homero condita, quippe quae Homericis narrationibus tota nitatur (1). Quod quamvis ita sit, habuit tamen tragoedia maiorem quamdam et excelsiorem speciem, magisque honoratum retulit habitum (2). Etenim moralis illius pulcritudinis amatores poëtae tragici et ex Homero aliisque ea potissimum desumserunt, quae ad interiorem hominum sensum pertinerent, et haec ipsa ornarunt etiam magis, et ad moralem hominis rationem adduxerunt. In tragicis enim quantus sensuum ardor: quanta affectuum vehementia! Dicas nil eos magis egisse, quam ut maiores omnes et vividiores hominum sensus exprimerent. Quid agatur, fere non cogitas; quaeris unice, quid sentiatur: ipsae tragoediarum personae non pugnant, non agunt; sed patiuntur, sed lugent: omnia aut gaudiis aut luctibus aut iris aut vindictis sunt plena: et, unde haec ipsa proficiscuntur, caritas maxima, pietas, amicitia et bonarum rerum amor in omni-

nibus elucent eximie. Et est omnino in tragoedia quoddam *πάθος*, quod in alio poëseos genere nullo. Quod quidem unde potuit exsistere praeclarius, quam ex illarum virtutum significatione? Nam virtutem dico, non rigidam istam et horridam, qua, lapidis instar, sensu omni destitutus sit homo. Hanc Stoicorum sapienti linquimus, cui si similes fuisfent homines omnes, nulla profecto unquam tragoedia exstitisset. Graeci vero universe eam amabant virtutem, quae ut ex natura oritur, ita naturae gratia delectat, quaeque ut a sensu hominis morali proficiscitur, ita sensui est gratissima, et rerum omnium pulcerrima apparet. Et hi quidem sensus omnes insunt in Homero et prioribus poëtis, sed latent fere, ut solent latere in iis, qui primum e pueritia excedunt adolescentes. In tragicis vero apparent haec et omnia, et omnibus locis, et in omnibus hominibus, luculentissime semper et pulcerrime; nec latent, sed splendore atque pulcritudine sua collustrant omnia.

„Ita affecti sumus, ait Seneca, ut nihil aeque magnam apud nos admirationem occupet, quam homo fortiter miser." Apud Graecos autem haec ipsa fortitudo non tam est vera illa et excelsa animi constantia, recto rationis usu comparata; sed cernitur in illis magis genero-

rosus aliquis periculorum calamitatumque contemtus, sive ex patriae amore, seu ex quocunque tandem vehementiori affectu sensuumque vigore oriundus. Et talis quoque in tragoediis proponitur Prometheus, qui a Iove tyranno iniuria affectus, maximos dolores perferre mavult, quam tyranno supplicari, quem ille odio prosequitur maximo:

Εισελθέτω σὲ μήποθ', ὡς ἐγὼ Διὸς
Γνώμην φοβηθεὶς, θηλύνους γενήσομαι,
Καὶ λιπαρήσω τὸν μέγα στυγούμενον
Γυναικομίμοις ὑπτιάσμασιν χερῶν (3).

Dolet ille et plorat de calamitatibus suis, omnesque ad misericordiam permovet; sed, si quis eum movere velit, ut Iovi se sponte subiiciat, fortiter id recusat, nec movetur magis quam ea ipsa rupes, cui est alligatus.

Ipsa autem illa misericordia in tragoediis egregie pingitur, quem sensum amabant Graeci maxime, et erga peregrinos praesertim sanctissima dicebant esse foedera, et contra eosdem peccata omnium maxime ultori Deo curae esse iis videbantur (4). Quare occurrunt Danaides infelicissimae, a rege Pelasgo opem flagitantes. Hic vero timet et cives suos et maxime hostes, ne ipsi irascantur, si peregrinis auxilium praestet

ſtet (5). Sed tandem impedimenta omnia atque pericula vincit miſericordia, nec quidquam ſanctius habent omnes, quam ut miſeris opem ferant (6).

Subinde maximus in Graecis apparet et generoſisſimus iustitiae ſenſus. Sic Ulysſi omnium Achivorum iram minitanti respondet Neoptolemus: „ Si iustum perago, nihil timeo tuas minas; ſi iniustum ſit, non tu me ad peragendum cogere posſis " (7). Univerſe tamen, quo ipſos impellebat animus, quo ducebant affectus, illud etiam honestum, illud bonum esſe putabant. „ Pietatem colere in rebus ſecundis honestum est, inquiunt, ſed ſi quis vindicta in hostes ardeat, his quoque honestum est malefacere" (8).

Mirum est quantopere et ad univerſam virtutem, et maxime ad fortitudinem, valuerit apud Graecos pudor. Pudore ductus homo, dicebant Graeci, delectatur unice rebus pulcris, decoris, honestis; contemnit adeo mortem, ſi honeste non liceat vivere (9). Et profecto huius rei apud tragicos exſtant exempla: ipſae adeo puellae mortem appetunt, ne ignominia obruantur. Itaque Polyxene mori mavult, quam turpiter vivere (10); quare ſe ipſa excitans: *morere*, inquit,

—— *niſi herile mavis*

Car-

Carpere pensum
Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae pellex.

Neque harum tantum virtutum, quae unicuique nostrum cum omnibus hominibus communes habentur, eximiae in tragoediis inveniuntur picturae, sed et ea omnia splendent in iis praesertim, quae, ut peculiariter Graeca erant, Graecis hominibus non placere non poterant, tyrannorum odium, libertatis ardor, amor denique patriae. Ne vero mireris, Luci! me haec omnia primo quodam loco numerare in virtutibus, et, cum de sensu hominis morali dicam, memorare etiam politicam eius rationem; scito nos nunc dicere de Graecis, qui ut adolescentiae studiis quibusque praeclarioribus excelluerunt, ita maxime et aequalitatis studio et coniunctionis sodalitatisque amore illo, qui viget praecipue in adolescentibus. Quae quidem studia iam antiquis temporibus ipsas pepererunt respublicas, illasque in rebuspublicis leges constituerunt, quibus longe magis totarum civitatum commoda spectarentur, quam singulorum hominum utilitas (11). Quare quo magis deinceps se explicabant in Graecorum animis sensus omnes praeclariores, eo quoque magis haec ipsa studia et effloruerunt in illis, et fructus tulerunt uberrimos. Et vero illi ipsi viri, in quibus studia quae-

que praeſtantiora patuerunt, philoſophi iidem fere erant et politici viri: ne dicam de eloquentia, quae tota ex rerum civilium amore exſtitit. Quid, quod eo ipſo tempore, quo tragoedia exſtitit, ostenderunt Graeci in bello cum Perſis, quantopere iis cordi esſet patriae ſalus, pro qua ſi moriendum esſet, rerum omnium illud existimabant pulcerrimum esſe et decorum maxime? Itaque haec ipſa ſtudia in iis etiam virtutibus cernuntur, de quibus modo diximus, fortitudine et pudore. Etenim Prometheus fortis est, non ut aliquam animi excelſitatem prae ſe ferat, ſed quia tyranno ſupplicare indignum libero heroë videtur. Polyxene autem mortem adit, ne civibus ſuis et patriae ignava esſe videatur. Sed in nulla facile ſententia magis elucet Graecorum illud aequalitatis ſtudium et tyrannorum odium, quam in hisce Creontis verbis: „Certe equidem ut ſapientisſimus quisque, tyrannica iusſa exſequi, quam dare, malo" (12). Quantus autem patriae amor in Graecis fuerit, inde patet, quod et ipſae foeminae quidquid pro ea facere cupiant, mortemque adeo oppetant. Dubitat Agamemnon num ſit filiam immolaturus Dianae, reluctatur vehementer mater ſollicita; quid autem filia (13)? „Non oportet me, inquit, amare vitam, o mater! peperisti me Graecis omnibus, non tibi ſoli;

qua-

quare trado me lubenter Graeciae. Mactate me, viri! ut Troiam devastare posſitis: haec mea monumenta, haec proles erit, hae nuptiae, haec mea gloria!" Sed audias lamentantem Hecubam: luget illa liberos occiſos, luget mortuum maritum; ſed omnium maxime luget devastatam carisſimam Troiam. „ Heu! heu! ſplendet Ilium, Pergamorum culmina flagrant! Heu! Deorum templa, carisſima civitas! Cognovistis, audivistis Troiae ruentis fragorem: concusſio totam, concusſio obruet urbem!" (14) — Bellum memoravimus Graecorum cum Perſis; ſed est tota quaedam tragoedia, qua unice hanc Graecorum victoriam celebrat poëta (15). Imo vero tantopere his rebus, quae ad patriam pertinent, delectantur tragici, ut et bellorum pugnarumque deſcriptionibus faciundis ſibi ſaepe placuerint (16), et vero in tragoediarum fine paene ſemper patriae aut veterem gloriam celebrarint, aut inſtituta paterna laudarint, aut omnino patriae ſuae laudes extulerint magnifice (17). Sed ſi haec iam aliquantum tibi placent, Luci! nunc porro attendas, quantum poteris, maxime. Nunc enim coram amico amicisſimus de amicitia dicam: nec de amicitia tantum, ſed de iis omnibus, quibus placent antiqui mirifice, quaeque unice pertinent ad peculiarem tragoediae Graecae delectationem. Scisne quaenam ſint illa?

L. Haec si scirem, non ego nunc Marci tantopere mirarer in literis Graecis peritiam.

M. Itaque audi, ut princeps aliquando evadas tragoediarum Graecarum amator. Nam amicorum, fratrum, coniugum, parentum denique et liberorum vel ipsa nomina sancta habentur; quorum caritates et placere solent hominibus magnopere, et intimum animi sensum movere. Haec autem ut per totam antiquitatem spirant, ut occurrunt ubivis apud ipsum Homerum, ita vel maxime in tragoediis elucent ubique et vi suâ atque efficacitate proponuntur. Nam quod de ceteris virtutibus diximus, de his valet imprimis. Apud Homerum enim in medio armorum strepitu mediisque errorum calamitatumque narrationibus, apparent nonnunquam harum caritatum velut igniculi quidam, quorum adspectu delectantur oculi; in tragicis vero haec omnia solis instar effulgent, et miro quodam splendore collustrant omnia atque exhilarant, et paene vitam iis praebent atque vigorem; verbo: hisce sublatis, tollas paene totam Graecorum tragoediam, certe in densissimas eam tenebras detrudas.

Nihil in tota antiquitate celebrius amicitia. Plena est omni genere fabularum heroïca Graecorum aetas, sed ipsae fabulae amicitiae sensibus sunt plenissimae. Ubique aut cum Achille Patro-

troclus, aut cum Polluce Castor, aut cum Hercule Iolaus, aut cum Pylade occurrit Orestes. Omnia aut amicorum ope perficiuntur, aut ad amicorum ſalutem provehendam mortemve ulciscendam ſuscipiuntur (18). Iacet confosſus ab uxore Agamemnon: Orestem iubet Apollo Argos reverti, ut, patris vindicet caedem, quod pulcerrimum habebatur apud antiquos; proficiscitur ſtatim Orestes, neque ſolus tamen, ſed cum amico Pylade. Ad domum paternam veniens, primum ipſe interficit impium caedis paternae adiutorem Aegisthum. Sed matrem videns ſupplicem Orestes, timet, nec manum audet proferre: „ Quid faciam, inquit, Pylade! matremne timebo?" — „ Memento, reſpondet ille, Apollinis mandatum et quod dedisti iusiurandum. Deos magis quam homines timeto!" — „ Recte, ait Orestes, dixisti, ad pulcra omnia me admones." Et amici monitu Deorum iusſa peragit (19). Dein furiis agitatur Orestes matricida et capite damnatur a civibus. Accurrit celerrime Pylades: „ Quid agis, inquit, carisſime aequalium meorum et amicorum et cognatorum: tu enim mihi es ista omnia!" (20) „ Periimus," exclamat Orestes. „ Itaque, reſpondet Pylades, peribimus tecum; communia enim amicorum omnia." Et revera postea cum amico mortem oppetere cupit: „ Quid enim, ait,

me-

mene cenſeas te mortuo vivere aut ſine tua amicitia degere poſſe ?" (21). Tandem periculo liberatus Oreſtes cum amico in Tauros abit, ubi capiuntur, et, ad templum Dianae adducti, occidendi ſunt. Gratia tamen quadam ſacerdotis alteri domum redire licet, moriendum vero eſt alteri. „ Itaque, ait Oreſtes, Pylades in patriam redeat, ego vero moriar." — „ Minime vero, inquit Pylades, turpe ſit, te mortuo, me lucem intueri. Quid enim dicent cives mei ? Te prodito, dicent, aut forte occiſo, me rediiſſe ſolum, et vituperabunt. Sed oportet me tecum mori, tecum iugulari, tecum comburi, quandoquidem ſum amicus" (22). Sed ut hi praeſertim amici celebrantur, ita cum Ulyſſe occurrit Neoptolemus (23), cum Admeto amicus Hercules (24) et cum eodem Hercule fideliſſimus Theſeus (25) et ubique adſunt paria amicorum.

Neque minor in tragoediis ratio habetur caritatum illarum, quas ipſa genitrix natura inter eiusdem generis domusque participes homines conſtituit. Itaque Antigones et Iphigeniae in caritate fraterna; in pietate erga patrem Oreſtis et Electrae; in materno denique amore Hecubae, Andromaches, Clytemneſtrae ipſo nomine nihil poteſt inveniri clarius. Nam cum eſſet Polynices profecturus cum exercitu, ut pugna-

ret

ret contra fratrem, ſupplicat Antigone fratri, ut ipſam audiat. „ Quid habes, inquit ille, cariſsima Antigone! dic modo." — „ Ne quaeſo pugnes, reſpondet illa, ne forte moriaris." — „ Sed turpe mihi est, inquit Polynices, niſi moriar." — „ O me miſeram! exclamat illa: ſed oro te, mi frater! ut mihi pareas, nam omnium ſum equidem infelicisſima, ſi te privor" (26). Abit tamen Polynices et urbem Thebarum obſidet. Videt Antigone ipſum ex urbis moenibus: „ Utinam, exclamat, volucris inſtar, mihi liceat per aërem volare ad meum fratrem: brachia collo circumdarem amicisſimi viri!" (27) Pugnat cum fratre Polynices. Cadit uterque. Moribundis adest extemplo cum matre Antigone: quo ſpectaculo nihil poteſt eſſe ad fraternam caritatem efficacius; nam Polynices postrema ſic moribundus verba effatur: „ Periimus, o mater! miſeret vero me tui et ſororis huius et fratris mei mortui: amicus enim mihi fuit, et, quamvis hostis factus, est mihi tamen amicus." Postremo autem petit a ſorore, ut ſe velit ſepelire (28). Sed adest praeco, qui Polynici ſepulturam negat, eiusque cadaver proiici iubet volucribus: „ Sic viſum, inquit, magistratui Thebarum." — „ Tu vero, reponit Antigone, dic Thebarum magistratui, me hunc ſepulturam, quidquid contra isti dicant" (29). Rogat rex

Cre-

Creon: „ Tu itaque has leges transgredi audes?" – „ Quidni? ait illa, neque enim Iupiter, neque ipſa Iuſtitia haec dedit edicta; hi contra iusſerunt mortuos ſepeliri et amari fratres" (30). – Itaque ipſi quoque moriendum esſe dicit Creon propter leges violatas, iubetque eam cum fratre ſe quoque ipſam ſepelire. — „ Recte, reſpondet illa, est enim pulcerrimum, duos amicos ſepeliri ſecum invicem" (31). Neque caritate erga fratrem cedit ullo modo Antigonae Electra. Haec enim cum crederet mortuum esſe fratrem Orestem, accepisſetque urnam, qua ipſius dicebantur contineri cineres, ſic fatur: „ O carisſimi hominum omnium monumentum, unicae Orestis mei reliquiae! Eheu! quem puerum ipſa e caedibus eripui, te nunc mortuum manibus gero, parvum pondus in urna parvula! Utinam potius eo ipſo die et tu esſes mortuus et ego tecum!" (32) Cuius loci tanta olim vis fuit in animos Graecorum, ut ſororis lamentatione omnes qui aderant ad lacrymas moverentur (33). Ex quo caritatis ſenſu facile conficis, quaenam fuerit huius eiusdem Electrae laetitia cum fratrem postea agnosceret (34), quem illa, dum vixit, maximo ſemper amore est complexa (35). – Habuit autem idem Orestes aliam etiam ſororem, nec ſibi minus caram, et ſui amantisſimam, Iphigeniam, in qua puella nativam equidem amabi-

bilitatem semper amavi. Nam cum infelices duos sibi ignotos iuvenes videt, morti destinatos, statim illa: „ Eheu! quaenam, inquit, vobis est soror, si quam habetis, quae, talibus orbata fratribus, infelix erit" (36). Postea autem alter eorum se ipsius fratrem Orestem esse dicit; ipsa vero illi credere paene non ausa: „ O carissime, ait, fere mihi persuades, ut fratrem te agnoscam" (37).

Sed ut in caritate fratrum et sororum significanda, ita quoque in pietate pingenda liberorum erga parentes admirabiles sunt tragici Graeci. Quae pietas quanto apud antiquos honore sit habita, ex eo patet quod Orestes diceretur ob interfectam matrem furiis agitari (38). Qui tamen idem Orestes cum videret matrem lamentantem et enixe ipsi supplicantem, fere a proposito destitit, nec nisi Deorum reverentia ductus rem suam perfecit (39). — At vero, Luci! haeccine tibi minus placent, quae dixi? Videris enim aliquid velle dicere: vultum certe contrahis.

L. Tu vero pergas, ne te in medio sermonis cursu detineam. Sed ne me potius ita adspicias semper et observes; neque enim vultu te latere possum, si quid sentio de iis, quae dicis; et est hoc tibi molestum.

M. Molem istam molestiarum fero facile, dummodo dicas, quid sentias.

L.

L. Mihi vero displicet aliquantum illud vindictae ſtudium in Oreste, quem ceteroquin amo.

M. Laetor equidem magnopere, te iam idem experiri, quod mihi antea accidit; nam cum ubique vindicta ardentes viros et vero etiam foeminas puellasque viderem, displicebat magnopere ira ista in iis hominibus, quos ceteroquin, ut tu, amabam et diligebam. Sed quo magis, Luci! in antiquorum agendi ſentiendique rationem me inſinuare conatus ſum, eo levior et haec viſa est difficultas. Nam, ut antea diximus, explicuit ſe in Graecis moralis hominum ſenſus; ſed iidem tamen longe aberant a maturioris illius aetatis ratione. Itaque adolescentiae et tenerrimae iuventutis in Graecis apparuerunt virtutes, ſed cum virtutibus etiam vitia. Ut autem ſolent iuvenes in ſumma amabilitate iram continuo prodere vix reſtinguendam; praeſertim ſi eorum aut patri aut matri aut amico aut fratri mali quid fiat, ita quoque apud Graecos ex hac ipſa caritate maxima, in iuvenili animorum vigore, ira exoriebatur et vindictae ſtudium maximum: quae vitia ſi videantur nobis homine indigna; at concedenda tamen ſunt adolescentiae aetati et excuſanda: praeſertim cum eo ipſo alacriores et vi naturae vigentes nobis appareant in iuvenilibus Graecorum animis dotes atque virtutes (40). Itaque, ut redeam ad Orestem, quae tibi tandem hu-

huius filii erga patrem pietas, quis paene ardor amoris fuisse videtur, quo flagrans ipse patris interfectricem matrem occidere potuerit? Non minor profecto in hoc quam in Electra fuit patris caritas; quam haec ipsa lugubri cantu his, credo, verbis expressit:

Οἷα δέ τις κύκνος ἀχέτας,
Ποταμίοις παρὰ χεύμασι,
Πατέρα φίλτατον καλεῖ,
Ὀλόμενον δολίοις βρέχων
Ἑρκέσιν; ὡς σὲ τὸν ἄθλιον
Πατέρ' ἐγὼ κατακλαίομαι (41).

Erga matrem quoque caritatem maximam miratus sum equidem cum in aliis (42), tum praesertim in Aiace, qui moribundus solem invocat dicitque: „ O tu qui per altum coelum agis currum, subsiste, quaeso, cum ad paternum solum perveneris, nuncia patri grandaevo, nuncia praesertim matri mortem meam! O quantas illa edet infelix lacrymas, quantum per totam urbem eiulatum!" (43). Idem vero ille Aiax ut erga matrem senem, sic erga filium quoque parvulum maximam ostendit caritatem; furibundus enim et morti propinquus hunc sibi afferri iubet, quem postremo nunc adspiciat (44). Quo iussu prodit in scenam, ut apud Homerum parvulus Astyanax, sic

ſic apud Sophoclem infans Euryſaces, cui Aiax: „ O nate, dixit, patre fortunatior ſis, cetera vero ſimilis! nunc certe longe es me beatior, quippe qui haec nondum ſentias mala." Ceterum ubique occurrunt patres, qui aut pro filiis ipſi mortem oppetere cupiunt (45), aut in miſerrima ipſi fortuna verſantes liberorum tamen magis, quam ſui miſerentur (46). Sed ſatis est unum nominasſe Agamemnonem, qui gloriam etiam ſuam negligere voluit, ut filiam retineret (47), nec niſi ab hominibus Diisque coactus, filiam Dianae immolavit. Itaque procedit ad aram Iphigenia; ſtant obſtupefacti animis milites omnes, defixi in terram haerent oculi omnium. Quid vero pater? In lacrymas prae dolore erumpit, et vultum avertens, oculos veste tegit (48). Qui locus omni aevo celebratisſimus olim fuit pictura expresſus a Timanthe, qui hanc maxime ob cauſſam laudatur ab omnibus (49).

Neque minus omni aetate et celebria fuerunt et erunt ſemper, quae exſtant apud antiquos exempla caritatis maternae. Hanc enim caritatem in omnibus ſectantur veteres, hanc in mediis pugnis memorat Homerus, hanc laudat Virgilius, hanc ad ſacra adeo retulerunt antiqui (50). Apud tragicos autem ubique adſunt matres; nullae vero occurrunt, quin libero-

rorum maximo teneantur amore. Deïanira adeo, cum videret infelicem quandam puellam, cogitat ſtatim liberos ſuos et exclamat: „ O Iupiter! avertas istiusmodi mala a prole mea carisſima, aut certe antea me interimas, ne mater liberorum adſpiciam calamitatem"! (51) Sed nihil potest ad caritatis ſenſum cogitari pulcrius, quam Clytemnestrae ſpectaculum, quae descendens e curru: „ Accipite, inquit, hunc puerum Orestem, est enim infans. — Mi fili! dormis vectatione conſopitus. Expergiscere feliciter ad nuptias ſororis conſpiciendas"! (52) Cuius ſororem cum cognovisſet mater non nuptiis, ſed morti esſe destinatam: „ O quam, inquit, lugebo in aedibus, cum huius adſpiciam ſedes vacuas! Lacrymans tunc ſedebo ſola, lugens ſemper istam" (53). Cuius rei ſimile cum accidisſet Eurydicae, ut filius moreretur, nec lamentata mater est, nec lacrymas fudit; ſed tacita, terribilique ſilentio, abiit, et atrocia peragens, in morte ſaltem ad filium voluit redire (54).

Ceterum, mi Luci! innumera harum caritatum et ſenſuum praeſtantiorum omnium exempla occurrunt apud tragicos, quorum pauca tantum, quae memineram, enumeravi. Quae pauca, etiamſi ſola esſent in tragoediis, miraremur tamen et amaremus poëtas. Nunc contra, uti

his

his ſenſibus noſtra nunc plena fuit oratio, ita iisdem refertae ſunt tragoediae omnes, et ab initio ad finem usque plenisſimae. Nam in initio tragoediarum delector equidem ſemper nativa ista ſpectaculorum ſimplicitate, qua plerumque primo theatri intuitu aut matres ſupplices apparent, aut infelices cum liberis patres, aut cum miſeris fratribus ſorores, aut infortunati cum amicis amici (55). Ex qua re, Luci! patet, ni fallor, tota nobis ratio tragoediae Graecae, in qua non ita politica ratio habetur, ut in plurimis recentiorum carminibus, ſed unice fere res familiarum aguntur, narranturque aut controverſiae cognatorum, aut calamitates et pericula propinquorum. Itaque infelix Oedipus oculis privatus filiaeque innixus humeris, non tam antiqui regis, quam infelicis patris imaginem refert (56). Sed et Agamemnon et Clytemnestra et Polynices et Antigone, et qui apud tragicos occurrunt omnes, non tam regis, aut reginae, aut herois, aut principis alicuius matronae rem agunt, quam potius et patris, et matris, et filii, et fratris, et ſororis exprimunt ſenſus et affectus acerrimos (57). Illa enim iuvenili Graecorum aetate et in ipſo naturae vigore, nec viros principes etiam pudebat, naturae ſenſibus obedire, et patris matrisque nominibus gloriari. Quare etiam nulla in heroibus est excelſitas, nul-

nulla animi elatio, aut quid istiusmodi, quod ſolent vulgo mirari. Homines ſunt, humani nihil a ſe alienum putant. Nam illi ipſi, qui pro ſuis mortem oppetunt, quod est maxime admirabile, amabiles tamen magis quam admirabiles videntur. Moriuntur enim, non ut fortitudinem ſuam ostendant, ſed ut amicis carisve hominibus proſint, neque animi quandam granditatem prae ſe ferunt, ſed lacrymantes ſubinde mortem oppetunt. Sic Alcestis pro coniuge moriens: „ O qualem, inquit, viam ego miſerrima ingredior; o liberi, o liberi! non amplius iam vestra mater ſuperest!" (58) Sed tantum abest, ut heroës tragici ſenſibus elati ſint atque grandes, ut contra hilares videantur et levisſimi. Ludunt adeo ſubinde et irrident aliis (59); ſuntque ipſi non tam conſtantes moribus, ſed iuvenili feruntur alacritate. Ipſe etiam Agamemnon ter reſignat literas ad uxorem dandas, ter ſignatas easdem reſolvit, mentis ipſe ſuae in ſumma levitate non compos (60). Sed mirari ſubeat, quanta ſit in foeminis apud tragicos astutia et vero puellaris quaedam calliditas (61). In viris autem inconſiderantia quaedam obſervatur, et iuvenilis levitas, et omnino, quod aiunt Graeci, *νεαρόν τι καὶ μειρακιῶδες*. Itaque cum vellet Agamemnon exercitum clam domum remittere, ſed Calchantem metueret: „ Hic enim, ait, Deorum

rum voluntatem populo aperiet": „ Non aperiet, inquit Menelaus, si antea occidatur, hoc autem facile est" (62). Sed cum hac summa levitate quaedam coniuncta est iuvenilis amabilitas, quam idem ille Menelaus ostendit. Nam cum nollet Agamemnon filiam immolare Dianae, ille iratus gravissime in fratrem invehitur; at idem postea videns fratrem lacrymantem et de filiae adventantis sorte lugentem, lacrymas ipse fundit, et continuo fratris misertus, ad ipsum accedit, et, „ Frater, inquit, porrige mihi dextram;" atque dein Agamemnoni favet, tanquam fratri amantissimus frater (63). Est autem praeterea tam candida omnium simplicitas, ut dicas te non principes viros audire loquentes, sed confabulantes hominum simplicissimos humillimosque. Quod ut in sermonibus omnium elucet, iis etiam, quos antea enumeravi; ita maxime patet in comparationibus, quibus omnes ubique utuntur, simplicissimis. Et iam video, te mihi assentiri; meministi nunc illius elegantissimae comparationis, qua patrem lugens Electra cycno canenti se vocabat similem, aut qua Antigone volucris instar ad fratrem avolare se velle dicebat. Quid vero simplicius unquam esse potest, quam quod matres gallinis se comparare solent quae pullos suos alis obtegunt? (64). Sed nusquam equidem magis amabilem istam simplicita-

ta-

tatem fui admiratus, quam in fermone quo Iphigenia patrem fupplex orat, ne morti ipfam tradat (65): „ Prima, inquit, ego te patrem appellavi, primam tu me filiam appellasti, dum equidem haerebam ad tua genua; nunc vero vis me occidere? Sed largire mihi tuum adfpectum, et da filiae osculum, ut hoc faltem de te habeam." Et postea parvulum quem manu gestabat Orestem allocuta: „ Tu, inquit, parvulus quidem es; fed fupplica tamen patri lacrymans, ne tuam fororem occidat. Ecce, o pater! tacens iste fupplicat tibi; quare miferere fupplicum duorum carisfimorum." — Quae omnia fi forte tibi videntur praeter tragoediae dignitatem esfe dicta; fcito hanc ipfam esfe tragoediae Graecae rationem, qua nihil fimplicius, nihil magis ad naturam exactum esfe potest. Caveamus vero ne recentiorum poëtarum gravitatem ad antiquos tragicos transferamus. Illi enim dignitatem quamdam heroibus fuis tribuerunt gravitatemque conciliarunt toti tragoediae, quae fi maturiori aetati convenit, pullulanti primum Graecorum ingenio iuvenilique eorum levitati et alacritati minime erat confentanea. Ego vero hanc levitatem et naturae fimplicitatem in Graecis magis, quam in recentioribus gravitatem illam, diligo et, nescio quare, amo magnopere. Nifi forte haec causfa fit, quod ipfe iuvenis iuvenilibus ftudiis

ducor etiamnunc. Sed, ut vera dicam, mihi videtur quidam fructibus recens carptis adesse sapor et ipsius naturae flos, quem postea neque aromata, neque ullum arte paratum condimentum illis aut restituere potest amissum, aut compensare absentem. Itaque in recentioribus etiam illam naturae iucunditatem desidero suavitatemque, quam nec condimentum ullum gravitatis afferre potest, nec fucata dignitas (66). Sed finem nunc aliquando faciam dicendi; vereor enim ne molestus tibi sim: quamquam nihil adhuc dixi de toto tragoediarum habitu, et de misericordiae sensu atque terroris, qui per totam fabularum constitutionem est diffusus. Nam cum breviter dicere constituissem, pulcerrimorum carminum recordatione abreptum, longiorem me factum esse sentio.

L. Perge vero, Marce! Istam enim culpam, quam vereris, ego praestabo, et feceris mihi gratum admodum, si exposueris, quomodo putes delectationem oriri ex misericordiae sensu atque terroris.

M. Haec vero, Luci! percipiantur facile legendo; dicendo explicari vix possunt. Dicam tamen, quid sentiam; tuam enim auctoritatem negligere fas mihi non est. Itaque primum illud respondeo, non videri mihi antiquos tragicos illud sibi proposuisse, ut misericordia atque

ter-

terrore delectarent (67). Mihi ſaltem, nescio quomodo, ridiculum videtur, dolore voluptatem hominibus, et delectationem afferri terrore. Nam pueris admoveas terriculamenta; ſtatim claudent oculos prae dolore, et, ſi posſint, aufugient: iidemque parvuli, ſi videant plorare matrem, non delectabuntur, ſed plorabunt. Neque his tamen adeo disſimiles mihi videntur provectioris aetatis homines, ut, quod illis dolorem, his idem delectationem afferat.

L. Quid igitur? nonne comoedia riſu, tragoedia luctu delectat?

M. Neque in comoedia videtur mihi adeo delectare ipſe riſus; nam etiamſi cachinnum extollat histrio, tamen aliquando non placeat. Sed in comoedia delectant ea maxime, quae cum agant homines, ridiculi apparent et ridentur a ceteris perſonis atque a ſpectatoribus: quae ſunt vitia quaedam leviora et quidquid deridendum quis fecerit aut reprehendendum. Et pariter in tragoedia delectant nos illi ipſi caritatis pietatisque ſenſus, quibus dum adverſatur fortuna, lugendi ſunt homines et lugentur ab omnibus, cum in theatro, tum maxime in cavea. Itaque quo magis hi ipſi ſenſus, quos modo memoravi, elucerent, ideo mihi videntur antiqui illam fortunae obſcuritatem pinxisſe. Etenim ſi quis luminis alicuius pulchritudinem tibi osten-

dere velit, non ostendat hanc profecto media ſolis luce, ſed in tenebris; nonne? *L.* Videtur. *M.* Sed ſi quis tibi adſtet in obſcuro isto loco, neque attendat luminum pulcritudinem, ſed dicat: o bone! quam pulcrae ſunt hae tenebrae, in quibus verſamur! quid illi reſpondeas? *L.* Mirum profecto esſe hominem dicam et ridiculum. *M.* At vero *amicus certus in re incerta cernitur*, et omnino ſenſuum virtutumque lumina ſplendent maxime in media quadam velut nocte calamitatum. Si quis ergo illa videns tibi dicat: o optime! quam delectat me illa calamitatum denſa caligo! quid ipſi dicas? *L.* Cepisti me, Marce! ut ſolent matres puerulos allicere ſplendidis quibusdam negotiis et nitentibus. *M.* Tu itaque ſic existima, mi Luci! tragicos Graecos, ſenſibus istis plenisſimos, et pulcri moralis amatores, ex antiquis fabulis elegisſe ſemper illustrium virorum calamitates fortunasque eas, in quibus ſe exhiberent eximie affectus omnes praeclariores (68). Unde etiam patet, quare tragoediae Graecae non ſemper lugubrem exitum habeant (69). Neque enim hoc erat propoſitum, ut lugerent ſpectatores. Sed quo magis v. c. eluceret materna caritas, pingebant matris filium aut mortuum, aut in mortis etiam periculo verſantem, postea vero ex eodem liberatum: aut Iphigeniam effingebant,

Dia-

Dianae facrificandam: quo magis appareret Agamemnonis patris caritas. Nolo tamen negare inter recentiorum gentium tragicos fuisse, qui fortunae adverfitatem pingerent, tanquam vitiorum quorumdam aut criminum poenam (70). Fuerunt etiam, qui heroës fuos in maximis calamitatibus proponerent, quo magis illi aut veram patientiam aut alias excelliores virtutes proderent (71). Sed hoc ipfo a recentioribus maxime differunt Graeci, in quorum tragoediis ubique velut in denfisfimis fortunae tenebris fenfus elucent et affectus omnes praeftantiores, neque acri fed leni quodam fuavique lumine nitent. Sed, ut dixi, haec percipiantur melius legendo. Nam quo magis lectitandis tragoediis animus calamitatum luctusque vehementia commovetur, agitur, quasfatur; eo quoque iucundiorem quietem ferenitatemque et tranquillitatem affert fenfuum perceptio et affectuum praeftantisfimorem, pietatis, amicitiae, caritatisque; quam fi attendas in matre fupplici, aut moesto patre, in forore lugente, aut lacrymante fratre, in filio denique, aut filia, aut amico, aut cive, aut humanisfimo viro: hos profecto diligas, cum his idem fentias, et, fi unquam, tum profecto ipfam ames virtutem, tanquam rerum omnium pulcerrimam, et in homine mortali divinam! Quid tibi videtur, Luci! nonne pulcra

est

est haec tragica Graecorum Musa? *L.* Pulcerrima. *M.* Sed nescio quomodo mihi nunc, quod somniantibus accidere solet, imago oblata est. Neque tamen cum pervenerimus ad viae terminum, ante nobis discedendum, quam omnia rite circumspexerimus. *L.* Minime vero, non discedendum. *M.* Itaque huc accede. Nam cum antea Musas invocaverim, nunc ipsam tragicam Graecorum Musam videre mihi videor. *L.* Sequor, dic modo. *M.* Mirabiliter me illa tenet formae decore et venustate. Plena sunt omnia dignitatis, sed gratiae simul ac suavitatis. Produnt oculi intimos sensus caritatis, amicitiae, pietatis, misericordiae: ducitur honesti iustique ardore: spirat acerrimum virtutis studium; placet autem in primis pudoris significatione et ingenua quadam et puellari prorsus amabilitate. Ut vero solent puellae illud spectare unice, quomodo possint eam, quam a natura acceperunt, pulcritudinem magis etiam ostendere: ita haec quoque lugubria omnia quaerit, quo magis et alat sensus suos, et eorumdem vim prodere queat. Progreditur igitur δι' ἐλέου καὶ φόβου (72), et sensus suos omnes lugendo lacrymandoque effundit. Et vero his ipsis luctibus lacrymisque pulcrior etiam evadit, et leni lamentantis voce totam se in hominum animos insinuat. Quare, si quis huius pulcerrimae Musae

ſae tanto amore capiatur, ut alias etiam Muſas aliquantum negligat; cum hoc equidem aut peccare velim aut certe facile ipſi ignoscam! *L.* Tibi vero equidem ignoscere nullus dubito; ſunt haec enim ita a te dicta, ut paene iam diu te dimiſisſem; niſi tanta ſciendi cupiditate me incendisſes, ut aliud quid etiam ex te audire cupiam. *M.* Quid istud? *L.* Gratisſimum mihi feceris, ſi illud etiam explices, unde chori illi in antiqua tragoedia orti tibi esſe videantur. *M.* Itaque haec paulo postea, ſi tibi ita videbitur, dicemus. Nunc enim tibi erit exeundum navi; nam, ut vides, partem iam aliquam itineris nostri peregimus. Mihi vero, cum causſam nondum totam dixerim, ex lege a te impoſita, egredi hac navi nondum licet. *L.* Sed per me tibi nunc licet, ea conditione, ut et redeas huc mecum, et dein, quae promiſisti, perficias. *M.* Itaque exeamus.



Mar-

Marcus. Speraveram equidem me iam satis dixisse; sed, quoniam ita cupis, dicam: nam cum navim ingressi simus, navigandum est. Itaque

— *fortunam sequamur,*
Quoque vocat, vertamus iter;

quamquam nunc non Aeoli cuiusdam impetu agimur; sed quid refert, a quo cogar? cogor nunc certe: studiis enim amicorum nefas sit obsistere.

Diximus autem modo de interna ratione tragoediae Graecae; nunc quaeris de externa eius conditione et de choro, et de vi musices, unde illa in tragoediis exstiterint. Quod quidem optime, ut mihi videtur, tibi aperiam, si historiam ipsius tragoediae tibi enarrem. Sic enim statuo: tragoediam Graecam, e choro oriundam, musicum semper fuisse spectaculum. Sicci-

cine tibi quoque videtur? *L.* Non repugno equidem; attamen vaticinio opus sit, ut haec rite intelligam. *M.* Dicam igitur pluribus. Uti enim pueri cum primum adoleverint, prae vigore neque corpore nec voce quiescere possunt: pariter antiquissima iam aetate populi incultiores etiam, omnium vero maxime Graeci, natura sua ad cantum et saltationem proni erant. Apud Graecos autem, uti fere apud ceteras gentes, laetissimis quibusque anni temporibus solebant Diis sacrificare praestantissima quaeque de frugibus pecudibusve, gratum illis animum significantes, et, ut pueri parentibus, sic illi Diis rerum omnium primitias offerentes (1). In quibus adeo sacris omnium se explicabant animi, ingenia acuebantur, et qui aderant omnes canebant, saltabant, choros ducebant. Erant autem apud Graecos ea festa laetissima, quibus fruges horreis condebantur et colligebantur uvae. Itaque Bacchi festa omnium maxime hilaria erant saltationibus chorisque: in quibus cum adessent qui sponte sua versus funderent et canerent ex tempore, inde musica primum certamina exstiterunt, deinceps vero et tragoediae et comoediae. Hae enim, ut ipsa indicant nomina, primis temporibus fuerunt odae in pagis cantatae, quarum praemium victoribus erat hircus

cus (2). Pro diverſis autem hominum moribus diverſa exſtitit poëſis. Nobiliores enim quique honestas imitabantur actiones, ceteri malas ridebant; hi vituperationes faciebant, ut illi hymnos et encomia (3). Unde orta ſunt dithyrambica in honorem Deorum heroumque cantata, itemque phallica ad perſtringendos hominum mores compoſita, quae cum olim mixta esſent et una canerentur, postea tamen viliora haec carmina in festis maxime rusticis, quae Διονύσια μικρὰ vocabantur, cani ſolebant (4); nobiliora vero illa in urbibus et Διονυσίοις μεγάλοις. Uti autem ex rusticis illis et vulgo aptis phallicis comoedia, ita tragoedia vere ſic dicta exſtitit e dithyrambis, Deorumque et heroum celebratione (5). Ex qua tragoediae comoediaeque antiquitate, ut hoc obiter etiam attingam, facile patet, quare tanta in his carminibus habeatur Deorum maniumque et oraculorum ratio, quanta unice ex antiqua illa hominum ſimplicitate, et rerum mirabilium conſectatione poterat oriri. Sed haec obiter: redeamus ad tragoediae originem, quae, ut dixi, e festis Bacchicis est repetenda.

Est vero difficilius perſpicere, quo modo ex illis choris exſistere potuerit tragoedia, quae videatur facilius oriri potuisſe ex carmine epico,

eo, cuius narrationes et facta imitatur (6). Sed primum obſervo, alias esſe recentiorum tragoedias, quae, demtis choris, totae ad rationem historicam fuere compoſitae, alias antiquorum, in quibus chori ſemper maximae fuere partes, quaeque in multis poëſeos lyricae rationem refert. Deinde vero in illis festis Bacchicis, ut in ceteris Graecorum ſacris, ne quaeſo existimes Deorum tantum laudes fuisſe cantatas celebratumque cultum. Nam et Bacchi victoriae canebantur, et res illius gestae, et quidquid aut Bacchi auxilio perfecerant heroës, aut contra eum peccaverant principes viri (7). Itaque procedente deinceps tempore, quorumcumque heroum celebrabantur facinora, quae aut parvam ſaepe, aut nullam cum festis Bacchicis habebant coniunctionem (8). Quod cum esſet uſu receptum, postea magis etiam invaluit, cum incresceret ſenſim in Graecis pulcri moralis amor. Tunc enim, uti antea diximus, poëtae illa maxime ex historiis fabulisque deſumſerunt, quae esſent huic morali pulcritudini conſentanea, res gestas fataque heroum, in quibus cernerentur praecipue ſenſus hominum morales et ſtudia quaeque excelſiora. Itaque illud iam tenemus, quomodo e choris Bacchicis exſtiterint eiusmodi carmina, in quibus ſenſus quique praeclariores, in

in heroum facinoribus expresſi, referantur, et ab ipſo choro ceterisque histrionibus, huic postea additis, celebrentur. Nonne hoc iam perſpicimus? *L.* Perſpicimus omnino. *M.* At vero quomodo tandem e choro orta est dramatica illa ratio, quae obtinet in tragoediis? *L.* Et hoc equidem lubenter ex te audiam.

M. Itaque lingua faveto. Dicam enim nunc de interiore ſacrorum Graecorum ratione, et, quod a me petiisti, vaticinium dabo, ut intelligas, quomodo orta ſit tragoedia. Habebant enim Graecorum ſacra fere omnia hanc rationem, ut aut Deorum aut heroum quorumdam in illis effigies exhiberetur, quorum imitando exprimebantur voces atque habitus totus. In initiis Eleuſiniis effingebatur Ceres, filiam ipſa ſuam quaerens, et cum luctu et lamentatione oberrans, ut hanc dilectisſimam recuperaret, quam rapuerat Pluto (9). In Adonidis festis effingebatur ipſe ille pulcerrimus iuvenis, quem lamentis mortuum proſequebatur infelix Venus (10). Neque dubitandum, quin in mysteriis etiam initiati eiusmodi ſibi viderent oblata ſpectacula, quibus ipſi et ad vivendi laetitiam et ad ſpem immortalitatis erigerentur (11). In Bacchi quoque festis aderant Satyri ceterique

hu-

huius Dei comites. Sed quod omnium maxime est attendendum, memorat Homerus, in festis Apollinis fuisse chorum aliquem virginum, quae, antiquorum virorum et mulierum fata narrantes, horum voces ita cantando imitarentur, ut unusquisque eorum putasset se loqui (12). Et omnino in Graecis mira haec fuisse ars videtur, ut omnia canentes saltantesque simul possent imitari, et, quod ipsi dicere solebant, προσποιεῖσθαι. Itaque ut nostri saepe pueri concionis sacrae rationem imitantes delectantur maximopere; sic apud Aristophanem chorus habetur mulierum, quae cantando saltandoque tota Atheniensium virorum comitia imitantur (13). Et vero mira quaedam vis est, eaque minime negligenda, imitationis in animos hominum, praesertim puerorum. Quid enim initio aut didicimus, aut fecimus, nisi, quod parentes vel nutrices aut dicerent aut agerent, imitati? Immo vero ad virtutem nihil valet magis, quam parentum proborum exemplum et magistrorum virtus, quam primum imitantes pueri, postea facile colent sua sponte cum ad rationis usum pervenerint (14). Itaque optima quaeque ex animis iuvenum prolicere mihi videtur imitatio, et velut illis obstetricari. Et profecto, nisi timerem, ne me rideres, dixerim equidem imitationem esse quamdam ingeniorum obstetricem.

L.

L. Non male dicis. *M.* Quid igitur? Diximus antea poëtarum tragicorum animos ſenſibus moralibus fuiſſe pleniſſimos et velut praegnantes. Quo autem magis contemplandis antiquorum heroum fatis iſtos ſenſus alebant, eo magis velut parturire coeperunt eorum ingenia. Cum igitur acceſſiſſet etiam imitatio, haec effecit ut parerent iſtiusmodi tragoediam, in qua hi ipſi ſenſus proderentur prorſus naturales, et ab ipſis eorum perſonis expreſſi. Quod cum mirifice placeret, cetera etiam, quae antea a choro narrabantur, partim certe ipſis tribuerunt perſonis, unde tragoedia exſtitit paene tota dramatica.

Age vero, mi Luci! haec, quae iam diximus, et, ſi quae alia reſtant dicenda, colligentes videamus, qualis ex quali choro orta ſit tragoedia Graeca.

Chorus itaque huius fere modi fuiſſe videtur. Prodibat una quaedam cantantium turba, in varias partes ſe diſtribuens, quae aut ſeparatim et per vices, aut coniunctim canebant atque ſaltabant (15). Primum Deos celebrabant, tum vero etiam heroum antiquorum atque mulierum fata et res geſtas memorantes, hymnum canebant: et inter eos qui fabulam narrabant erant, qui ipſorum hominum antiquorum vocem habitumque totum ita imitarentur, ut illi ipſi viderentur

rentur et loqui et agere (16). Quod quidem quomodo fieri potuerit in medio cantu et saltatione, intelligitur cum ex iis quae de imitatione iam diximus, tum etiam ex tota ratione saltationis Graecae, cuius exemplum me aliquando videre memini in ea, quae dicebatur saltatio sementaria. Etenim agricola aliquis, armis indutus, prodit; haec primum deponit, ac boves iunctos agens, sementem facit, seque frequentissime convertit, quasi sibi metuat. Accedit ad eum praedo; quo viso, ille arma corripit, praedoni occurrit, ante iugum dimicat, praedonemque subactum abigit iugo. Quae omnia ad tibiae numeros perficiebantur saltando (17). Itaque tres artes coniunctim in choro cernebantur, saltatio, musica et poësis. Saltationis, quatenus imitando valebat, vis maxima erat in heroum habitu et ratione tota effingenda, musica una cum saltationis alacritate vigebat in Deorum heroumque celebratione, poësis vero et in hac excellebat et praesertim in narrationibus ipsisque fabulis referendis, ita tamen ut semper in omnibus et poësis haberetur et musica et saltatio.

Ex tali igitur choro exstitit tragoedia, cuius speciem ut rite nobis informemus, dicendum sic videtur. Solebat aut statim aut post prologum prodire chorus, in anterioribus theatri par-

ti-

tibus ſaltans et per vices canens in heroum honorem atque Deorum. Accedebant alii histriones aut fabulam aliquam narrantes, aut hominum mores habitumque imitantes, ut ipſi illi viderentur adesſe. Iterum et repetitis vicibus canebat chorus, ſemper in ſcena verſans: iterumque prodibant histriones, ſenſus ſuos per cantum ſaepe et ſaltationem exprimentes, aut etiam fata ſua narrantes. Unde videmus in externa ratione eatenus tantum diverſam esſe tragoediam ab antiquo illo choro, quod cum antea nonnullae ex ipſo choro perſonae et res gestas narrarent et ipſorum hominum rationem imitarentur, postea hoc factum fere ſit ab aliis histrionibus choro additis et velut inſuper adiectis (18). Etenim, ut in choro, ita in posteriori etiam tragoedia tres illae artes coniunctae ſemper manſerunt, poëſis, muſica et ſaltatio, quarum ultima vim ſuam imitandi exercuit praeſertim in iis locis, ubi perſonae ſenſus ſuos atque affectus exprimebant: muſica autem et rythmus in choris maxime viguerunt, et in lugubri cantu eorum, qui ſenſus ſuos velut effundebant cantando: poëſis autem et in choris paene lyrica fuit, et carminis heroici ornatum retulit in frequentisſimis histrionum narrationibus. Neque enim ipſae res gestae et actiones apud antiquos oculis ſubiiciuntur in ſcena. Quod ſi

re-

requiras, desideres profecto saepe eam actionis vim, quae in nonnullis cernitur recentioribus, qui res, quales acciderant, in scena effingere maluerunt et historicam earum effigiem dare spectatoribus (19). Antiqui vero, a cantu et saltatione profecti, maluerunt ipsos homines, eorumque et habitum et vocem imitari; res et fata eorum narrationibus complecti solebant. Quod quomodo factum sit, intelligitur cum ex antiquo illo choro, tum ex universa sacrorum apud Graecos ratione, in quibus non tam rerum ipsarum spectacula praeberi solebant, quam potius Deorum heroumque effigies informari. Quae omnia cum ita sint, affirmare equidem non dubito, antiquam tragoediam, e choro oriundam, huius rationem semper retinuisse, atque adeo spectaculum fuisse musicum. Neque hoc profecto mirum cuiquam videri potest: nam cum Graeci musicam amarent magnopere, hanc quoque rationem spiravit tragica illorum Musa. Haec enim, quem in internis animi sensibus habet vigorem, eumdem quoque referens in externa ratione modoque, quo sensus suos et affectus omnes exprimit, canit semper atque saltat, et puellari quadam alacritate placet. Quare recte mihi videntur Graeci, ut ceteris Diis, ita quoque huic Musae perpetuam tribuisse iuventutem.

L. Non repugno equidem. Tu vero nunc mihi videris a Musa quadam divino spiritu inflari et omnino poëtice loqueris. Et ut olim ex Iovis cerebro tota armata prodiit Minerva, ita nunc ex tuo capite nata est haecce puella, quae, cum primum orta est, iam canit et saltat. *M.* Ipse vero hoc a me petiisti, ut tragicam Graecorum Musam laudarem. Hac vero missa, videamus, quanam usi sint institutione poëtae tragici et velut educatione ad poësin. *L.* Quanam igitur illa? *M.* Vere, ut mihi videtur, Platonica. *L.* Sed quae tandem illa est, et qualem mihi narras tragicorum educationem? *M.* Dicebat Plato puerorum institutionem peragi debere cum musica, tum gymnastica; gymnasticam autem contineri corporis motibus, qui pulcerrimi sunt in saltatione (20), utramque vero et saltationem et musicam ad chorum pertinere (21). Hac igitur ratione, quae prorsus Graeca erat, imbuti sunt tragici Graeci spectandis saepissime et audiendis chororum saltibus atque cantibus. Illi autem sensibus internis exprimendis delectabantur maxime, quos cum alio quodam poëseos genere exprimere potuissent, factum est hac eorum per musicam institutione et hoc ipso cantus saltationisque studio, ut chororum rationem sequerentur, chorosque in scenam

nam traducerent. Fuerunt enim tragoediae Graecae musica certamina, in festis Bacchicis instituta, in quibus qui arte musica et chori ratione praestitisset, is palmam et victoriam reportabat coram Graecis omnibus (22). Unde intelligis chori semper maximam habitam esse rationem, et tragoedias Graecas non historica aut poëtica fuisse spectacula, sed vere musica.

Age vero, Luci! si tibi ita placet, videamus, quid singulis illis Graecorum tragicis proprium fuerit et peculiare. Etenim sic demum cognoverimus, quae fuerit universa ratio tragoediae Graecae, quae contra peculiaris Aeschyli, Sophoclis, Euripidis. Nam ut hi fuerunt diversi, ita quoque morum suorum diversitatem attulerunt ad scribendas tragoedias. Quae poëtarum diversitas probe distinguenda est ab universa ratione tragoediae Graecae. Itaque distinguamus; nonne? *L.* Distinguamus. *M.* Vidimus autem modo, tragoediam e dithyrambis exstitisse et iis chori cantibus, quibus Deorum heroumque facinora celebrabantur cantando, aut narrabantur, aut saepe etiam ipsi imitando effingebantur heroës. Itaque solus olim chorus totas agebat fabulas. Saepe autem unus e choro separatim canebat, aliquem sermone habituque referens heroum illorum, quorum historiam celebrabat totus chorus (23); quod cum vidis-

ſet Thespis probasſetque, unum deinceps ſemper histrionem choro addidit, qui principis alicuius viri aut historiam narraret, aut ipſam illius perſonam imitando exprimeret. Cui alterum etiam histrionem addidit Aeſchylus, tertium postea Sophocles. Unde et diverbia exſtiterunt, et cetera colloquia extra chorum. Quae colloquia, chori cantibus inserta, postea ita excreverunt, ut parem aut maiorem ſubinde haberent magnitudinem, quam ipſa chori carmina. Simul autem chorus, qui antea quinquaginta adeo histrionibus conſtabat, deinceps ad duodecim aut quindecim histrionum numerum decrevit (24). Procedente igitur tempore in iis colloquiis uſurpari coeptum est metrum iambicum, diverbiis aptisſimum; ita tamen, ut hi ipſi histrionum ſermones chori fere rationem retinerent; nam et ipſa colloquia variis identidem et aliis praeter iambicum metris distincta ſunt, et ſaepe aut cum choro colloquuntur, aut ſine eo canunt et ſaltant ceteri histriones, et contra chorus etiam aut res quasdam enarrat, aut agit, atque partes ſuas habet in ratione dramatica. Unde patet Graecorum tragoedias prorſus alias esſe ac recentiorum dramata, in quibus, praeter metrum et poëticam verſuum rationem, nihil magnopere est, quod communis vitae rationem excedat. Itaque, quod in his maximum aut paene ſo-

lum

lum esse solet, colloquium, in illis pars quaedam est, et accessit ad chorum, eique auxiliati sunt histriones, in iis praesertim, quae narrando imitandoque olim perficiebat solus chorus. Praeterea hae ipsae aut narrationes aut collocutiones non tam communis vitae sermones referunt, sed et magis poëticae sunt, et cum musica coniunguntur et saltatione: nam, ut dixi, his saepe utuntur histriones. Subinde vero in diverbiis minor habetur cantus saltationisque ratio; sed ita quoque necesse mihi videtur statuere, antiquissimum chorum nonnulla leniori quodam cantus genere perfecisse; nam si quaedam heroum gravia facinora essent narranda, aut ipsorum mores exprimendi imitatione, graviori quodam et magis sedato cantu et saltatione haec peragi debuerunt. Sed vel sic tamen in tragoediis nunquam deërat musica; etenim versus canebantur semper ad instrumentorum pulsationem (25). Et vero ea ipsa histrionum actio et corporis motus in Graecorum scena propius accessisse mihi videtur ad saltationem et cantum, quam nostra illa, quae dicitur, *declamatio.* Etenim cum universe Graeci Romanique in sensibus suis significandis alacriores fuisse videantur: cumque eorum oratores, quibus vestigiis primum institerant, in iisdem non semper solerent perorare, sed haberetur in illis et incessus sive inambulatio, et supplosio pedum,

et

et manuum humerorumque et laterum maximus motus et totius corporis, ut adeo in summa contentione terram genu tangerent (26): cumque iidem oculis, vultu, gestu ita nonnumquam agerent, ut inimici lacrymas tenere non possent (27): cum talis fuerit actio in oratoribus, minor tamen et moderatior, quam in histrionibus (28); quidni dicemus histrionum actionem, ad musicae modos exactam (29), vehementiorem semper fuisse et quamdam veram saltationem: quam adeo moderabatur atque docebat idem ille chori princeps, qui lasciviori chororum saltationi praeërat (30). Itaque quidquid tandem in tragoediae forma mutatum sit, mansit illa semper spectaculum musicum, poësin, musicam et saltationem continens. Quae tres artes, uti apud Graecos sororum instar coniunctae semper fuerunt (31), ita vim suam omnium maxime ostenderunt in tragoedia. Videtur autem mihi saltatio quaedam esse adspectabilis musica. Habet enim, uti haec, harmoniam gratiamque suam, et valet pariter ad exprimendos declarandosque hominum sensus (32): poësis vero aut ipsa ad musicam pertinet, aut, quod haec sonis atque harmonia perficit, idem poësis vocibus peragere studet, ut intimos animi sensus aperiat. Quam ipsam sensuum significationem cum sibi maxime haberet propositam tragoedia, his certe tri-

tribus artibus et placuit egregie, et vero nomine musica dici potuit. In qua musica ratione non dissimilis fuit tragoedia Graeca recentiorum spectaculis, quae *Opera* vocantur, aut iis quae a cantu *Melodramatum* nomen accepere (33). Nam, ut vere dicam, mihi videtur lugubre quoddam et sensu plenissimum spectaculum musicum (34). Quid autem harum trium artium, poëseos, musicae saltationisque coniunctione atque harmonia pulcrius, quid ad sensum movendum efficacius excogitari potuit? aut quid amabile magis tragoedia, quae harum trium artium tanquam Gratiarum comitatu gaudebat? — Sed video me nunc prorsus, *qua vocabat fortuna*, *secutum*. Abreptus enim velut Sirenum quarumdam cantu, sic musicae suavitate, aberravi prorsus et ab itinere deflexi. Accedamus igitur nunc continuo ad Aeschylum.

Solet fere in gentibus animorum vigor belli primum, postea pacis artibus sese exserere. Itaque apud Graecos cum in bello Persico animorum vis se prodidisset, statim postea miro ardore se ad literarum studia artiumque applicuerunt ingenia: ex quo intelligitur, quomodo potuerit tam brevi tempore ad perfectionem perduci tragoedia Graeca. Ipse adeo Aeschylus et bello interfuit et fortissimum se praestitit. Hinc ergo rerum bellicarum studium in ipsius tragoediis per-

perſpicuum, hinc illa exſtitit perſonarum omnium fortitudo, hinc iſta magniloquentia et ſtili ſublimitas lyrica ſaepe ac vere Pindarica. Nam et huius Pindari celebratisſima ſublimitas ex eo ipſo animorum ardore exſtitisſe mihi videtur, qui erat illo tempore communis totius Graeciae. Illam autem verſuum ſublimitatem potuit Aeſchylus eo uſurpare facilius, quo erat illo tempore tragoedia origini ſuae propior, minusque remota a dithyramborum audacia, unde exſtiterat. Itaque chori etiam apud hunc longe maiores partes fuere, quam apud ſequentes tragicos (35). Aeque autem in choro atque in diverbiis phantaſiae vis maxima cernitur, et poëtica audacia prope Orientalis, et est omnino Aeſchylus tragicorum ποιητικώτατος (36). Quod vero dixi de perſonarum magniloquentia animique fortitudine, longe haec alia est, atque excelſitas illa heroumque gravitas in recentioribus tragoediis. Neque enim gravitatem ullam affectant, ſed ipſis naturae ſenſibus ſunt conſpicui heroës apud Aeſchylum. Nam ille Prometheus, qui est certe omnium fortisſimus, luget tamen de calamitatibus ſuis, neque pudet eum lamentari de ſuis miſeriis (37). Sed est illa heroum fortitudo apud Aeſchylum non tam ex indolis magnitudine profecta, quam potius ex ardore affectuum ſummoque, qualis illo tem-

po-

pore in Graecis erat, animorum fervore, ne dicam, effervescentia; quamobrem cum illa fortitudine coniuncta semper est quaedam naturae ratio (38). Pariter autem, in stili sublimitate maxima, mira quaedam est atque nativa simplicitas: cuius rei exemplum mihi forte succurrit e sermone puellarum hostes metuentium: „ Timemus, inquiunt, exercitum, uti serpentem pro pullis in nido iacentibus metuit infelix mater, sollicita columba" (39). Praeterea in Aeschyli dramatibus admirabilis quaedam est constitutionis simplicitas, qua nullis aut obiectis impedimentis, aut orta rerum conversione, cursu saepe suo profluunt omnia, sed rapido illo plerumque, et cum increscente paulatim sensuum ardore. Spirat vero in omnibus antiqui chori rationem, necdum ad perfectiorem dramatis artem pervenit (40).

Solebat apud Graecos musica coniuncta esse cum rebus bellicis atque militaribus. Celebrabatur adeo Hercules heroum fortissimus idem atque Musagetes. Hinc ergo intelligitur, quare saepius occurrant apud eos, qui et rebus bellicis praestiterunt, nec minus literarum inclaruerunt amore; nam uti Aeschylus, ita quoque Sophocles non minus vir bellicus fuit, quam tragicus poëta. — Improbabat Sophocles tria maxime in Aeschylo, scenae pompam et fastum ina-

inanem, tum etiam orationis magniloquentiam, denique ipsius fabulae rationem reddidit meliorem (41). Itaque cum antea Aeschylus scenam reperisset, eamque certo loco constituisset, actoribus etiam dedisset personas, vestitum decorum, atque cothurnum (42); Sopholes postea quidquid in iis inesse videretur inanis speciei, circumcidit. Qui idem sermonis sublimitatem dulcedine temperans, recedensque a dithyramborum audacia, ad Homeri magis et epicorum orationem accessit (43). Sed, quo maxime inclaruit Sophocles, hoc est: quod ipsius argumentum fabulae ad naturae veritatem descripsit, et actionem auxit, variamque reddidit (44). Qua in re, uti prae Aeschylo excelluit, ita superavit etiam Euripidem: quapropter ex antiquorum sententia hi maxime lecti, Sophocles spectatus placebat.

His fere temporibus immutari coepta est Graecorum musica, quod tribuendum ipsis Graecorum animis, qui uti post bella Persica fuerunt molliores, ita mollior quoque evasit musica. Cum igitur Aeschylus sermonis sublimitati consentientem musicam adhibuisset, Sophocles eamdem moderata magis ratione temperasset; Euripides novam illam molliorremque musicam traduxit in tragoediam (45). Atque ita tandem venimus ad eum, quem dixit Aristoteles esse τρα-

γι-

γλυκύτατον (46). Etenim quamvis Euripides in fabularum constitutione Sophocli cederet, tamen, quod erat maximum in tragoedia Graeca, sensibus affectibusque significandis ita Aeschylo non tantum, sed et Sophocli et ceteris tragicis omnibus praecelluit, ut merito tragicorum princeps haberetur.

Accessit Euripides ad tragoedias scribendas non e castris, sed ex Anaxagorae et Prodici schola. Hinc igitur eloquentiae vim incredibilem, hinc philosophiae amorem maximum hausit adduxitque in tragoediam ita, ut studio suo nonnunquam etiam praeter fabulae verisimilitudinem indulserit (47). Sed hinc quoque factum, ut singuli eius versus singulae fere sint sententiae. Sit igitur Sophocles diligentior, cum in describendo ad verisimilitudinem fabulae argumento, tum in accommodandis moribus ad personarum varietatem; habet quoque suas Euripides laudes, easque plane egregias: habet genus orationis propius accedens ad vitae consuetudinem, et hominum captum: habet sententiarum veritatem gravitatemque, ex sapientiae studio et civili prudentia: habet suavitatem, dulcedinem, elegantiam prorsus mirificam: habet eloquentiae vim incredibilem, ut, quamcunque personis tribuat orationem, ea probanda videatur: habet denique facultatem ad animi affectus admirabilem (48).

Quis

Quis igitur Aeschylum grandiloquentia et sublimitate, quis Sophoclem facundia et veritate, quis Euripidem ubertate et limato dicendi genere, quis eum admonitionis prudentia et sententiarum gravitate unquam assecutus est (49)? Itaque, quae solet esse in hominibus progrediendi ratio, quique maxime cernitur in artibus progressus, ut paulatim a sublimitate recedatur ad venustiorem illam pulcritudinem: idem observatur in tragoedia. Fuit sublimis Aeschylus, lenior Sophocles, dulcissimus omnium Euripides. Lubenter enim observare soleo in artibus ingenii humani rationem, viamque qua illud ad perfectionem progrediatur. Sunt autem tres maxime sensus in homine considerandi; nam et rerum sublimium sensus, et pulcri amor, et boni denique studium in hominibus elucent maximopere. Solet vero rerum sublimium amor praecedere pulcri venustique amorem. Etenim pueri appetunt praecipue quod magnum est, excelsum et grande; adolescentes vero amant magis quod venustum est et gratia sua placet. Et in artibus quoque architectura et statuaria apud Graecos praecessit *stilus* qui dicitur *sublimis*, quem dein secuta est ratio vere pulcra. Immo vero artium omnium et poëseos etiam apud Orientales propria fuit nota quaedam sublimitatis: in Graecorum poësi viguit magis pulcritudo, quippe quae

se-

ſeriori demum humani generis aetate ex provectiori hominum ingenio exſtiterit. Uti autem, comparatione cum Orientalibus inſtituta, univerſa Graecorum poëſis pulcritudinem magis refert, ita tamen in peculiari hoc genere poëſeos tragicae eundem curſum tenuit ingenium humanum. Etenim Sophocle ſublimior est Aeſchylus, omnium dulcisſimus est Euripides, qui idem boni ſenſu ductus maiori ſententiarum gravitatem ad tragoediam adduxit, et virtutis amorem, non per totam quidem fabularum conſtitutionem, ſed per verſus quosdam et perſonarum dicta, aluit atque incitavit. Uti ergo homo primum phantaſiae fervore abreptus ſublimia omnia et mira ſectatur, dein ad obſervandum aestimandumque ordinem converſus pulcrum magis amat, postremo ad boni quoque et iusti ſenſum excelſiorem convertitur: pariter fingendi ſublimitatem in Aeſchylo, ordinis pulcritudinem in Sophocle, virtutis amorem in Euripide admiramur. Quamquam tamen obſervandum est, haec tantum a me dici, comparatione inſtituta inter tres illos principes tragicos. Nam ſi cum Orientalium poëtis eosdem compares, in ipſo etiam Aeſchylo, ut in omnibus Graecorum poëtis, minor est ſublimitas, maior pulcritudinis ratio. Sin vero cum Homero et prioribus poëtis Graecis comparationem inſtituas trium ho-

rum

rum tragicorum, viget in his ſingulis, ut antea dixi, ſenſuum internorum omnium ſignificatio et pulcri moralis amor, qualis in illis nunquam fuit.

Itaque cum illa fuerit uniuscuiusque horum tragicorum propria et peculiaris ratio, redeamus nunc ad univerſam rationem tragoediae Graecae. Nam ut in his diverſi fuere tragici, ita in hoc uno conſenſerunt omnes, quod ipſum est univerſae tragoediae Graecae proprium: id vero est ſenſuum praeſtantiorum omnium ſignificatio per cantum et ſaltationem. Etenim est mirabile, quantum et ubique ſenſibus plenisſimae ſint Graecorum tragoediae, et, quo magis ad earum exitum progrediaris, increscant ſemper iidem atque augeantur. *Ferveat* enim Aeſchylus, Pindari inſtar, *immenſusque ruat*,

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas:

leniorem, ſed inſigni ſimul cum maiestate, curſum teneat Sophocles: et placido velut flumine prolabatur Euripides; omnes tamen vigore pleni ſunt, omnes ſenſuum quaſi fluctibus te movent, et paulatim maiorem progrediendo vim nacti, te abripiunt ſecumque trahunt.

Enim-

Enimvero non tam id curant antiqui, ut suspensos teneant spectatorum animos dubio quodam rerum eventu, illud unum agentes, ut in rebus omnibus exprimantur intimi hominum sensus, quibus auditorum animi moveantur. Quare ipsae fabulae sunt universe simplicissimae, nihil contorti, nihil impediti, vix ulla in iis rerum implicatio, aut, qui nobis dicitur, *nodus actionis* (50). Subinde sponte sua ita profluit historia, ut nullum habeatur impedimentum, nulla rerum conversio (51). Quodsi vero, quod in plerisque fit, adhibeatur fortunae conversio, aut etiam personarum agnitio, haec non ad historiae ornatum pertinent, sed unice ad personarum sensus melius ostendendos. Fabula manet semper simplicissima; sed intimi hominum sensus elucent eo magis, si aut fortuna convertatur, aut aliquem sibi carissimum agnoscant (52). Immo vero saepe in fabulae initio totum rerum cursum eventumque iam perspicis (53), et si quando res magis implicitae fiant, Deus aliquis prodit omnia componens et ad ordinem redigens. Unde perspicimus, nullam omnino artem adhibuisse antiquos rebus aut implicandis aut explicandis, neque ipsius historiae difficultate et impedita ratione spectatorum animos tenuisse suspensos. Neque hoc profecto mirum cuiquam accidere potest cogitanti, antiquos unice id spectasse,

ut

ut historiam aliquam narrarent, in qua posſent ſenſus morales omnes exprimere aptisſime. Etenim ut materna aut paterna caritas ostendatur, non opus est ſane implicita quadam historia; neque contorta rerum ratione opus est, ut eluceat aut pietas, aut miſericordia, aut denique amicitia. Illae vero in ſimplicisſimis etiam historiis nitent, praeſertim ſi aut ſubito agnoscas aliquem vel fratrem, vel amicum, vel ſororem aliquam, vel denique matrem, quam diu ſive mortuam ſeu certe remotisſimam putaveris: aut etiam ſi res ex proſpera in adverſam vel ex adverſa in proſperam fortunam converſae carisſimum aliquem hominem tibi vel reddant amisſum, vel eripiant acceptum. Sed praeterea rerum historia apud antiquos non unica est, ſed pars quaedam tragoediae, et choro ſubiecta: quae ſi procedente tempore magis magisque excrevit, ideo ſemper adhibebatur, ut muſicae ſaltationisque vim augeret, ad hominum animos ſenſibus quibusque praeclarisſimis movendos.

Etenim tota tragoediae Graecae ratio in hoc poſita est, ut ſenſus omnes excitet animumque moveat (54). Primo iam intuitu ſolet ſpectatores movere Graecorum theatrum; nam initio ſtatim aut ſupplices pro liberis matres, aut infelices cum parentibus liberi, aut lamentantes ſorores, aut fratres aut amici, commiſeratione re-

replent animos omnium. Sunt adeo ſcenae totae, in quibus nihil niſi lamentationes audiuntur, theatrum totum replentes, longo ſubinde tempore (55). Nec quicquam est in tragoediis, quod non te moveat et ad lacrymas prope excitet. Si qui ſunt morti proximi, moribundi in ſcenam prodeunt, ut et ipſi de ſe doleant, et aliorum dolores excitent. Qui vero rerum infelicium nuncii habentur, lacrymis ſuis, paene magis quam narrationibus, animos audientium perturbant (56). Solent autem antiquorum tragoediae ita esſe compoſitae, ut ſenſim ſenſimque increscant ſenſus, donec tandem aut laetisſimus de bona rerum converſione gaudeas, aut de malo eventu lugeas moeſtisſimus: delectatus ſemper intimis quibusque et praeſtantisſimis ipſarum perſonarum ſenſibus. — Tota tragoedia, quae a Perſis nomen habet, fere ſolos continet cantus lugubres de Perſarum interitu, donec tandem infelicis Atosſae infelix filius Xerxes, cum choro cantans, omnia tristitiae ſenſu impleat (57). In Sophoclis *Oedipo Coloneo* primum ipſe ille ſenex Oedipus, oculis privatus, prodit humeris innixus et manu ductus amantisſimae filiae Antigones (58); accedit deinde patrem errantem quaerens altera filia Ismene, quae, miſerum patrem cum ſorore videns, ambos ſimul amplectitur prae caritate (59). Postea

vero advenit, qui miferum Oedipum auferre cupit, infidiofus Creon. Hic coeco feni primum filiam Ismenem, deinceps ipfam furripit Antigonem (60), ut adeo magis magisque increscant fenfus et paternae caritatis et pietatis amorisque in utraque Oedipi filia. Tum vero Thefeus utramque filiam ad patrem reducit, quibus auditis manuque prehenfis, fenex: „ Non omnino, inquit, infelix moriar, cum vos mihi adfitis! (61)" Postremo in fcenam prodit unus Oedipi filius Polynices, cui proximam et crudelisfimam mortem praedicit Oedipus, quippe qui cum fratre pugnaturus esfet et cum eodem occubiturus (62). Quem dum a fraterna caede retinere cupit lacrymans Antigone, a fratre moeftisfima linquitur; ille enim abit, fororem nunquam denuo vifurus (63). Denique dum fenfus omnium crescere amplius vix posfunt, narratur ipfius Oedipi obitus (64): quo facto prodeunt infelicisfimae filiae patris mortem ita lugentes, ut ad animorum commotionem nihil addi posfe videatur (65). — Quid dicam de Phoenisfis, quae tragoedia ut fenfibus est refertisfima, ita eius fine nihil est ad caritatis fignificationem efficacius, nihil ad animi commotionem tristius aut magis luctuofum (66). Et univerfe postquam res peractae funt omnes, faepisfime aut chorus, aut aliae quaecunque perfo-

ſonae prodire ſolent, quae rerum eventum moeſtisſimum lugent, aut cantant de ſuorum felicitate (67). Ex quibus omnibus patet antiquos tragicos non tam voluisſe historiae alicuius effigiem informare, ſed ipſos potius affectus egregios quosque et naturae ſenſus exprimere, cum cantando, tum narrando, tum vero omnium maxime imitandis ipſis hominibus et principibus viris. Unde concludo, apud antiquos non confectum fuisſe drama ut quaedam historia aut res gestae narrarentur; ſed ipſam potius historiam aut quaeſitam aut confictam fuisſe ut materiem carmini praeberet, quod esſet plenum ſenſuum internorum ſignificatione, quae fieri ſolebat per cantum, muſicam et ſaltationem (68): verbo; antiquam tragoediam non fuisſe theatrum historicum, ſed ſpectaculum muſicum, non imitandis moribus, ſed pingendis ſenſibus aptum, non arte quadam historica contentum, ſed omni potius poëſeos, muſicae ſaltationisque efficacitate placens.

Poëſeos in antiqua tragoedia vim esſe maximam, nemo negabit: Quantus enim in choro, quantus in narrationibus poëſeos ornatus esſe ſolet? Et illae ipſae narrationes ac *μονολογίαι*, quae nobis videantur praeter veriſimilitudinem esſe confictae, referunt prorſus epicae poëſeos praeſtantiam (69). Utuntur autem ubique, in

colloquiis etiam, comparationibus illustrioribus, et ornatu omni poëtico. In mediis quoque affectibus, quamvis ad naturam expresſis, tanta ſaepe vis est poëſeos, ut verba non videantur ex ipſorum hominum mentibus profecta esſe, ſed ex poëtae phantaſia profluxisſe (70). Et vero quamvis poëſeos ornatu ceteris praeſtet Aeſchylus, Euripides magis accesſerit ad communis vitae ſermonem; ſinguli tamen in ipſa fabularum conſtitutione poëticam prorſus rationem ſequuntur. Nam et mortuorum manes ſubinde prodeunt, et ipſi Dii ſaepe adſunt in ſcena, et oracula atque ſomnia frequenter adhibentur; quae omnia, quamvis ſponte ex antiquisſimi aevi ſimplicitate exſtiterint, vel ſic tamen habent in antiqua tragoedia poëſeos commendationem maximam.

Sed quam vere antiquorum tragoediae dicantur ſpectacula muſica, patebit tum maxime, ſi ipſius et muſicae et ſaltationis vim perſpexerimus, qualis illa fuerit apud antiquos. Diximus autem illud ſemper egisſe tragicos Graecorum poëtas, ut affectus omnes et ſenſus praeſtantiores effunderent. Iam vero hoc fiebat praeſertim per vim muſices. Neve enim existimes, ſolum esſe chorum qui cantet, ceteros actores ſimpliciter loqui; illud ſemper teneto, in antiqua tragoedia maximam ſemper fuisſe muſicae rationem habitam. Quare quotiescunque perſonarum

ſen-

ſenſus ad vehementiorem aut iram aut luctum increscunt, toties illae etiam a iamborum conſueto uſu recedunt, et ad chori rationem accedentes canunt et ſaltant. Sic Philoctetes, cum multa esſet lamentatus infelix, tandem in lugubre carmen erumpit, et canit cum choro (71). Sic etiam Hecuba, cum Polydorum filium amiſisſet: „ O fili, inquit, fili! eheu! eheu! incipio Bacchicis canere numeris." Quo dicto, ſtatim luctuoſisſimo carmine ſenſum ſuum effundit mater miſerrima (72). Item Iphigenia illa, quam ſaepius iam admirabamur, cum vellet ſe Dianae tradere immolandam: „ Iam, inquit, ducite me, me quae Troiam Troianosque expugnabo, et coronate et unguento perfundite et ducite me ad aram Dianae" (73). Quae verba, ſenſuum ardore maximo prolata, effert Iphigenia cantans et tripudians, ac velut triumphans ad Dianae aras procedit. Et est omnino maxima non tantum in omnibus muſicae vis, ſed etiam ſtudium eius incredibile (74). Quoscunque aliquod miſere factum ad triſtitiam movet, hi ſolent excitare omnes, qui adſunt, ut ſecum carmen lugubre canant (75). Immo vero, ſi quid miſerrimum acciderit, narratur illud nonnunquam lyrico carmine cum numeris et harmonia, quo maiorem illa narratio in audientium animos vim habeat (76). — Sed illa vis muſicae om-

omnium maxime cernitur in ipſius chori canti-bus: nam ſi quid laetum acciderit alicui perſona-rum, continuo chorus laetisſimus de illius feli-citate canit. Sin vero adverſa fuerit fortuna, luget cum ceteris chorus, et muſicae vi tristiti-am ſuam exprimit, idque ſaepe in media qua-dam aut ſcena, aut actu aliquo reliquorum his-trionum. Est autem chori uſus praecipuus, quan-do, post actionem aliquam peractam, histrio-nes aut partim aut omnes decedunt: chorus enim ſemper manet. Apud nos, ſi quae ad finem perducta est actio, velum cadit, et alia omnia cogitamus, quam quae ad ſenſus pertinent, quos in nobis excitavit tragoedia; auditur adeo muſi-ca, convivii ſaepe magis hilaritatem ſpirans, quam ſenſus excelſiores animi excitans. Apud Graecos contra tragoediae vis maxima erat in choro. Nam quicunque ſenſus ab histrionibus imitando fuerant expresſi, his discedentibus, continuo repetebantur a choro et augebantur etiam muſices et ſaltationis vi maiori, ut adeo ſpectatorum animi illis ſenſibus perfunderentur toti; quo maiori omnes animi intenſione rever-ſos adſpicerent histriones. Sic in Euripidis *Iphigenia in Tauris* primum prodit Iphigenia ſollicita de fratre Oreste, ne iam ſit mortuus: accedit chorus puellarum, qui cum ipſa cantan-do exprimit ſollicitum illum erga illius fratrem amo-

amorem (77). Tum vero nuntiatur adventus duorum peregrinorum, qui adeo ab Iphigenia Dianae sunt immolandi. Horret Iphigenia, neque illud nunc peragere posse sibi videtur. Accedit chorus cantans de istis peregrinis, eorumque et ipsius Sacerdotis infelicitatem luget (78). Hospitum alter immolandus est, alteri in patriam redeundi venia datur. Felicem hunc praedicat chorus, illum deplorat (79). Eorum alter agnoscit Iphigeniam sororem; laetantur ambo. Iam vero non chorus cantum instituit, sed ipse et frater et soror sensibus plenissimum carmen per vices canunt (80). Denique dolo usa Iphigenia cum fratre eiusque amico in Graeciam est reditura. Puellae cantum instaurant, et sacerdotem suam felicissimam celebrant, se vero esse miserrimas, quippe quae non possint cum illa in Graeciam abire (81). — Itaque si diverbia inter chori cantum inserta demas, solus tamen chorus carmen tragicum efficiat, sive concentum aliquem musicum fortitudinis, misericordiae, caritatisque sensibus plenissimum, et ad animum movendum aptissimum.

Quanta vero vis sit in antiqua tragoedia saltationis, facile intelligitur cum ex frequenti chori usu, tum ex ipsa actionis scenicae ratione, quae cum et incitatissima esset, ut antea dixi, et ad numeros semper redacta, vera est

sal-

ſaltatio dicenda. Saepius autem vis illa actionis ita augetur, ut accedat plane ad eam ipſam chori ſaltationem. Cuius generis est illa ſcena, in qua prodit Antigone cum ſene quodam venerabili, quocum illa turrim conſcendit, ut posſit fratrem extra urbem in castris verſantem conſpicere. Quo facto rogat, ubinam ſit frater ille inter heroas verſans: ostendit eum ſenex, gaudet puella, et deinceps ſecum invicem colloquuntur de amabili isto fratre. Sunt autem haec omnia ad muſicae ſaltationisque ſuavitatem ita compoſita, ut prorſus referant chori ſaltantis cantantisque rationem (82). – Ipſe adeo chorus aut nuntii vices ſuscipit (83), aut in magnis quibusdam facinoribus peragendis auxilium ſuum praeſtat. Quo in genere pulcerrimus est apud Euripidem locus. Nam procedit in ſcenam Clytemnestra curru vecta cum filia et infante Oreste, quos videns appropinquantes chorus mulierum: „ Io! io! exclamat, magnae magnorum hominum fortunae! Regis filiam videte Iphigeniam atque Clytemnestram." Harum ergo laudes primum carmine celebrant, dein cantantes ſaltantesque ad currum accedunt et equos retinent aliae, aliae opem ferunt manusque et brachia porrigunt reginae eiusque filiae ut facile in humum descendant, aliae denique purvulum Orestem dormientem ulnis ſuscipiunt

ſunt (84). — Est vero ſemper cum ceteris tragoediarum perſonis ita coniunctus chorus, ut aut auxilium iis det, aut conſolationes impertiatur, aut miſereatur, aut cum iis doleat, aut gaudeat, aut quocunque modo et ſentiat, et, ſi opus ſit, agat atque opituletur. Etenim non inanis rerum ſpectator erat Graecorum chorus, ſed actor et histrio, ceteris histrionibus in reliquis ſimilis, in hoc etiam ſuperior, quod maiore muſices vi animos hominum moveret (85). Immo vero ſaepe tragoediae a choro nomen habent (86). Etenim nonnunquam primas partes tenet et principem perſonam agit ipſe chorus. Qualis est illa matrum turba apud Euripidem, quae cum coniuges ſuos et praeſertim filios amiſisſent, omni vi poëſeos muſicae atque ſaltationis luctum ſuum exprimunt. Orant autem et precantur, ut filiis ſuis carisſimis ſepulcri et funeris honorem tribuat rex Theſeus: quare, cum eloquentisſimo cantu maternae caritatis ſenſum declarasſent, tandem ſe ad Theſei genua abiiciunt (87), oculosque prae dolore veste tegunt (88), quo magis regis animum moveant. Fiunt haec autem omnia a ſolo choro, accedente muſices ſaltationisque efficacitate ſimul et ſuavitate maxima.

Itaque unde egresſus ſum, eodem nunc revertor; repeto enim illud, quod antea dixi, Graecorum tragoedias esſe prorſus ſpectacula

mu-

musica, sensibus plenissima, easdemque ex antiquo choro ortas, huius semper rationem retinuisse in poësi, saltatione et musica. Poterant vero tragoediae aut poëseos sublimitate elatiores esse ad animi commotionem, aut sententiarum varietate ad mentis cogitationem effici graviores, aut denique imitationis veritate ad spectantium oculos iucundiores reddi; dummodo spectacula musica essent eademque sensibus plenissima. Nam, ut saepius iam dixi, hoc Graecum est universe, illa sunt aut Aeschylea aut Sophoclea aut Euripidea. Quamobrem, Luci! equidem et efferror sublimitate Aeschyli, et amo philosophiam Euripidis, et Sophoclis laudo fabularum descriptionem; sed idem ego magis etiam delector sensuum ardore illo, et affectuum efficacitate et eximia suavitate musices. Nam quibuscunque tandem dotibus aut Aeschylus Sophoclem, aut Sophocles Euripidem vincat, aut ab eo vincatur, in hoc sunt singuli admirabiles, in hoc musices saltationisque vim omnem adhibuerunt, ut praeclarissimos quosque caritatis et amicitiae sensus exprimerent.

Sed videas, mi Luci! num forte et tibi placiturae fuissent antiquorum tragoediae. Stabat chorus in anteriori scenae parte; in altera prodibant ceteri histriones. Ipsam igitur scenam intuens, adspicis continuo aut sororem aliquam in-

infelici fratri asſidentem, aut filiam ad patris ſepulcrum lacrymantem, aut virum aliquem dirisſimo modo cruciatum, aut cum ſene patre lente procedentem puellam, aut denique miſerrimas foeminas ſupplices ad Deorum aram accedentes, vel totam aliquam turbam matrum profugam coram Diis orantem ut funera filiis ſuis concedantur. Hoc iam ſpectaculo commotus, quaeris tantae triſtitiae cauſſam; adest qui totam hiſtoriam poëticis deſcriptionibus aperiat. Sentis iam quam ſint illi miſeri: ſentit tecum ipſe chorus ſenſusque ſuos exprimit efficacisſima muſica. Continuo in ſcenam redeunt aut iidem aut alii hiſtriones, intimos quosque animi ſenſus exprimentes, vultus geſtusque et totius corporis actione incitatisſima. Est autem tanta in heroibus affectuum vehementia, tamque iuvenilis ſimplicitas, ut eos magis magisque ames, amatosque miſereris infelicisſimos, cumque iis lugeas et doleas. Auditur denuo chorus, ſenſus illos magis etiam augens atque excitans. Eadem ratio duabus, tribus aut pluribus vicibus pro poëtarum arbitrio repetitur (89). Interim vero creſcit rerum infelicitas, creſcunt ſimul perſonarum omnium ſenſus, neque dicunt iam amplius aut agunt, ſed canunt et ſaltant, quo melius affectus ſuos exprimant. Redit iam nuntius, miſerrimum rerum eventum poëtice narrans:

rans: quo facto vides aut furentem matrem, aut vindicta ardentem filium, aut moestissimam sororem et ipsa caritate sua ad summam fortitudinem excitatam. Tum vero intonat chorus, et quam potest maxima vi musices spectatorum animos, illis iam sensibus quassatos, permovens, omnes paene ad lacrymas excitat et abripit penitus. Denique aut perficitur vindicta, aut si qui sunt mortui, cum summo luctu sepeliuntur, aut orta bona rerum conversione gaudent omnes, laetique abeunt. — Et sic quidem altera tragoedia peracta, sequebatur fere altera. Etenim nec pauci aderant spectatores, sed subinde ad triginta millia excreverat eorum numerus, et sedebant non in aede quadam tecta, sed sub dio, inter amoenissima naturae spectacula, et a matutino inde tempore magnam diei partem transigebant, tres subinde sibi invicem succedentes tragoedias spectantes, quas fere ad maiorem animi hilaritatem excipiebat deinceps satyricum drama. Quae ratio per plures adeo dies continuos repeti solebat (90). Quid censes, Luci! nonne haec egregia quaedam erant spectacula et festis popularibus celebrandis aptissima, in quibus animi relaxarentur, et acuerentur ingenia atque vere se expanderent? Ego certe in istiusmodi sacris contemplandis delector iuvenili illo vigore, et vera festivitate, qui Graecorum rebus omnibus

ines-

inesse mihi videtur, conspiciturque omnium maxime in eorum festis, cum privatis, tum praesertim publicis atque religiosis.

L. Ego vero, Marce! non te audire dicentem, sed illos ipsos choros videre mihi videor. Mallem tamen ipse tecum oculis auribusque haurire tantam spectaculorum festorumque delectationem. *M.* Itaque nunc finem aliquando sermoni huic imponam, nisi forte aliquid praetermiserim quod ulterius ex me quaeras. *L.* Sed totum me abripuisti tuo sermone; quamobrem cum antea vellem ex te rogare, num artis quoque regulas rite observassent antiqui, haec ipsa quaestio paene mihi ex memoria elapsa est: quod tamen vix aliter se habere potest in excellentissimis illis Graecorum poëtis. *M.* At vero, mi Luci! equidem in legendis antiquorum tragoediis non magnopere soleo attendere ad artis regulas aut praecepta. Ego enim, pro hac mea stultitia, putabam antiquorum opera, quae ex ipsa natura exstiterant, non esse ad artis leges exigenda. Quodsi vero et illud a me petas; vides nunc, quam vere dixerim, tironem me esse in his rebus, neque posse in aciem et pugnam descendere. Nam ego naturae suavitate, quae est in Graecorum tragoediis, abreptus ipsam rem et tragoediae artem parum curavi. Tu vero paulo in me iniquius agis; nam cum omnia,

quae

quae fcirem, iam dixerim, nunc tamen me vinctum tenes. Mallem autem nihil dixisse; tunc enim corpus hoc meum catenis huic carceri alligasses, nunc linguam in ore vincis, et haeret illa immobilis prae pudore et infcitia. *L.* Alia omnia, Marce! forte mihi perfuadeas, illud perfuadebis nunquam, te non rite de tragoedia disferere posse: quod neque equidem credo, et vero contra expertus fum. Attamen, ut vere dicam, mihi femper ita vifum est, illud artis esse fastigium, fi quis artis regulas omnes bene obfervet. *M.* Effugi, effugi, non tenebis me amplius arctis istis molestisque regularum legumque vinculis! Quanto enim praeftat arti natura femperque praeftabit, tanto mihi placebit femper magis antiquorum nativa ratio, quam artis istius anxia cura. Recte vero pulcreque dixit Plato (91): „ Si quis, inquit, fine furore quodam Mufarum ad poëticas fores accedat, putans ex arte fe probum poëtam futurum, profanus ille erit ac profana eius poësis, quae, a temperante profecta homine, prae furentium poësi evanescet tota." Quis vero his ipfis Mufae tragicae facerdotibus potuit maior excelfiorque adesse furor, quam qui in tragoediis omnibus velut bacchatur, quoque fenfus interiores omnes effunduntur, poëfeos, muficae faltationisque vi omni atque efficacitate? *L.* E-

ego

go vero haec omnia vehementer probo, quae et vere dicta videntur, nec ſine furore a te prolata ſunt. Sed quamvis naturae vigor in omnibus cernatur, non ideo tamen artis regulae negligendae mihi videntur. *M.* At vero, o optime! mihi videntur antiquae tragoediae nullo modo iudicari poſſe ex artis praeceptis. Nam ſi nunc nobis adſtent illi ipſi Graecorum poëtae tragici, et dicant: Vos quidem ex artis legibus nos iudicare vultis, at vero nobis ad haec reſpondete: nonne debet unusquisque ex iis legibus iudicari, quae ſunt in civitate ſua, et contra non debet ex iis, quae non ſunt? rogamus autem aliquid tale: num potuerunt ex Lycurgi aut Solonis inſtitutis iudicari qui ante ipſos vixerunt Graeci, et ſapientum illorum virorum proavi? — ad haec et ſimilia, Luci! quid reſpondebimus? dicemusne, neminem iudicari nec poenis affici oportere, niſi ſecundum eas leges, quas ipſe cognoscere antea potuerit? *L.* Videtur. *M.* Sed dicant forte illi tragici: Tu vero ignominia nos afficis, quae est poena libero homini gravisſima, quandoquidem legibus non obſecuti ſumus, quas nec ipſi cognovimus, nec quisquam noſtra aetate aut antea tulerat in hac literarum republica! — Quid illis reſpondebimus, Luci! ſi ita dicant. *L.* Iniuste me egisſe, niſi forte illi aliunde leges illas cognoscere potuerint. *M.* At ve-

vero, reponant, nos, o boni viri! ex nulla alia re leges nostras haurire potuimus, nisi ex maiorum institutis moribusque iis, qui in unaquaque civitate, ubi nullae sunt leges scriptae, legum vim habere solent. — Hoccine concedamus Luci? *L.* Concedamus. *M.* Rogent ergo: Quamnam vos igitur censetis ex patrum nostrorum institutis fuisse tragoediam, ex qua leges nostras hauserimus? — Ego vero, Luci! nunc nihil dicam, tu iis responde. *L.* Videntur mihi in tragoedia magnorum virorum fortunae ita referri ut non historia narretur, sed ipsae res effingantur ad vitae communis similitudinem, et coram accidere et geri censeantur. *M.* At vero, dicant, magnopere erras, o optime! nihil enim istius generis nos nec iuvenes didicimus, et vero nesciebamus, quid tandem esset poësis dramatica, quippe quam nemo ante nos tractasset. Sed inde a tenera aetate adfuimus choris Bacchicis, in quibus heroum fortunae cum narrabantur poëtice, tum etiam maxima vi musices celebrabantur, tum denique ipsi interdum imitatione effingebantur heroës. Quamvis igitur hanc imitationem actionemque cum saltatione coniunctam auxerimus universe, tamen in narrando et canendo antiqui chori rationem retinuimus. Quodsi ergo minus omnia censeas ad artem quamdam dramaticam esse conficta, aut non ha-

haberi probabilem quamdam et veram historiae effigiem, oculis subiectam: haec mittimus; de eo gloriamur unice, quod rhythmi harmoniaeque suavitate atque hominum sensibus et vultu, gestu et voce imitandis, intimos quosque animi affectus ita expresserimus, ut spectatorum animi permoverentur penitus. — Quid censes, mi Luci? nonne gratias iis agendas esse, quod nobis ostenderint, quaenam ipsis in animo fuerit species tragoediae et velut forma, quam intuentes ad illius rationem carmina sua effinxerunt? *L.* Gratias potius tibi agam, quod mihi ostenderis, non ex artis regulis iudicandam esse antiquam tragoediam. Ceterum quid illis tribuas, tu quidem videris; possis sic enim hominis, nescio cuius, mihi verba narrare. *M.* Quid vero interest, a quonam dicantur; modo vere sint dicta. Dicam vero nunc ex mea ipse persona: nam cum tria maxime requirantur in tragoedia, ut uno loco et tempore unaque actione contineatur fabula, haec quidem ab antiquis, posteriori certe tempore, ita observata sunt, ut ipsa postulabat rei natura, nunquam vero ad artis diligentiam fuerunt adacta (92). Dramaticam autem rationem in permultis habent antiqui. Quodsi vero requiras, ut omnia omnino sint verisimilia et communis vitae rationem semper referant, frustra id apud antiquos

quaeras. Hi enim in narrationibus poëſin eximiam, in choris muſicam et ſaltationem, et vero in colloquiis ipſis et poëſin adhibebant, et muſicam, et actionem tam incitatam, ut vera esſet ſaltatio dicenda. At vero, Luci! videntur mihi pleraeque istae regulae ex recentiorum demum ratione petitae. Sunt autem horum tragoediae non muſica, ſed poëtica ſpectacula et plane historica; quippe orta ex historiae quibusdam et rerum gestarum ſimulacris (93). Quamobrem in his univerſe neque chorus adest, et prodeunt histriones, non ut aut narrent, aut canant et ſaltent, ſed ipſi ſemper agant et actionem quamdam oculis ſubiiciant (94). Et est omnino recentiorum tragoedia quaedam historiae effigies; quare apud hos requiritur, ut et hominum mores rite pingantur, et res ipſae non narrentur, ſed oculis ſubiiciantur, neque quicquam aut fiat, aut dicatur, aut agatur, niſi quod veriſimile ſit, et eodem modo posſit et dici et fieri in communi hominum vita. Etenim ſine veritate, aut, quae huic proxima est, veriſimilitudine, nulla historiae imago esſe potest. Hinc ergo repetenda est tota illa ars dramatica, qua res ipſae in ſcena agi et revera accidere videantur. Recentiores igitur ipſas res et historiam imitantur, antiqui vero heroës virosque, quorum narratur fortuna: illi rerum gestarum ſimulacra; hi hominum: illi ipſos mores pingunt,

gunt, qualesque ex iis moribus actiones consequantur et effectus, oculis subiiciunt (95); hi ipsas fortunas enarrant, qualesque in iis fortunis sint hominum sensus et affectus et studia declarant, cum ipsorum et vultu, et voce, et corporis totius motu imitando, tum vero omnium maxime per vim musices et saltationis: illi omnia ad vitae familiaris similitudinem adigunt; hi contra saltando cantandoque ea perficiunt, quae ratio quamvis sit iucundissima, ex familiari hominum consuetudine expressa non est. Denique Graecorum fabulae sunt simplissimae et fluminis instar placide, sed cum maiore semper vi et impetu prolabuntur; in recentiorum vero dramatibus uti in labyrintho oberras, ubi nec Ariadneo saepe filo exitum tibi parare possis. Verbo: antiqua tragoedia e choro orta musicae, poëseos saltationisque efficacitate animum movet; recentior tragoedia, e spectaculis historicis orta, artis dramaticae praestantia admirationem excitat. Itaque antiqui a recentioribus arte vinci possunt, natura non possunt: etenim in exprimendis naturae sensibus non naturam imitari, sed ipsi eam exprimere videntur (96).

Et sic quidem, mi Luci! de tragoedia antiqua dixi, quae, ut mihi videtur, non ex recentioris tragoediae regulis et artis praeceptis iudicanda est, sed tota dimetienda ex

antiquorum chororum ratione, quorum adeo vigorem poëticum et vim mufices faltationisque femper retinuit. Quae ipfa muficae et faltationis vis quantam habeat praeftantiam, nos quidem vix perfpicere posfumus: haec enim utraque ars, fi pauca excipias, in omnibus referri coepta est ad levius quoddam animi oblectamentum: quae tamen utraque apud Graecos maxima pars erat ipfius inftitutionis et educationis puerorum (97). Graeci enim utraque illa utebantur, non tam ad animum relaxandum, quam potius ad fenfus fuos exprimendos: quos ergo fi in aliorum hominum animos velut transfundere vellent, rhythmi harmoniaeque fuavitate et quafi flumine eos effundebant. Sunt enim quidam et foni et gestus in homine naturales: aliam vocem habet iracundia, aliam amor, miferatio aliam, cumque voce ipfa femper mutatur corporis habitus. Et vero omnis motus animi fuum quemdam a natura habet vultum et fonum et gestum, totumque corpus hominis et eius omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita fonant, ut a motu animi quoque funt pulfae (98). Quodfi vero hi ipfi vocis foni et motus corporis per harmoniae numerorumque fenfum ad venustatem fuavitatemque compofiti muficam effecerint et faltationem (99); intelligitur quantam haec utraque vim habeat ad

animum movendum. Hac ergo imperiti, hac pueri, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Sed illi ipsi et soni et motus eo solent alacriores, eo magis efficaces esse, quo magis aut in tenera sua aetate versantur homines, aut minus ratione temperati atque sedati sunt animi, aut denique quo sunt pueritiae suae propiores populi. In his enim omnibus minus valet iudicium et ratio, ardent magis affectus et sensus et animi commotiones, quae ipsae corporis vocisque motum efficiunt. Ita fit ut Orientales, affectibus suis continue abrepti, motus habeant in toto corpore vehementissimos. Apud Graecos vero Romanosque, quamvis paulo quidem magis sedatos, iuvenili tamen vigore plenos, iuvenilis erat actio et vigore plena: ut ipsi adeo philosophi non minimum ea uterentur in docendis iuvenibus (100); oratores vero vehementiorem haberent actionem et quemdam etiam cantum obscuriorem (101). Quae omnia apud nos solent longe magis esse composita et temperatiora et magis sedata. Sed idem hoc, ut in vita communi vim quamdam sermonibus addebat, ita vigorem maximum tribuit eorum populorum poësi. Orientales adeo, qui in poësi sua unice sensus ipsi suos exprimebant, tam incitatam et incompositam in cantando vocem tamque inaequabilem, prae affectuum vehementia,

tia, ſaltationem habebant, ut hodieque nulla certa modulatio aut metrum conſtitutum in Hebraeorum carminibus inveniri posſit (102). Graeci vero ordinem magis animadvertere coeperunt, et ad certam magisque compoſitam, et artis ope excultam, rationem pervenientes, certa ſaepe metra et magis ordinatam harmoniam induxerunt. Sed vel ſic tamen in nonnullis carminibus, in quibus non alienos aut imitatione confictos, ſed ſuos ipſi ſenſus ſignificabant, liberiori quadam et muſica et ſaltatione atque rhythmo uſi ſunt. Itaque uti Pindarus

— per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege ſolutis:

ſic et in choris tragicorum difficillimum est aequabilem quemdam et certum indicare numerum. Quod autem in Orientalium poëſi antiqua nondum habebatur, id effecerunt Graeci, ut imitationem inducerent, imitatione exprimerent alienos ſenſus, fictosque hominum affectus: unde ipſa orta est poëſis dramatica. Neque in poëſi tantum, ſed in cantu etiam et gestu imitationem induxerunt, unde exſtitit lenior illa muſica et ſaltatio mimica choris dein addita, quae adeo certis quibusdam aut iamborum aut trochaeorum aut alius generis metrorum numeris contenta est. Uti

enim

enim in omni re vincit imitationem veritas (103), ſic quoque in iis partibus, quae verum animi ſenſum indicant, id vero est in choris, vehementiores quidam vocis et corporis motus habebantur; in ceteris, quae imitatione efficta erant, leniores minusque incitati. Et ſic quidem ab effuſa illa velut libidine ſonorum atque motuum ad temperatam muſicam progresſi ſunt Graeci.

L. Progresſi ſunt, dicis? Mihi vero potius videntur retrogresſi; ſic enim vis muſicae atque ſaltationis imminui coepta est. *M.* Artes ipſas ſi ſpectes, retrogresſas esſe asſentior; ſed ſi ipſum attendas hominum ingenium, progresſum quemdam hac in re videre mihi videor. Infantiae enim proprium est, ut verus quidem ſermo vix habeatur, ſoni tantum proferantur, et gestus, et motus incompoſiti. Quo vero magis ad rationis uſum progrediuntur et homines, et ipſae etiam gentes, quoque ſimul magis ſedantur affectus, eo fit lingua verborum flexione et accurato uſu ordinatior, grammaticum quemdam acquirit habitum, faciliusque et ſcribi potest, et ſine dicentis aut voce aut gestu intelligi; ſed una cum lingua vox etiam ipſa et gestus et motus ad ordinem rediguntur, neque tam ſunt vehementes, ſed temperati magis atque ſedati (104). — Attamen egregie mihi videntur egisſe

ſe Graeci, quod et chorum ipſum et muſicam atque ſaltationem retinuerint ſemper in tragoedia, quippe compoſita illa ad ſenſus affectusque ſignificandos et ad movendos animos. Etenim huic actioni atque cantui quaedam inest vis a natura data. Verba, quamvis ſint poëtica vix aliquem commoveant: actio vero, quae prae ſe animi motum fert, omnes movet (105). Cuius rei umbram quamdam et levisſimum ſonum percipimus in oratorum nostrorum voce atque gestu, quorum verba, ſi legantur, nonnullis forte perſuadent; quae, ſi et dicantur bene, et probabili corporis motu proferantur, animos omnium movent. Est enim actio naturalis quidam quaſi ſermo corporis, ſenſuum velut vocem ſonumque exprimens animique commotiones effingens oculis. Quare, Luci! mihi videntur haec, quae nos nunc habemus, tragicorum Graecorum carmina esſe quaedam inanimata corpora, quibus vitam vigoremque, et paene animum, dabant muſica atque ſaltatio. Qua utraque arte factum est, ut non modo interna ratione et verbis atque dictione, ſenſibus esſet plenisſima tragoedia Graeca, ſed externa quoque forma et cantu atque gestu, ſenſuum affectuumque vim maximam indicaret.

Et talis quidem tamque eximia exſtitit tragoedia e festis Bacchicis, in quibus cum ſe expanderent

rent toti Graecorum animi, diutisſime manſerat in iis liberior ille atque naturalis et vocis ſonus et corporis ſaltatio. Quae qualia antiquitus fuerint, intelligitur ex una Euripidis tragoedia (106), in qua praecipuas partes agunt Bacchantes, quae, ut ſcis, non mediocriter et ſaltare et canere ſolebant. — Sed tandem aliquando meam garrulitatem compeſcam; est enim altera iam itineris pars nobis peracta. Quare navi nunc exeamus, et videamus, num quae in hoc diverſorio Bacchi munera nanciſci liceat, quibus corpus etiam noſtrum reficiatur. *L.* Recte dicis, praeſertim ſi Cereris etiam dona adiunxerimus. Quamquam tu me aluiſti lautisſimis ſermonibus, et opimis nunc me dapibus recepiſti, ipſo praeſide Baccho. Sed eamus.

Lu-

Lucius. Ego vero nunc oculis videre mihi videor, magnam nobis itineris partem iam esse peractam. Nam quamvis nunc frondibus arbores, campi gramine destituantur, et omnia hiemali quodam sopore consopita iaceant; tamen, nescio quomodo, videtur mihi universe maior adesse vigor in plantis et arbusculis, quam qui circum nostram Amstelodami urbem cernitur. Praesertim in his regionibus me delectat arborum excelsitas, et quaedam maiestas: qualis est earum, quas nunc videmus, arborum, quarum egregie in aqua velut in speculo reflectitur umbra. *M.* Est profecto propter maiorem soli altitudinem quaedam maior excelsitas in arboribus, quae mihi quoque saepe ambulanti delectationem praebuit. Sed ne, quaeso, urbis patriae oblectamenta vituperes! Mihi certe navium illarum continua cum fluctibus agitatio,

et

et ipſius maris ſpectaculum non minus ſubinde placuit. Et habet etiam aquarum contemplatio delectationem ſuam. Sed hoc loco arborum ad fluminis huius ripas ſeſe efferentium quaedam est pulcritudo eximia, cum praeſertim omnia ſolis fulgore laetiora ſint et hilariora. *L.* Esto: ſed, ut dixi, oculis iam video, quam procul ab urbe nostra vehamur; nam mente aut cogitatione illud nondum percipio, aut ullo modo ſentio. Tam enim mihi placuit tua disputatio, ut tempus non praeteriisſe mihi videatur, ſed avolasſe. *M.* Age, ſi quid praeterea habeas, quod aut dicas aut moneas, noli diffiteri, dic modo. Nam videris me clam admonere, ut ad dicendum redeamus. *L.* Ego vero de antiqua tragoedia nihil habeo, quod aut addam aut amplius quaeram. *M.* Quid igitur? *L.* Initio dicebamus de Vondelii fabula, *Gysbrecht van Aemſtel:* nunc autem a te petam, ut ſi posſis mihi exponas, qua in re antiquis ille ſit ſimilis aut par habendus, aut qua in re iis cedat. Potes autem certisſime, nam, ut dixisti, Vondelium magni aestimas. *M.* Difficillimum hoc quidem est: nam in omni re videndum est, unde ea originem ceperit, et qualis ſit pro temporibus et locis, quibus est orta. Itaque quod dicebamus modo, ut de arborum pulcritudine et maiestate iudicemus, videndum num ex altiori hoc ſolo ſint or-

tae,

tae, an vero ex depresſiori Amſtelodami regio-ne. Et ſic quoque in poëſi attendendum est ad populi et temporum rationem, num ex Graecis hominibus an ex aliis ſit orta, et qualibus illis, et quo ingenio praeditis. — Sed iam ſentio quid tibi velis, nam non hoc cupis, ſed ut ipſe depromas, quod animo reconditum habes, quodque iam initio itineris nostri volebas dicere: et ideo me admones, ut ad disputationem revertamur. Itaque iam dic, lubenter te dicentem audiam. *L.* Non hoc est, quod volo, ſed ut tu, instituta Vondelii cum antiquis comparatione, de eo tuum mihi exponas iudicium. *M.* Recte: illud ſimulans me clam hortabaris, quo magis ſcilicet te orarem equidem, ut quod volebas dicere, me rogante et flagitante diceres. Ne vero cuncteris, ſum enim te fortior; neque ego te hac navi dimittam, antequam quod promiſisti perfeceris. Nam paria paribus rependo. *L.* Itaque ne me repugnantiae accuſes, faciam, quod me cogis. Dicam autem ſic, ut non quid pulcrum mihi videatur recenſeam, ſed potius id enarrem quod minus fortasſe perfectum cenſeri potest. Quod quamvis non tam mihi proſit, quam potius tuae causſae faveat, dicentis in antiquis magis nativam cerni pulcritudinem; tamen ita nunc dicere lubet. Sunt enim tot a te pulcra enumerata, ut equidem illis paria proferre ex una tragoedia non posſim.

Sic-

Siccine placet tibi? *M.* Dic modo; ceterum, quomodo velis, dicas.

L. Sed antea hoc moneo, perpulcra mihi videri ornamenta ista, quae eius tragoediae spectaculo nova nunc accesserunt. Nam et veteris illius portae Harlemensis effigies (1) et monasterii vasti spectaculum (2) habet aliquam vetustatis notam, qua mihi venerationem paene iniecit spectanti. Praeterea templum, in quo canitur, ut semper mihi placuit, ita nunc habet quamdam sanctitatem (3); et quod civi praesertim Amstelodamensi gratum accidere debet, in postremo actu, ubi arcis quandam partem exteriorem cum aditu conspicere licet, nunc adiecta est quaedam navium effigies, quarum velut e longinquo summas partes contemplabamur; verbo: qui semper egregius fuit huius tragoediae ornatus in scena, idem nunc ad rei veritatem et veteris urbis effigiem perpulcre est accommodatus. Sed, scena relicta, ad tragoediam accedo. Et iam in ipso dramatis initio habetur longissimus ille Gysbrechti sermo, quem solus habet, qui ut legenti perquam placet, propter narrationis pulcritudinem et poëseos praestantiam; ita spectanti longior videtur estque nimis otiosus. Quamquam diffiteri nolo, egregiam in illo esse narrationem historiae et ipsius fabulae expositionem talem, qua nihil amplius requiritur ad rei geren-

dae

dae intelligentiam. Huic autem prologo ſimiles ſunt ceterae narrationes, quae frequentisſimae ſunt in hac tragoedia, quaeque minus fortasſe temporum et dicentium rationi conveniunt. Omnes vero pulcrae ſunt: et ceterae forte non adeo ſunt eximiae, ſed nuncii illius narratio tam pulcra est, ut unumquemque ſemper in admirationem rapuerit, et celebritatem adeo apud omnes acquiſiverit. Sunt enim omnia ita depicta, ut paene oculis ea adſpicere nobis videamur: quod maxime cernitur in iis verſibus, quibus cruenta episcopi caedes deſcribitur (4). Et omnino ſi qua est minor convenientia earum narrationum cum perſona dicentis, iis praeſertim temporum angustiis et periculis; hanc inconvenientiam paene obliviscimur, et facile poëtae condonamus propter narrandi praeſtantiam et veram elegantiam. — Eodem autem modo equidem cenſeo de imaginum illo et comparationum ornatu et vi poëſeos quae apud Vondelium ſingulis paene verſibus occurrit eximia. Fuerunt enim qui hoc reprehenderent, nonnunquam nimis phantaſiae fervori indulſisſe Vondelium, ut adeo interdum non tam ipſae perſonae, quam poëta loqui videretur. Itaque Gysbrechti frater in maxima rerum anxietate verſans, et urbis ſuae deplorans interitum, nimia quadam, ut illis videtur, poëſeos vi ſic lo-

loquitur de hostibus furentibus, ut eos compa-
ret cum ventis, qui agmine facto confligunt et aquarum vi propulsa aggeres paene perrumpunt (5). In his vero et similibus locis egregiis malo equidem poëtae orationem audire, quam ipsarum personarum vocem, si minus pulcra dicant. Habet enim poëseos ornatus tantam apud Vondelium venustatem, ut, quidquid contra dicant isti, mihi semper eiusmodi loca magnopere placuerint. Praeterea tanta est sententiarum et copia et veritas in hacce tragoedia, ut nihil equidem censeam aut pulcrius dici posse aut praestantius. Quarum si qui forte nimiam existiment esse multitudinem, maioremque, quam in vita communi usurpari solet; videant isti ne omnem pulcritudinem e poësi demant. — Sed iam sentio me satis dixisse de Vondelio, nam cum vitia enumerare constituissem, virtutes potius laudare mihi videor et poëseos praestantiam.

M. Unum etiam hoc addere potuisses, Vondelium paucis exceptis fabulae constitutionem egregiam habuisse, in quo si minus Sophoclem est imitatus, fecit tamen *Sophocleo sua carmina digna cothurno.* Ceterum tu quidem nunc mihi videris non vitia quaedam numerasse tragoediae Vondelianae; ostendisti magis similitudinem quae Vondelio cum singulis Graecorum tra-

gi-

gicis intercedit. Nam uti in fabulae constitutione et convenientia illa, quae cernitur in sermonibus dictisque ad hominum mores rite comparandis, Vondelius Sophocli saepe non cedit (6): ita in vi poëseos est Aeschylo simillimus; reliqua autem ex Euripide desumsisse mihi videtur, sententiarum pulcritudinem et prologi narrationumque rationem. Sententiae enim plurimae, ut dicis, in hac tragoedia occurrunt, quae partim rerum humanarum universam rationem spectant, partim aut Dei venerationem, aut etiam moralem hominum conditionem (7). Denique quo maxime delectabatur Euripides, si quam subinde sententiam interponeret, qua suorum temporum rationem perstringere posset (8); idem amabat Vondelius, qui suorum temporum rixas nimiamque in multis ambitionem interdum perstringere solebat (9). Neque minus Euripideam rationem refert longus ille prologus ceteraeque narrationes, quibus Vondelius rerum gestarum historiam poëtice describere maluit, quam minus perfectam rerum notitiam tradere. Ceterum, ut dixi, illa vis poëseos, quae in Vondelio cernitur, mihi videtur Aeschyli dictioni esse simillima, et omnino in hoc genere pulcritudinis equidem neminem cognovi Aeschylo similiorem quam Vondelium, qui illi paene par est in poëseos ornatu (10). Pos-

sint

ſint adeo nonnulla comparari ſecum invicem. Aeſchylus de Perſarum exercitu, cui nemo poſſit reſistere, ſic canit:

Δόκιμος δ' οὔτις ὑποστὰς
Μεγάλῳ ῥεύματι φωτῶν
Ἐχυροῖς ἕρκεσιν εἴργειν
Ἄμαχον κῦμα θαλάσσης (11).

Quam comparationem, latius etiam expoſitam, ſic effert, ſi bene memini, ipſe Gysbrechtus apud Vondelium de hostibus ſuis dicens:

Ik hiel hen ſtaen met kracht, als water voor den dijck;
Daer 't lantvolck opgeklept zich zoeckt bij nacht te redden,
En brengt vast zoden aen, en ſtenen, paelen, bedden,
En bulſters, en al wat den zeedijck ſtutten kan,
Waer die is doorgeweeckt; en zweet met alle man (12).

Sed animos mihi addidisti ſermone tuo, quo velut aura ſecunda iam propellor. Itaque velis paſſis pervehamur et ventis remisque tentemus rerum omnes difficultates ſuperare. Nam cum jam ostenderis tua oratione, quid in Vondelio ſimile ſit ſingulis Graecorum tragicis, conabor nunc equidem, quod a me petiisti, dicere, quid in illo ſimile ſit univerſae tragoediae Graecae.

Itaque nunc non dicam, quid Sophocleum, quid Euripideum, quid Aeſchyleum videatur; ſed quid ſit in hac tragoedia univerſe Graecum. Discernendum igitur videtur id omne quod non ex ipſis tragicis, ſed aliunde hauſisſe cenſendus est Vondelius, quodque ab univerſa Graecae tragoediae ratione diverſum habet. Quamobrem ut antea de Graecorum indole quaeſivimus, qualem illa vim habuerit ad conſtituendam tragoediae rationem, ſic nunc de Vondelii aetate et proavis nostris dicamus: tum etiam uti de historia tragoediae Graecae disputavimus, ſic nunc de recentiorum dramatum et maxime de Vondelianae tragoediae ortu et progresſu disquiramus. Siccine rem probas? *L.* Vehementer probo.

M. Itaque cum antea de indole et ſtudiis dixerimus, quae viguerunt maxime in Graecis, quo tempore ad formam rationemque ſuam perducta est tragoedia antiqua; agamus nunc de iis temporibus, quibus tragoediae Belgicae ratio conſtituta est, et ad perfectionem ſuam adducta. Et hoc quidem primum utrique illi aetati et Graecorum et maiorum nostrorum ſimile contigit, ut animorum in omnibus vigor esſet maximus. Nam prouti Graeci animorum vigorem maximum prodiderunt in bellis istis pro patria gestis contra Perſas, postea autem pacis artes et ſtudia

quae-

quaeque egregia ostenderunt; ita etiam maiores nostri primum vim ſuam exſeruerunt in bellis contra Hispanos gestis pro patriae ſimul et religionis libertate; atque dein literis et artium genere omni excelluerunt (13). Diximus autem in Graecis illis ſe explicuisſe maxime ſenſus morales et ſtudia quaeque praeſtantiora; in his vero proavis nostris longe etiam excelſiora prisco illo tempore ſtudia ſe prodiderunt, religionis purique cultus divini ſtudium, et amor virtutis illius, quae non ex ſenſuum ardore profluit, ſed a rationis imperio ſuam habet praeſtantiam et ex obedientia Dei praeceptis praeſtanda originem ducit. Verbo: tragicorum Graecorum tempore delectabat praeſertim affectuum caritatumque et ſenſuum moralium iuvenilis vigor atque pulcritudo; Vondelii aetati longe excelſior placebat maiestas religionis Christianae, et ſublimis illa ac plane virilis morum doctrina. Quae univerſae gentis nostrae indoles quantam illo tempore vim habuerit in poëſin, docuit exemplum poëtarum, qui *Rhetorici* (14) vocabantur, quique ſolebant ludis quibusdam publicis malos hominum, praeſertim Sacerdotum, mores exagitare et verae virtutis probitatisque Christianae praeſtantiam commendare (15). — Hanc igitur excelſiorem indolem referens Vondelius, tum demum perfec-

 tam

tam fore tragoediam ſuam existimavit, ſi pietatis et verae virtutis probitatisque Christianae pulcritudinem depingeret, vitiorum contra et impietatis ostenderet deformitatem. Itaque cum antiqui ſenſus tantum hominum et amabiles illos affectus celebrando animos ſpectatorum moverent, Vondelius maluit docere ſimul et delectare proponendis admirabilibus quibusdam virtutis exemplis iisque imitatione dignisſimis.

Quantam enim pietatem Deique reverentiam prodit Gysbrechtus in medio animi fervore! (16) Quam generoſum et Christiano homine dignum animum ostendit, dicens invitum ſe inimicos nominare eos, qui, implacabili odio ducti, gladios ipſius ſanguine commaculare cuperent; ſe vero malle Dei iustisſimi benignisſimique curae ſeſe committere! (17) In quo est obſervatu dignum, istud vindictae ſtudium ex nimia quadam et ultra fines effervescenti ſuorum caritate ortum, quod in Graecis tragoediis ubique occurrit, apud Vondelium non haberi, aut, ſi habeatur, vehementer damnari, quippe virtuti Christianae contrarium (18): quacum longe magis conveniat vera illa animi magnitudo, qua Gysbrechtus inimicisſimis etiam hominibus et astuto illi atque infestisſimo antea hosti Vosmaerio, ſi minus prudenter, at generoſe tamen

men condonat illatas iniurias (19). Sed ut Graeca illa ſunt magis iuvenilia, ita apud Vondelium omnia ſunt viro dignisſima. Qualis etiam est virilis illa conſtantia, qua Gysbrechtus animo ipſe ſuo imperat et lamentantis uxoris carisſimae nec lacrymas videt, neque audit gemitum, ut officio ſuo patriaeque ſaluti proſpiciat (20). Quanta denique est in hoc viro erga Deum pietas, qua et in proſperis et in adverſis rebus Dei ſemper voluntatem obſervare ſtudet eique obedire! Sed est haec non in illo tantum viro, verum in ceteris etiam plerisque admirabilis Dei reverentia. Nam cum primum quidem hostibus ſubito liberata urbs videretur, Deo haec accepta referuntur (21): cum vero postea vitae omnium immineret periculum, Dei hanc esſe voluntatem docent, cui reſistere impium esſet (22). Increscente periculo increscit Gysbrechti fortitudo: ille enim Dei auxilio ſiſus pugnat; et Dei auxilio ex imminente periculo èripitur (23); neque unquam ad deſperationem delabitur: „ Etenim eventus, inquit, a Deo proficiscitur, Deo res meas omnes trado" (24). Denique ad interitum vergit tota urbs, neque tamen a fortitudine deflectunt: „ Agite vero, inquiunt, pro patria pugnemus; vitae nostrae conſervator est immortalis ille et omnipotens Deus!" (25) Hunc adeo omnes in genua prolap-

lapſi adorant, et precantur ut ſibi propitius esſe velit (26). Tandem vero ad eos accedit Angelus, qui ipſis perſuadet esſe fugam capiendam et in exſilium eundum: ſic ferre voluntatem Dei. Quo audito: „ Sequimur, aiunt omnes, Deique iusſui obtemperare parati, hanc miſeram patriam linquimus" (27). Sed praeterea his omnibus virtutibus contraria etiam vitia, neque illa ex fato quodam orta, uti ſaepe apud antiquos, ſed ex ipſis hominum moribus repetenda, impietatem et voluptatum turpitudinem tam efficaciter depinxit Vondelius, ut nemini profecto non horrenda videantur (28).

Sed quid plura? In omnibus enim tragoediis morale quoddam propoſitum habuit Vondelius: quod ipſe etiam docuit, cum ſoleret in tragoediarum titulis addere, quid maxime iis morale inesſet, cum *Palamedem* dixerit *ſive innocentis caedem*, aut *Phaëtontem ſive temerariam audaciam*, aut denique *Adonian ſive perniciofam ambitionem.* Et omnino in ipſam fabularum conſtitutionem recentiores moralem rationem induxerunt, neque delectare tantum, ſed docere ſimul ſuis tragoediis voluerunt. Etenim apud antiquos ſi qua moralis etiam doctrina accederet, haec non in univerſa fabula aut exemplis eorum qui inducuntur quaerenda est (29); ſed unice in ſententiis, quae ſubin-

inde interponuntur. Vondelius vero aut impiorum hominum insidias pingit (30), aut his verbis nos monet:

Discite iustitiam moniti et non temnere Divos (31).

Aut etiam virtutis praemia in eius tragoediis exhibentur (32), aut impietatis poenae (33); aut inconsiderantiae (34) mala pinguntur et audaciae (35); aut fortitudo cum pietate coniuncta (36), aut castitatis pulcritudo (37), aut contraria huic impudicitiae turpitudo (38), aut nimia imperii cupiditas (39), aut *infidos agitans discordia fratres* (40). Denique nihil Vondelio videbatur dignius, quod semper hominum mentibus velut inculcaret, quam rerum terrestrium inconstantia et fortunae varietas, quo magis discerent homines a rebus hisce fluctuantibus et incertis animum avocare ad certa illa et immutabilia, quae cum virtute et religione sunt coniuncta (41). Qua cogitatione ut nihil sublimius est in morali doctrina, ita nihil excelsius potest in tragoedia doceri, quam idem illud quod semper docere voluit Vondelius, qui adeo hanc ob caussam tragoediis suis omnibus praeposuit sententiam: *Suae cuique vices* (42). Et hanc quidem doctrinam omnium maxime spectasse mihi videtur Vondelius in illa de qua nunc agimus tragoedia

dia *Gysbrecht van Aemſtel.* In hac enim omnia ſacrum quemdam habitum referunt; ſunt omnia ita propoſita, ut Dei in iis voluntatem veneremur, divinamque ſuſpiciamus Providentiam in bonis aeque et malis ſapientisſime agentem: rerum vero humanarum inconſtantia paene ob oculos ponitur in ſubita illa urbis clade, qua pulcerrima omnia, brevi tempore in fumum cineremque converſa, ventis auferuntur atque pereunt (43). Cum vero, in tanta inconſtantia fortunae, ſola conſtans ſit virtus et vera probitas, ſibique ipſa ſufficiat; hanc divinam virtutem, uti diximus, per totam tragoediam propoſuit poëta. Itaque Vondelius hanc in hoc carmine doctrinam moralem docuit: in ſecunda fortuna Deo eſſe gratias agendas, in adverſa Dei auxilio fidendum: et quidquid accidat, id quod Deus voluerit, patienter ferendum et aequo animo Illius iusſui esſe obtemperandum.

Quare, mi Luci! cum antea in Graecorum carminibus ſummam obſervaremus affectuum vehementiam, paremque morum levitatem et adoleſcentiae quemdam vigorem, ipſiusque naturae ſimplicitatem amaremus in heroibus Graecis; nunc ille amor in admirationem convertitur venerationemque virtutis. Est enim in Vondelii perſonis virilis quaedam gravitas: affectibus et ſenſuum impulſioni ſeſe tradere nolunt, rationi prae-

praeceptoque divino malunt obtemperare. In quo prae Graecis recentiorum est obſervanda praeſtantia, qualis viri prae adolescente praeſtantia esſe ſolet. Nam in homine primum ſponte ſua ſe exſerunt ſenſus pudoris, iustique ſtudium, omnium vero maxime pullulant ſenſus caritatis et amicitiae. Sed ſimul etiam adolescentis ingenii fervore abreptus homo, nimium ſaepe his ſenſibus indulget et ad iram atque vindictam rapitur aliaque vitia, quae ex optimis principiis et ipſo ſenſuum vigore nondum temperato et rationis frenis refragranti originem ducunt. Quo magis autem homo ad virilem accedit aetatem, eo magis invalescit ratio, domina omnium et regina, cupiditates omnes reprimens ſibique ſubiiciens, eo magis ſenſuum affectuumque impetus, laxatisſimis antea habenis prorumpens, adductis iisdem retinetur, iustisque continetur limitibus. Unde oriuntur temperantia, conſtantia veraque fortitudo, et ceterae virtutes, quae a rationis imperio proficiscuntur. Itaque cum recentiores gentes has ipſas virtutes ceterasque in religione Christiana praeſcriptas mirati ſint, magnamque earum praeſtantiam perſenſerint: cumque univerſe in ipſis artibus non tantum quid pulcrum videatur, quaerere ſoleant, ſed etiam quid bonum ſit, quid homine dignum (44); mihi videtur in iis pro-

provectius quoddam inesse ingenium, et magis adultum magisque virile, quam in Graecis. Horum enim tragoedia sensuum moralium et affectuum amabilitatem refert; sed simul eorumdem vitia et iram, cumque illis coniunctam levitatem; recentiorum contra et Vondelii tragoedia habet ipsius rationis et verae probitatis virtutisque omnino Christianae excellentiam et perfectionem (45). Quae cum sit Graecorum et recentiorum Vondeliique diversitas, aliam utrorumque tragoedia rationem habet. Nam cum utrique adversam pingerent fortunam, Graeci ea usi sunt, quo magis elucerent affectus: apud Vondelium vero ipsa effulget virtus et constantissima probitas, eique contraria impietas atrocitate sua ostenditur. Uti enim sensus hominum praecipue cernuntur in rebus adversis, pariter quoque vitia multa in iisdem grassantur: ipsa autem virtus sibi sufficiens, a nulla re pendens, in maxima rerum inopia summam ostendit praestantiam suam, et est omnino admirabilis. Etenim vir bonus secundis in rebus est reliquis fortunatis hominibus similis, in adversis unus in paucis praestantissimus videtur. Itaque quo magis in hac, de qua agimus, Vondelii tragoedia increscit rerum adversitas, eo magis hostium impietas saevusque furor et horrenda adeo crimina narrantur, contra Amstelodamensium civium, malo increscente,

te, increscit vera constantia, certumque consilium, quidquid Deus velit, patienter ferendi. Tandem tota urbs evertitur, omnia vastantur atque delentur, Gysbrechtus vero nulla re commovetur, quominus in praestandis officiis maneat constantissimus. Etenim Vondelio videbatur tragoedia ideo esse instituta, ut quid honestum esset, quid turpe, doceret, exemplisque ex historia petitis veram hominibus commendaret sapientiam (46). Itaque quod aliquando somniaverat Plato et obscure significaverat dicens: tum demum probandam fore tragoediam, si verae probitatis exempla contineret: illud, tu quidem, divine poëta! effecisti, veram in tragoediis effingens virtutem, veramque sapientiam! (47) Nonne autem tibi iam videor, optime Luci! spiritu quodam poëtico duci, et paene dithyrambos dicere?

L. Tu vero, uti iam saepius, nunc denuo Musarum auxilio iuvari mihi videris.

M. Et nunc quidem earum ope praesertim indigeo: et animis iam opus est ad navim propellendam: sunt enim difficillima loca, per quae nobis nunc iter faciendum est, et praeterea valde tenebrosa. Venio enim ad historiam tragoediae Belgicae, quam enarrandam in me suscepi audacter. Sed progrediendum. Quamobrem ut antea ad primos Graecorum choros retrogres-

si

ſi ſumus, ſic et nunc ad antiquiora gentium Germanicarum tempora redeamus. Et est hoc quidem primum obſervatu dignum: nam ut tragoedia Graeca e festis Bacchicis orta est, ſic quoque ludi Germanorum ſcenici e festis religioſis exſtiterunt. Etenim antiquisſimis gentium Germanicarum temporibus, cum nullus etiam tum ingenii cultus apud eos haberetur extra Clerum et Sacerdotes: populo effingi ſolebant historiae ſacrae, ad festa Christiana pertinentes. Qualia historiae ſimulacra primum, ut videtur, tabulis pictis tradebantur, deinde vero mutis quibusdam perſonis, res gestas effingentibus per habitum, vestitum et cetera omnia, quibus posſent oculis hominum ſubiicere ipſas, quales accidisſent, res gestas. Quae cum agerenrur primum ſine voce aut motu corporis ullo, procedente tempore accesſit iis quaedam perſonarum actio et ſermo. Atque hi *ludi mysteriorum* dicti aut in aede ſacra, aut prope eam in hortis agebantur ab ipſis Sacerdotibus. Et ſic quidem aut Christi incunabula efformabantur, aut ipſe etiam Ille in cruce pendens, aut ſanctus aliquis cruenta morte defunctus effingebatur. Quae cum ſaepe ſine ullo ſermone agerentur, erant omnino picturae inſtar confecta, aut operum quorumdam a ſtatuario effictorum ſimillima (48).

Est ergo Graecorum hac in re et gentium Germa-

manicarum discrimen maximum. Graeci enim in religione ſua ad rationem hominis omnia adaptabant, ipſos etiam Deos hominibus ſimiles fingebant. Unde factum est, ut in festis ſacris dominarentur muſica et ſaltatio, quippe quae unice ipſos Graecos delectarent. Apud Germanos contra et Christianos, uti hodieque, ſic antiquo iam aevo isto longe magis ad Deum omnia referebantur et cultum divinum, omninoque non tam ad delectandos, quam ad docendos homines. Quamobrem apud hos ſi ſubinde aliqua accederet muſica, praecipua tamen festorum ratio in eo erat poſita, ut res ſacrae atque historiae ad religionem pertinentes oculis hominum ſubiicerentur, quo posſent facilius Christiani in memoriam ſibi revocare ea, quae ad ſalutem ſuam viderentur necesſaria. Ex qua gentium diverſitate intelligitur, quomodo factum ſit, ut univerſe in ludis ſcenicis Graeci amaverint ſemper cantum et ſaltationem, recentiores populi appetiverint unice historicam effigiem et rerum gestarum actionem (49). Nam ut e choris Graecorum muſicis exſtiterunt muſica ſpectacula, quibus velut intertexta erant quaedam historica; ſic e mysteriorum ludis plane historicis apud recentiores exſtiterunt historica ſpectacula, quibus ſi muſica accederet, adventitia illa erat, et quaſi inſerta ceteris.

Ete-

Etenim illi ipſi recentiorum ſacri ludi ſenſim ſenſimque ex aedibus ſacris in publicum deducti, et a Sacerdotibus ad alios quoscunque poëtas et privatos delati, ſcenam nostram conſtituerunt; unde etiam ratio patet, quare recentiorum antiquisſimi ludi ſcenici ſacras contineant historias. Nam cum ex mythologia ſua Graeci tragici ea deſumſisſent, in quibus elucerent ſenſus quique morales; pariter recentiores poëtae, Vondelii maxime aetate, e S. Codice istiusmodi facta deſumſerunt, quae veram ostenderent pietatem erga Deum, virtutemque illam, quae praeceptis divinis est conſentanea, quaeque eadem illo tempore omnium videbatur pulcerrima. Quam rationem cum ſaepius habeat Vondelius; ipſe magnus ille nostras Hugo Grotius divinum virtutis exemplum in tragoedia propoſuit *Ieſum patientem*. Quamvis autem procedente tempore non ſacrae tantum, ſed et aliae historiae effingerentur, manſit in iis ſemper illa ratio ludorum ſacrorum. Etenim eius aevi poëtae, qui *Rhetorici* vocabantur, duplex habebant ludorum genus, quorum alterum a mutis perſonis agebatur, alterum colloquiis quibusdam cum ipſius rei effigie coniunctis continebatur: utrumque autem vel e ſacris literis petitum erat, vel certe, pro illius aetatis ratione, morale quoddam habebat propoſitum. Quod cum

cum ſaepe allegoriarum ratione fieret (50), inde factum est, ut in plurimis eo tempore fabulis ipſa aut virtus, aut pietas, aut vitium, aut crimina, tanquam perſonae in ſcenam prodirent. Et ex his quidem Rhetoricorum ludis exſtitit Vondelii aetate et conſtituta fuit tragoedia Belgica. Namque horum poëtarum ſchola Amſtelodamenſis aedem ſibi exſtruxit, in qua deinceps agerentur isti ludi. Atque in hoc theatro prima fabula acta est haec ipſa Vondelii tragoedia *Gysbrecht van Aemſtel* (51).

Quae cum ita ſint, facile perſpicimus, qualis tandem futura fuisſet Vondelii tragoedia, ſine Graecorum imitatione. Nam cum tria maxime ex antiquis illis ludis ſacris in ſcenam esſent traducta, rerum gestarum actio, et quaedam earum effigies ſive mutis perſonis ſive colloquiis facta, denique religioſus aliquis fabularum habitus; haec profecto formam conſtituisſent tragoediae nostrae, niſi Graecorum accesſisſet imitatio. Et vero talem habuerunt originem Franco-Gallorum tragoediae, quae cum primum ludi plane historici esſent, postea, quamvis ad maiorem poëſeos vim increscerent, manſerunt tamen ſemper ſpectacula historica, quorum omnis praeſtantia est in rerum gestarum actione, ita efficta, ut virtutis excellentia et vitii foeditas ex ipſo pateant rerum eventu (52). Quamvis ergo in multis Graecos imi-

imitatus ſit Vondelius, in plurimis tamen refert ſui temporis rationem; quae adeo rite tenenda ſunt, ſi velimus eius tragoediam ad Graecorum rationem exigere. Et primum quidem, quamvis haec, de qua dicimus, tragoedia ex libris ſacris petita non ſit, ipſam tamen historiam, quantum potuit poëta, ad ſacram religioſamque rationem accommodavit. Ex quo accidit, ut maxima pars fabulae contineatur iis, quae aut ad monasterium aguntur, aut ab ipſis Sacerdotibus dicuntur, aut denique de aede ſacra eiusque ministris referuntur ab aliis (53). Et propter eamdem causſam poëta eam rem factam esſe finxit festo quodam die Christianorum et in media celebratione nati olim Christi. Quamvis enim huic rei fingendae anſam praebere potuerit Vondelio Virgilius, qui etiam in Troiae interitu festum aliquod memorat; mihi tamen videtur tam magno ſtudio in hac re verſatus esſe poëta, propter ſuam aevique ſui cogitandi rationem. Quare Vondelius urbis nostrae interitum depingens choros interpoſuit, egregios illos ad divini Conſervatoris laudem, minime tamen cum ceteris narrationibus et urbis clade coniunctos (54). Quae ſacra ratio repetenda est ex illorum temporum et ipſius Vondelii opinione, existimantis, tum demum pulcrum esſe ſpectaculum, ſi religionis Christianae in eo haberetur comme-

mo-

moratio. Alia etiam ex recentiorum ratione orta, et a Graecorum tragoediis diversa, in hoc carmine inveniuntur. Nam uti Graecorum chorus, aurium praesertim sensui placens, per cantum et musicam, musica effecit spectacula, eodem modo Germanicarum gentium ludi sacri, oculorum sensui unice adaptati per ipsarum rerum effigiem, effecerunt ut recentiorum dramata longe magis essent spectacula oculis exhibita, in quibus ipsae res agerentur et coram spectari possent. Cum igitur Graeci non tam res gestas imitati essent, quam potius homines eorumque et vocem et habitum; recentiores contra ipsa imitari maluerunt facinora et historiae effigiem facere per actionem: et omnino illi omnia ad musicam saltationemque referebant, quae sensuum affectuumque imitationem per vocem et corporis motum continent; hi vero imaginem praebuere vitae communis, quae est quaedam actio eorum quae in historia referuntur. — Ab hac vero universa recentiorum ratione multum differt Vondelius propter antiquorum imitationem: attamen idem et colloquia multa habet, qualia erant illo tempore in Rhetoricorum ludis, sine saltationis aut musicae suavitate; et cum plurima Graecorum more narrasset de urbis interitu, eorum partem aliquam ita in scena proponere voluit, ut ipsae res gestae oculis subii-

cerentur. Quo quidem confilio effinxit illud fpectaculum caedis, in facra aede factae (55). Cuius ratio cum ex antiquis illis mysteriorum ludis, aut posteriorum Rhetoricorum fpectaculis defumta fit, neque ullam vocem audis, neque ullum cum voce coniunctum corporis motum vides, fed res ipfa ita effingitur, ut dubites, hominesne videas an ftatuas, et ex lapide excifam illius caedes effigiem. Quod ipfum cum Vondelio maxime placuerit, quantopere tamen a Graecorum ratione diverfum fit, fponte patet. Neque vero minus in eo mihi videtur a Graecis differre Vondelius, quod tragoediam confideravit, non tanquam fpectaculum muficum, fed tanquam fpectaculum historicum. Etenim poëta eo unice propofito hanc confecit fabulam, ut, cum novum aedificaretur Amftelodami theatrum, civibus fuis historiam antiquam eius urbis exhiberet, quod ut rite ageret, exemplum fumfit ex Virgilii Aeneide et Troiae interitu (56), ad quam epicam rationem tragoediam fuam accommodavit. Cui rei cum fimile quid conaretur efficere Aefchylus, alio prorfus modo id peregit. Nam cum vellet Graecorum de Perfis victoriam celebrare, non ipfius victoriae effigiem dedit, fed Perfas potius induxit de patriae fuae interitu lugentes, quod longe magis est muficae confentaneum (57). Vondelius

con-

contra hanc praecipuam ſibi legem ſcripſit, ut antiquae urbis hiſtoriam traderet. Quamvis enim chori carmina interpoſuerit, quae ipſa vehementer dubito num vere dicam muſica; longe tamen maximas partes agunt ceteri hiſtriones, narrando colloquendoque: quos eodem modo excipit chororum cantus, uti apud Franco-Gallos et apud nos etiam actorum partes excipit muſica, ab ipſa fabula ſeiuncta. Quamobrem apud Vondelium chorus intermedius tantum est, et qnaſi adventitius, quo demto, naturam tamen ſuam tragoedia ſervat, neque ullo modo mutilatur: est enim ſpectaculum hiſtoricum, in quo et abesſe et adesſe muſica poteſt. Qua in re quantopere haec tragoedia a Graecorum dramatibus differat, facile ſentis. Ne vero mireris, mi Luci! quod Vondelius hanc muſices vim minus ſit imitatus. Haec enim uti univerſe maxima in omnibus erat apud Graecos, ita apud nos in ceteris parva esſe ſolet; dominatur in ſola laetitia, et hilarioribus festis, atque ad animum relaxandum pertinet.

Itaque ex minori recentiorum gentium erga muſicam amore factum est, ut tragoediae non ſint muſica certamina, neque chori rationem referant, aut pertineant ad cultum ſacrum, et ad Deum cantu et ſaltatione celebrandum. Contra, Vondelii aetate Rhetoricorum ludi certami-

na erant, in quibus praemium reportabant ii, qui aut quaestionem aliquam solvissent optime, aut qui maxima pompa et scenae ornatu rerumque effingendarum solertia ceteros vicissent (58). Ex qua observatione intelligitur, quare neque apud Vondelium, neque apud plerosque recentiores tantus sit aut cantus aut corporis motus, quantus apud Graecos. Namque apud hos vocis sonus efficacissimus erat, vehementior corporis actio: quod utrumque musicae saltationisque summam vim tragoediis addebat. Apud nos vero vox ipsa histrionum eorumque actio ad oratorum dictionem gestumque accedit, nisi forte in eo differat, quod cum versus dicantur, aliqua in iis sit harmonia maior, et rhythmus aliquis, atque levissimus cantus et perquam obscurus.

Quamobrem, mi Luci! quo magis hanc Vondelii tragoediam considero, eo magis mihi persuadeo, habere eam longe plurima, quae, si ad universam tragoediae Graecae rationem exigantur, diversa ab ea sint, nec raro ei plane contraria: quae cum habeat ille cum ceteris recentioribus tragicis aut partim aut prorsus communia, ea repetenda censui ex ipso gentium recentiorum ingenio atque historia. Spirant haec autem, ut mihi quidem videtur, excelsiorem quamdam indolem, magisque virilem referunt habitum. Nam ea ipsa maior gravitas tragoediae

Von-

Vondelianae minusque in recentioribus musices studium ostendit horum provectius ingenium. Etenim, ut antea dixi, vocis sonus vehementior et incitatus ille motus corporis, qui cantum faciunt et saltationem, proficiscuntur ab affectuum vehementia; quos ergo si compescat ratio, et in eos dominetur, vox ipsa temperata, omnisque actio sedata fit magis: qualis cum universe apud nos habeatur, in scena quoque minor esse musica debuit atque saltatio. Praeterea histrionum actio, uti diximus, ad oratoris dictionem gestumque accessit: atque eo ipso maxime ab eloquentia differt poësis, quod haec magis a sensu proficiscitur, illa iudicio et ratione regitur. Quodsi igitur poësis externum habitum induat eloquentiae, nonne et ipsa dicenda est ad rationis imperium sese componere et magis virilem ostendere gravitatem? Et sic quidem, quantum ordinis sensu et temperatiore actione Orientales superarunt Graeci, tantum rationis moderamine et morali hominis praestantia ipsos Graecos superant recentiores. Nec vero gravior ille atque virilis habitus alienus est ab interna ratione et velut indole tragoediae recentioris. Haec enim non affectuum ardorem pingit, sed ipsa observat hominum vitia, virtutes celebrat a rationis imperio profectas et a sensuum temperantia; quales ipsa praecipit hominibus divina ratio atque

Dei

Dei voluntas. Itaque Vondelii tragoedia et interno et externo habitu sedatum magis animum ostendit et iudicio temperatum rationis; Graecorum tragoedia affectuum vigorem habet et effusam magis musicam ex affectuum vehementia ortam. Verbo: Graeci in omnibus sensuum ardorem ostendunt, et vigorem adolescentiae; Vondelius ad rationis perfectionem accedit et virilem maturitatem. Sed finem nunc imponam huic orationi, et iam me huc pervenisse gaudeo; maximas enim nunc itineris difficultates superavimus. Quare paululum a labore desistamus, respicientes in cursum illum, quem iam peregimus.

L. Et vero suavis ille respectus mihi accidit; tibi vero longe suavissimus, qui me huc perduxisti.

M. Itaque cum Graecorum tragicam Musam puellae similem dixerimus, aut Dianae apud Homerum, quae saltat in campis et canit cum nymphis, pulcris puellis, ipsa longe pulcerrima; haec contra Vondelii Musa Veneri illi Virgilianae similior est, quae *vera incessu patuit Dea.* Neque enim aut canit semper, aut saltat, sed matronae instar gravitatem quamdam habet atque maiestatem. Cumque Graeca illa Musa affectus quosque amabiles in facie vultuque ostendat, haec contra velut matrona quae-

dam

dam vitii contentum et virtutis ſublimitatem in excelſa fronte gerit. Neque tantum oblectat, ſed ſimul etiam docere ſtudet; niſi forte dicas, hoc esſe oblectamentum omnium maximum, ſi hominum animi ad virtutis admirationem rapiantur et ſui maxime ſenſu elati ad probitatem ducantur et veram Dei obedientiam (59). *L.* Magna profecto in Vondelio fuit animi excelſitas, et, ut bene dixisſe mihi videris, matrona quaedam est illius Muſa, non levis aliqua puella. Itaque hac ſenſuum ſublimitate Graecos ſuperat Vondelius: nonne? *M.* Plane tibi asſentior. Et omnino uti in artibus, ita etiam in hominum moribus apud recentiores gentes est quaedam excelſior ratio. Minus hae palam ſenſibus ſe ſuis libere tradunt, ratione magis reguntur, neque pulcrum amare ſolent, niſi in eo, quod ſimul bonum ſit ſanctumque. *L.* Est igitur hac in re Graecis potior habendus Vondelius? *M.* Et hoc quoque concedendum videtur. *L.* Cave vero, mi Marce! ne tibi ipſe contradicas. Meministine adhuc, quodnam totius huius disputationis initium nobis fuerit? Sed, ſi vis, ipſe in memoriam id tibi revocabo. Dicebas enim, in Graecis omnium maximam esſe pulcritudinem, qualem Vondelio tu praeferendam cenſebas, quod cum ego negarem, inde disputatio haec nostra exſtitit. Nonne tale quid

re-

recordaris? *M.* Recordor, ſic factum est. *L.* Nunc vero dicis, esſe excelſius quid in Vondelio quam in Graecis. Et vero pro eo, quo es, pulcri et amore et iudicio ſano, quod excelſius est, idem etiam praeferendum putabis? *M.* Tu vero, callidisſime! neque Ulysſi nec Vosmaerio etiam Vondeliano cedis ſolertia: nam laqueis expanſis nunc, meorum verborum ſono repercusſo, me allicere ſtudes et irretire. Sed feliciter nunc accidit, ut tuas artes antea perſpexerim: neque iterum me in angustias rediges. Habeo enim quod tibi reponam. Dic vero antea mihi: nonne puellas et tu quoque amas? *L.* Imo vero amo magnopere. Sed ne me argutiis tuis a via deducas; de Vondelio enim, non de puellis, dicimus. *M.* Hoc vero etiam reſpondeas: nonne eas magis amabiles et pulcras dicis, quam gravem aliquam matronam: et hanc reverentia, illas amore proſequaris? *L.* Recte de me cenſes. *M.* Etenim in puellis maior est alacritas, et habitus motusque vigor, et elegantia, et praeſertim maior ſenſuum efficacia, et naturae ſimplicitas: nonne? *L.* Et omnino, ut iam dixisti, magis ſunt amabiles. *M.* At vero haec eadem mecum conſentis in Graeca tragoedia longe esſe praeſtantiora, muſices ſuavitatem ſaltationisque elegantiam, et vero ſenſuum amabilium omnium commendationem,

et

et quamdam ad animum movendum vim incredibilem. Quare, nisi tibi ipse contradicas, mecum consenties, maiori admiratione dignam esse Vondelii tragoediam, Graecam vero illam esse pulcriorem et omnino amabilem. *L.* Nolo mihi contradicere; tibi potius assentior. Video enim non te, sed me, esse irretitum. At recte dixisse mihi videris. *M.* Et vero universe mihi videntur recentiores gentes in hoc etiam virilis ingenii rationem spirare, quod, cum maiori boni verique studio ducantur, propter id ipsum minori sint pulcri amore. Quodsi vero tibi fingas tragoediam, in qua unice proponatur virtus, neque ulli occurrant sensus aut affectus: in qua praeterea nulla habeatur musica, nulla saltatio et poëseos perparum; possit ea te ad praestantiae humanae sensum efferre, num vero eadem amabilis et pulcra foret dicenda, vehementer dubito. Quamobrem quo magis recentiores poëtae excelsam illam indolem suam et sublimem moralis suae praestantiae sensum amabili Graecorum pulcritudine et nativa elegantia temperarunt, eo quoque placuerunt magis et delectarunt (60). Age vero, Luci! videamus, quomodo id ipsum consecutus sit Vondelius in iis, quae habet eius tragoedia universae Graecorum rationi consentanea.

Nolo nunc dicere de eo, quod ex universa an-

antiquorum lectione profecerit Vondelius; qua factum est, ut ille inter primos fuerit, qui allegoricas perſonas, in Rhetoricorum ludis frequentisſimas, a poëſi et ſcena arceret; utque eius poëſis purior ſit et magis ſincera. Mitto, quid ex Aristotelis aliorumque de Graeca tragoedia ſcriptis didicerit poëta, quo magis morum ſermonumque diverſitatem in diverſis perſonis obſervaret, et actionis temporisque et loci, quam dicunt, *unitatem* diligenter expeteret. Quamvis enim in *Gysbrechto* ſcena aliquantum mutetur, manes tamen ſemper in eiusdem urbis vicinia (61). Praeterea et egregia illa Vosmaerii agnitio, qui cum primum amicus videretur Gysbrechto factus, postea ut infestisſimus eiusdem hostis cognoscitur; et ſubita illa rerum fortunaeque converſio, qua in ſummum infortunium omnes coniiciuntur: haec igitur et alia ſimilia Vondelius ex artis praeceptoribus petere potuit (62). Nos nunc de iis dicimus, quae univerſae rationi tragoediae Graecae convenientia habet poëta. Et primum quidem fabulae ſimplicitatem, eiusque proponendae rationem, qualis apud Graecos erat, imitatus est Vondelius. Ceteri enim recentiores tragici univerſe perquam implicatam habent fabulae conſtitutionem; at Vondelius ſimplicisſimam. Nam praeter agnitionem fortunaeque converſionem, quas ſaepe etiam Graeci

ha-

habent, res omnes facillime prolabuntur, nullum obiicitur impedimentum, vix ulla est rerum implicatio, aut *nodus*, qui dicitur, *actionis*. Increscit vero semper rerum infelicitas, donec tandem *Gysbrechtus* cum suis in exsilium aufugere cogatur. Quodsi modum spectes, quo haec omnia proposuit poëta, et hac in re antiquorum refert rationem. Hi enim solebant ipsos quidem homines dramatice proponere, res gestas vero et eorum fortunam poëtice enarrare. Contra recentiores ipsas res gestas oculis subiiciunt; in quo iis similis est una huius tragoediae effigies: quamquam haec tacita est, et sine colloquiis, qualia semper adsunt in Franco-Gallorum dramatibus. Sed praeter hanc rerum effigiem Vondelius ita Graecos imitatus est, ut res gestae ab eo narrentur in scena et audiantur poëtice relata, non vero exprimantur per actionem et colloquia (63). In quo tamen observandum est, hanc rerum narrationem apud Vondelium tragoediae partem occupare maiorem, quam quae solet esse apud Graecos. Quod ortum exinde mihi videtur, quod Vondelius historiam maxime spectaret in suo carmine narrandam; Graeci contra unice vellent sensus affectusque hominum exhibere; quo ipso factum est, ut ad animum movendum esset aptissima eorum tragoedia. Sed vel sic tamen ad animi quoque com-

commotionem multa ex Graecis Vondelius desumsit. Nam cum illa urbis Amstelodami historia nullis fere sensibus amoris aut caritatis esset conspicua, poëta ex ingenio ipse suo Gysbrechti et fratrem et uxorem et liberos effinxit et totam familiam; ut posset sensus omnes naturales sub illorum hominum persona exprimere, atque effingere in scena (64). Atque ita quidem Graecorum imitatione ductus poëta historiam, quae nihil nisi politicas et bellicas res continebat, redegit ad familiae historiam, qualem unice in tragoediis suis referre solebant Graeci. Unde factum est, ut apud eum et sollicita uxor et moribundus frater et infelices cives et miseri liberi saepe audiantur in scena atque agant. Uti autem apud Graecos, sic quoque apud Vondelium, quo magis ad finem tragoediae procedis, eo et illa affectibus plenior est, atque tandem in ultima scena sensuum significatio tanta fit, ut nihil fere addi posse videatur ad animi commotionem. — Quae quamvis ita sint, potuisset tamen poëta propius etiam accedere ad Graecorum rationem. Nam cum moribundus in scenam proferatur Gysbrechti frater, pauca tantum ad huius rei luctum significandum proferuntur (65): cuius rei simile si accidisset in antiqua tragoedia, continuo omnes de eius morte lugentes triste quoddam carmen cecinissent. Pari-

riter in fine tragoediae, cum e patria decederent exſules, magis etiam ad ſenſum commovendum feciſſet poëta, ſi lugubri quodam cantu tristes illos deperditae patriae ſenſus effudiſſent perſonae, uti ſimiles apud Euripidem exſules patriae cladem deplorant (66).

Videamus autem, qualis ſit apud Vondelium vis poëſeos, muſicae atque ſaltationis. His enim tribus artibus diximus antiquam contineri tragoediam. Et poëſis quidem tanta in eo est, ut eius tragoedia vere dici posſit ſpectaculum poëticum. Quanta enim haec est in choris, qui ſunt vera carmina lyrica et odae praeſtantisſimis Graecorum choris aequiparandae. Neque in his tantum, ſed in ipſa etiam historia et effingenda, et more poëtico ornanda, Vondelius nulli cedit antiquorum. Nam uti Graeci, ita quoque Vondelius, naturarum divinarum et mortuorum maniumque et ſomniorum commemorationem in tragoediam induxit, quippe quae ad poëſeos ornatum valde prodesſent. — Quod tantum abest ut ego improbem, ut hinc potius pulcerrima quaeque in hoc dramate loca orta esſe existimem. Quid enim pulcrius esſe potest, quam illa ſomnii enarratio, quam facit Badeloch? (67) Quid poëticum magis et Vondeliano ingenio dignius, quam liberati ex maximis angustiis Gysbrechti deſcriptio, qui divino il-

illustratus lumine, et voce coelitus audita admonitus, ex mediis eripitur periculis, ad ſuosque redit? (68) Quid tandem effingi poteſt ad poëſeos ornatum excelſius, quam angeli illius ad Gysbrechtum ſermo, praedictionem continens ſuaviſſimam de futura Amſtelodami gloria?

Itaque ſi quantam poëſeos, tantam quoque muſicae vim haberet haec tragoedia, egregie antiquorum rationem expreſſiſſet Vondelius. At vero, quod antea iam vidimus, univerſe apud recentiores cantus in meram oratoris dictionem abiit, quod apud Vondelium non tantum in colloquiis habetur, ſed in choris etiam; niſi quod unum chori carmen, ad religionem pertinens, in aede ſacra cantatur ad inſtrumentorum modulationem (69). Sed quod frequentiſſimum eſt in Graeca tragoedia, ut quotiescunque perſonarum ſenſus increſcant, toties canere incipiant et muſicae vi ſenſus ſuos exprimant, id nusquam in hac tragoedia invenio, niſi forte aliquam eius rei levem ſimilitudinem habeant pauci ii verſus, qui dicuntur de mortuo Petro (70). Choros autem, quos induxit Vondelius, totos deſumſit ex antiquae tragoediae ratione, in quibus adeo per metri brevitatem et verſuum numeros lyricae poëſi convenientes, aliquam induxit muſicam, aut certe hos verſus cantui aptos reddidit. Nec potuit tamen eo pervenire

Von-

Vondelius, ut antiqui Graecorum chori rationem prorſus exprimeret. Hic enim et unus erat et conſtanter in ſcena verſabatur, cuius cantus, quamvis exceptus ille quidem a ceteris histrionibus, praecipuam tamen tragoediae partem conſtituebat, muſica et ſaltatione animos hominum commovens atque omnia ducens. Contra apud Vondelium, ut iam diximus, adventitius est chorus et ceteris partibus additus atque ſubiectus. Quare neque unus aliquis est chorus, ſed plures ſunt cantantium turbae, neque in ſcena ſemper verſantur, ſed, uti ceteri histriones, in ſcenam prodeunt et, postquam dixerunt, decedunt: neque hi magis efficiunt praecipuam tragoediae partem, quam muſica illa, quae aliis recentiorum dramatibus interponitur. Praeterea autem plerique in hac tragoedia chori ad ipſam fabulam non pertinent, ſed ad ſacrum illud festum, cuius opportunitate accidisſe hae res finguntur. Duo autem chori hic nominandi ſunt, quibus ad Graecorum rationem proxime accesſit poëta, alter virginum Amſtelodamenſium, alter principum virorum: uterque ad animum movendum aptisſimus (71). Nam virgines illae prodeunt, dum gaudent omnes de hostium fuga et urbis liberatione. Canunt igitur et ſuorum civium fortitudinem Deique bonitatem celebrant, atque ita magis etiam exprimunt id ipſum, quod in

prae-

praecedentibus ſcenis laetum acciderat. Atque eodem modo alter chorus mirifice facit ad ſenſus augendos: nam, dum Gysbrechti uxor de marito abſenti queritur, metuitque, ne iam ſit mortuus, chorus omni vi poëſeos amorem coniugalem celebrat, et foeminae huius infelicitatem luget, Deumque precatur, ut ſalvum reducat Aemſtelium.

Uti vero ſaepe apud nos a poëſi ſeiungitur cantus atque muſica, ita fere ſemper ei deëst ſaltatio. In quo a natura paulatim deflexímus propter affectuum temperantiam. Quodſi enim naturae conſentaneum est, ut ſingulis verbis quidam peculiaris pro dicentis affectu adſit vocis ſonus et motus corporis, verba autem in artem abeunt atque poëſin; quidni eodem modo vox ipſa in cantum mutetur, motus autem corporis in ſaltationem? Itaque cum apud Graecos histrionum actio quoddam esſet ſaltationis genus, incitatius in choro, in ceteris lenius, Vondelius contra actionem habet, quae vix ullam ſaltationis ſpeciem refert, ſed eloquentiae ſpirat gravitatem. Quamobrem illi ipſi choro, qui muſica ratione cantatur, non magis adest ſaltatio, quam iis hymnis, quos ſolemus in aede ſacra cantare ad celebrandum Deum. Quae vero apud Graecos ad ſaltationem tota pertinebat vis imitationis, haec apud Vondelium ita a ſaltatio-

ne

ne recesſit, ut ipſae res tacita quadam effigie ostendantur, in qua ne levisſimus quidem corporis motus cernitur. Hinc ergo factum est, quod colloquia in eius dramate familiarem ſermonem plane referant: hinc, quod et parcius prodeant, et minori vi imitandi inſtructae ſint perſonae, quae ſuos ipſae ſenſus ſuosque affectus non tantum colloquendo, ſed et ſecum invicem agendo, exprimant: hinc, quod chori in hac tragoedia neque agant ipſi, neque opitulentur ceteris histrionibus, aut ullo modo cum dramatica fabulae ratione ſint coniuncti.

Sed quod primo quodam loco fuerat dicendum, id nunc postremo obſervemus, quomodo Vondelius antiquos imitatus ſit in affectibus ſenſibusque pingendis. Primum ergo celebranda nobis est patriae caritas, quae est in hoc toto dramate egregia. Nam ut antiqui, ſic etiam Vondelius patriam ipſe ſuam (72), et praeſertim urbem Amſtelodamum, eximie celebravit, et in fine maxime atque ſermone Angeli fortunatisſimam eius conditionem depinxit. Idem vero ille patriae amor, qui in ipſo poëta cernitur egregius, ſummus quoque est in ſingulis perſonis. Nam et Gysbrechtus et ceteri omnes non tantum de urbis libertate gaudent primum, postea de eiusdem clade lugent; ſed et iidem gravisſima pericula laeti adeunt et pro patria mori nulli

dubitant. Quid, quod Gysbrechtus ab arce defendenda ante non desistit, quam ipsius Dei iussu in exsilium abire cogitur! Idem vero fortissimus heros, qui in bello pro patria suscepto nemini parcit, ad suos reversus, est hominum omnium tenerrimus. Pro uxore et liberis carissimis et consanguineis ille magna omnia facere paratus est, mortem adeo crudelissimam pati, si iis possit prodesse (73). Idem quoque postea avunculum Gosewynum, senem venerabilem, ex instanti morte eripere conatur, eumque vult humeris ipse suis sublatum auferre. Quo recusante, ille in genua se coniiciens, atque orans: „ Pater, inquit, ne, quaeso, hoc mihi ultimum eripias solatium: oro te per eum ipsum, cuius es sacerdos, oro te per Christum, ut mihi liceat te auferre!" (74) Tanta erga suos caritate affectus heros, postea pro uxoris liberorumque vita metuit. Sed quali eum animo fuisse existimemus, quum videret fratrem mortuum, mortique proximam uxorem, et filiam hostium libidini iamiam tradendam, et parvulum illum filiolum, suae sibi fortunae nondum conscium? Scilicet cum uxore in exsilium abire nondum sibi licitum esse censebat. Itaque amantissimus coniux coniugem osculatur, et, suarum calamitatum paene immemor, carissimam sibi mulierem omni modo consolari conatur

ei-

eique persuadere, ut suae suorumque liberorum vitae prospiciat. Et omnino est haec postrema tragoediae pars amoris caritatisque sensibus plenissima, in qua ostendit poëta, quam prope ad Graecos accedere posset.

Sed ubique et egregii elucent affectus omnium, et quae cum his coniuncta esse solet, adest nativa illa dicendi ratio et candida simplicitas, quam antea in antiquis admirabamur. Ita enim Vondelius in antiquorum sensus se insinuaverat totum, ut et hanc in iis naturae simplicitatem prorsus exprimeret. Quid enim antiquorum rationi similius, quid simplicius hac comparatione, qua de se utitur mater (75):

De klockhen deckt vergeefs het sidderende kiecken
Voor een' doortrapten vos met schaduw van haer wiecken:
Hij grijptze beide, en stroit de pluimen in den wint,
En koelt zijn' lust, en ruckt de moeder van het kint.

Quid vero magis ipsam refert naturam, quam illud in ultima scena spectaculum; Moestissima propter mariti liberorumque periculum lacrymatur Gysbrechti uxor, adstat ipse Gysbrechtus, adstant item et filia eius et filiolus. Matrem vero lacrymantem videns parvulus ille puerulus: „ Mater! inquit, mater! quid ploras? anne propter patrem meum"? „ Ploro, reponit Badeloch, mi puerule! propter patrem et

propter te et propter nos omnes." Tandem tenerrima foemina, fui amplius non compos propter dolorem, humi delabitur. Tum vero eius filia: „ Eheu, exclamat, pater! eheu! mater mea moritur! heu mihi miferae!" Et omnino cum aliis fenfibus, tum maxime illa antiquis laudatisfima materna caritate celebranda, et in hac tragoedia, et in aliis etiam, fibi placere folebat Vondelius (76). — Quid autem tibi videtur, Luci! num iam omnia enumeravi, quae pertinent ad internos fenfus huius tragoediae?

L. Minime vero, neque enim quicquam dixisti, quod iam diu optaveram, de choro illo egregio:

Waer wert oprechter trou
Dan tusfchen man en vrou
Ter werelt oit gevonden?
Twee zielen, gloènde aen een gefmeet
Of vast gefchakelt en verbonden
In lief en leedt.

M. Recte mones: ego vero ideo te rogabam, ut attenderes eo magis ad hunc fenfum amoris. Est enim ille amor et intima animorum coniunctio inter diverfi fexus homines aliena a Graecorum tragoedia. In hac occurrunt amicorum paria,

ria, qualia fortasſe vix invenias in recentiorum dramatibus: dicas paene de Oreste et Pylade, in duobus corporibus unum inesſe animum; ſed excelſior ille amor, quo fit ut ex duobus diverſi ſexus hominibus unus exſistat homo totus, omnes ſenſus, humanae naturae et virili et foemineae proprios, et ſtudia omnia complectens, istiusmodi amor in Graecorum tragoediis nusquam celebratur (77). Pauci quidam apud ipſos occurrunt coniuges, ſe invicem amantes: attamen haec coniunctio amicitia potius est dicenda, quam verus amor. Sic pro Admeto moritur Alcestis, non tanquam pro coniuge coniux, ſed tanquam pro amico foemina amicisſima (78). Contra vero novisti, quam celebris ſit in recentiorum dramatibus amor, quamque ille paene ſemper maximas in iis partes agat (79). Apud Vondelium autem nullus est ſenſus, qui tam egregie elucet, quam idem ille amor. Hic ipſam in Gysbrechti uxore vincit maternam caritatem; hoc amore ducta mulier anxietate gravisſima cruciatur: et qui ſolet esſe ſenſuum vehementisſimorum effectus, ut homines caritate ducti, omnia posſe ſibi videantur, hic idem impetus amoris cernitur in Gysbrechti uxore, quae cum marito pugnam adire et iuxta eum mori cupit; quod cum ei negasſet maritus, illa gladium ipſi extorquens, mortem ſibi conſcisce-

re

re mavult, quam carissimum illum virum relinquere (80).

Diximus autem antea, cum naturalibus istiusmodi sensibus coniunctam esse dictionis simplicitatem et nativam elegantiam. Et hoc quoque ipsum in amoris illo sensu miratus sum semper in his Vondelii verbis:

Door deze liefde treurt
De tortelduif, gescheurt
Van haer beminde tortel.
Zij jammert op de dorre ranck
Van eenen boom, verdrooght van wortel
Haer leven langk.

Quamquam observandum est in hac Graecorum Vondeliique similitudine, neque apud hunc, neque apud recentiorem poëtam ullum in personarum moribus illam haberi levitatem et volatile illud ingenium, et illum sensuum ardorem, saepe nimium et ad vindictam usque furentem, qui proprius est antiquorum personis. Est vero maior et Gysbrechti et ceterorum constantia, ac virilis quaedam moderatio et sedatior affectus. — Sed aliquando nunc loqui desinam: etenim haec sentiri a te possunt longe melius, quam a me describi aut enarrari. Et vero totum iam diem colloquendo consumsimus. Sol enim ad occasum

ſum vergit, propter curſus ſui hac tempestate brevitatem.

L. Ego vero gratias tibi ago, quas posſum maximas; ſed maiores tamen tibi gratias habebo, ſi unum hoc mihi explicueris. Quod ſi feceris, promitto, me non amplius tibi hodie molestum fore. *M.* Cedo, quid istud? *L* Quae tibi cauſa esſe videtur, cur apud Graecos nondum celebretur amor, qui eximius est apud Vondelium? *M.* Antequam tibi reſpondeam, attendas, quaeſo, num mecum conſentiendum putes. Dixi enim antea Graecos in omnibus ſpirasſe adolescentiae ſenſus atque ſtudia; recentiores vero maturiorem referre aetatem atque virilem. Rectene illud dixisſe tibi videor? *L.* Recte. *M.* Quid igitur, nonne aliqua probabilitate tibi videor ſic ratiocinari? Apud Graecos non tantum ceterae caritates, quas ipſa inter conſanguineos conſtituit natura, ſed omnium maxime floruit amicitia, quippe cum adolescentiae ſtudiis arctisſime copulata, atque eiusmodi illa cuius haec aetas capax esſe videatur. At vero amor ille, quem maturior demum aetas concipit, quique perfectionem continet naturae humanae (81), omni ſua praeſtantia et ſentiri et florere demum coepit apud gentes, quae ad maturioris aetatis rationem pervenerunt. Rectene ita dicere tibi videor? *L.* Recte omnino hanc rem explicare videris.

ris. *M.* Sed quidquid hac de re est; id certe constat, et apud Orientales paene nullam, et apud Graecos parvam muliebris indolis habitam esse aestimationem (82), quae maxima apud nos esse solet. Foeminae Graecae fere in interiore quadam domus parte seclusae vivebant (83), eaedemque a viris tum demum tanquam excelsa indole praeditae laudabantur, non quando amabiles quosque muliebris animi sensus ostenderent, sed quando viris se gererent simillimas, fortes et imperterritas (84). Ille autem apud Graecos vir habebatur omnium praestantissimus, qui se amicitiae traderet totum, coniugium vero non appeteret nisi legibus coactus et reipublicae conservandae studio incitatus (85). Immo vero in Graecorum traditionibus antiquis omnia plena sunt amicitiae sensibus; Germanicarum contra gentium primis temporibus nihil celebrius amore: et si dicendi sunt Graeci fere omnia pro amicis et patria egisse; antiqui illi Germani omnia peragebant pro sanctissima religione et pro foeminis (86).

Vondelium ergo laudo, qui cum Graecorum in sensibus pingendis rationem sequeretur, adderet etiam pulcerrimum illum amoris sensum. Neque tamen minus eundem laudandum censeo propter id ipsum, quod Graecos imitatus sit in exprimendis sensibus, quodque etiam tentaverit mu-

muficam illam atque poëfin, Graecae tragoediae propriam, in fcenam nostram traducere. Nam uti virilis aetatis fapientiam atque gravitatem veneramur, adolescentiae vero vigorem amamus atque fenfuum efficacitatem; ita perfectisfimus ille habebitur, qui cum gravitate coniunxerit amabilitatem. Quam perfectionem asfequetur tragoedia, fi, Graecorum fenfibus imbuti, et muficae faltationisque fuavitate deliniti, poëtae nostri excelfiorem illam rationem fequantur, quae est Germanicarum gentium indoli propria. Quo magis est dolendum, mi Luci! poëtas nostrates post Vondelii aetatem hunc eximium poëtam non esfe imitatos, ad Franco-Gallorum potius exempla fefe conformantes. Vondelii enim vestigiis infistentes, eo accesfisfent magis ad Graecorum fuavitatem, quo fuit melius deinceps explorata Graecorum tragoedia (87). Quod quantopere placere potuisfet nostratibus, ex hac ipfa Vondelii tragoedia aliquantum apparet, quae per duorum paene feculorum decurfum, repetitis quotannis vicibus acta, maiori femper applaufu fpectatur et acclamatione omnium.

Quamobrem, ut a Mufis hoc mane initium cepimus, ita ad easdem nunc revertamur, easque oremus, ut in hac nostra patria Graecorum vigorem, et tres illas amabiles forores, poëfin,

mu-

musicam et saltationem in scenam nostram tragicam reducant. Quid enim cogitari potest sublimius, quam si in scena pingatur adversa hominum fortuna, non a fati cuiusdam, ut apud Graecos, arbitrio pendens, sed ab ipso Dei Optimi Maximi consilio profecta; cuius benignissimam naturam celebret chorus aliquis, semper in scena consistens, et musicae saltationisque suavitate totum replens theatrum? (88) Quid amabilius simul, quam si in adversa illa fortuna non modo excelsissimae effingantur virtutes, sed suavissimi sensus omnes exprimantur: quos et laudet subinde chorus, et quorum impulsu acti ceteri quoque histriones flebilibus cantibus, cum musica et saltatione, animos omnium moveant? Nos vero interim, optime Luci! ex hac nostra velut Musarum aedicula ad Rheno-Traiectinam illam Musarum sedem reversi, Vondelinm nostrum laudemus, quippe qui istiusmodo tragoediam, si minus perfecerit, at inchoaverit tamen, eiusque modum aliis aperuerit.

L. Haec ego tecum, ut amicus cum amicissimo iuvene, et opto et ex animo precor. Neque unquam Vondelium laudabo, nisi Graecorum venustatem eorumque in Vondelium vim eximiam simul celebrans.

~~~~

AN-
~~~~

ANNOTATIO.

A N N O T A T I O.

P. 13. (1.) Aristoteles, Poëtica, Oper. II. p. 504, F. c. edit. Aureliae Allobrogum, 1605.

(2) Id ibid. G.

P. 15. (3) Aeſchylus, Prometh. vinct. vs. 1001 ſeqq. edit. I. G. de Pauw, Hagae 1745.

(4) Πρὸς δ᾽αὖ τοὺς ξένους διανοητέον ὡς ἁγιώτατα ξυμβόλαια ὄντα· σχεδὸν γὰρ πάντ᾽ ἐςὶ τὰ τῶν ξένων καὶ εἰς τοὺς ξένους ἁμαρτήματα παρὰ τῶν πολιτῶν εἰς θεὸν ἀνηρτημένα τιμωρὸν μᾶλλον. Plato, Legg. p. 729. E. Quod in Supplicibus ipſe ſignificat Aeſchylus vs. 351.:

Βαρύς γε μέντοι Ζηνὸς ἱκεσίου κότος.

P. 16. (5) Egregie pingitur haec regis dubitatio Aeſch. Suppl. vs. 384. ſeq.

(6) Id. ibid. vs. 613. ſeqq.

(7) Sophocles, Philoct. vs. 1251. ſeq. edit. R. F. P. Brunck, Argentorati 1786.

(8) Euripides, Ion. vs. 1045. ſeqq. ed. Beckio, Lipſ. 1779.

(9) Sunt verba cl. van Heusde, Orat. *de Pulcri amore* p. 18. Annal. Acad. Rheno - Traiect. ann. 1817 - 1818. Conferatur eximius locus Platonis Sym-

Sympof. p. 179. A. Ἐρῶν γὰρ ἀνὴρ ὑπὸ παιδικῶν ὀφθῆναι ἢ λιπὼν τάξιν, ἢ ὅπλα ἀποβαλὼν, ἧττον ἂν δήπου δέξαιτο ἢ ὑπὸ πάντων τῶν ἄλλων· καὶ μὴν ἐγκαταλιπεῖν γε τὰ παιδικὰ, ἢ μὴ βοηθῆσαι κινδυνεύοντι, πρὸ τούτου τεθνάναι ἂν πολλάκις ἕλοιτο. Ita enim, e coniectura Cl. van Heusde, locus legendus omnino videtur.

(10) Eurip. Hecub. vs. 347. feqq. quem locum breviter illis verfibus expresfit Horatius Od. III: 27. vs. 63. feqq.

P. 17. (11) Hoc rite de Solonis legibus obfervatur in opere: *Voyage du jeune Anacharfis en Grèce* I. p. 112. feqq. à Paris 1790: *Solon s'est proposé dans toutes fes lois le bien général de la république, plutôt que celui des particuliers* etc.

P. 18. (12) Soph. Oed. tyran. vs. 587. feqq. Idem vero ille Creon alibi etiam occurrit tanquam patriae amoris plenisfimus, Soph. Antig. vs. 178. feqq. Conf. Aefch. Septem contra Thebas vs. 1013—1033, ex quo postremo loco patet, maiorem etiam patriae quam iustitiae habitam esfe rationem apud Graecos, aut potius id omne eos iustum cenfuisfe, quod pro patria fieret, quod contra patriam, iniustum.

(13) Eurip. Iphig. in Aul. vs. 1388. feqq.

P. 19. (14) Eurip. Troad. vs. 1294. feqq., 1316, 1325. feqq.

(15) Aefchyli Perfae.

(16) Vid. Eurip. Phoenisf. vs. 1365. feqq., Aefch. Perf. vs. 302. feqq. et Septem ad Thebas vs. 381. feqq.

(17) Exemplo fint quae modo ex Troadibus attulimus. Ceterum vid. Eurip. Iphig. in Aul. in fi-

fine, Soph. Oed. Col. vs. 1518. feqq. et aliae tragoediae maxime in fine. In Aefchyli Eumenidibus continue iniicitur mentio Areopagi.

P. 21. (18) Apud Thebanos adeo, teste Plutarcho, in Pelop. Oper. I. p. 287. edit. Francofurti 1620, habebatur facra cohors, ex istiusmodi iuvenibus conftans, qui amicum fibi quisque haberent, pro quo omnia agerent, quocum et viverent femper et pugnarent. — Ceterum de hoc argumento conf. doct. Bax, *de Nat. fimpl. in Eurip. Oreste* p. 57. feqq.

(19) Aefchyl. Choëph. vs. 899. feqq.

(20) Eurip. Orest. vs. 730. feqq.

P. 22. (21) Ibidem vs. 1072, 1074. Ceterum hanc totam rem ita expofuit doct. Bax, l. l. p. 46. feqq. ut nihil addi posfe videatur.

(22) Eurip. Iphig. in Taur. vs. 597. feqq. et vs. 674. feqq. Conf. denuo doct. Bax, de hoc amicorum certamine: de quo etiam cecinit Ovidius Epift. ex Ponto III: 2. vs. 85. feqq. Conf. item Cicero, Laelio c. 7.

(23) Soph. Philoct., ubi principes perfonas per totam fabulam agunt hi duo amici expeditionem facientes, uti idem Ulysfes apud Homerum cum Diomede.

(24) Eurip. Alcest. vid. praefertim vs. 510—570.

(25) Eurip. Herc. fur. vs. 1198. feqq. Conf. doct. Bax, l. l. p. 53. feqq. Ceterum in illo Euripidis loco, praefertim vs. 1154. fqq. egregie apparet celebratisfimus ille apud antiquos et maxime apud Platonem amicorum pudor: nam ibi Hercules The-

fe.

seum adventantem videns, tegit caput ne pudore perfundatur, si amicus adspiciat ipsum liberorum occisorum sanguine etiamnum foedatum.

P. 23. (26) Soph. Oedip. Col. vs. 1414 seqq.

(27) Eurip. Phoenisf. vs. 166. seqq.

(28) Ibidem vs. 1451. seqq.

(29) Aesch. Septem contra Thebas. vs. 1021 seqq.

P. 24. (30) Soph. Antig. vs. 449. seqq.

(31) Eurip. Phoenisf. vs. 1653. Huic sententiae non dissimile est eiusdem puellae effatum apud Sophocl. Antig. vs. 73.:

Φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα.

(32) Soph. Electr. vs. 1126. seqq.

(33) A. Gellii Noctes Att. VII. 5.

(34) In quo loco elaborando tres tragici suam ostenderunt facultatem; vid. Aeschylus Choëph. vs. 233. seqq., Sophocles Electr. vs. 1222. seqq., Euripides Electr. vs. 570. seqq.

(35) Quomodo occurrat eadem denuo in Euripidis Oreste, vid. doct. Bax, pag. 62. seqq.

P. 25. (36) Eurip. Iphig. in Taur. vs. 473. seqq.

(37) Ibidem vs. 815. Ceterum haec Iphigenia pro fratre potius ipsa mori vult, quam hunc interfici, vs. 998.; similis in eo Macariae, quae pro fratribus mortem oppetere non dubitat, Eurip. Heraclid. vs. 530. seqq. Digni quoque sunt, qui de hoc argumento legantur, Sophoclis Aiace vs. 992. seqq., ubi est fratris lamentatio de mortuo Aiace.

(38) Aesch. Eumen. vs. 655. seqq., Eurip. Orest., vid. Bax p. 25. seqq.

(39)

(39) Aeſch. Choëph. vs. 896. ſeqq. Conf. de Oreste etiam Euripidis Electr. vs. 967. ſeqq.

P. 26. (40) Egregie hanc rem explicuit doct. Bax, p. 82. ſeqq. Ceterum quod iam dixi, mihi videtur illud ipſum vindictae ſtudium ex patriarchica ratione et familiae caritate ortum. Quare apud Orientales et Arabes praeſertim frequentius etiam et maius cernitur, quippe qui multo etiam magis quam Graeci patriarchica ratione teneantur et familiae conditionem in omnibus ſectentur,

P. 27. (41) Eurip. Electr. vs. 151. ſeqq. Similia ſunt eiusdem verba apud Sophoclem, Electr. vs. 107. ſeqq.:

— τεκνολέτειρ᾽ ὥς τις ἀηδὼν,
Ἐπὶ κωκυτῷ, τῶνδε πατρῴων
Πρὸ θυρῶν, ἠχὼ πᾶσι προφωνεῖν.

(42) Ut in Eumelo ob mortuam Alcestidem plorante, Eurip. Alcest. vs. 394. ſeqq. et in Antigone comitante patrem infelicem in exſilium, Eurip. Phoeniſſ. vs. 1678. ſeqq. et postea lugente eiusdem mortem, Soph. Oed. Col. vs. 1670. ſeqq.

(43) Soph. Aiace vs. 845. ſeqq. In quo longe etiam maior pietatis ſignificatio ineſſe mihi videtur quam in Niſo, qui periculum ſubiturus matrem cogitat, apud Virgilium, Aeneid. IX. vs. 283. ſeqq.

(44) Soph. Aiace vs. 530. ſeqq.

P. 28. (45) Uti Creon apud Euripidem, Phoeniſſ. vs. 970. ſeqq.

(46) Uti Oedipus apud Sophoclem, Oedip. tyran. vs. 1462. ſeqq.

(47) Eurip. Iphig. in Aul. vs. 90 – 96.

(48) Eurip. Iphig. in Aul. vs. 1549. ſeqq. et 1577.

(49) Vid. Val. Max. VIII: 11. ext. 6. Conf. Cicero, Orat. 22. Plinius autem Hiſt. Nat. XXXV: 10. refert hanc picturam oratorum laudibus celebratam esſe.

(50) Hoc argumentum eximie explicuit Bax, p. 25.

P. 29. (51) Soph. Trachin. vs. 303. ſeqq.

(52) Eurip. Iphig. in Aulide vs. 621. ſeqq.

(53) Ibid. vs. 1173. ſeqq.

(54) Soph. Antig. vs. 1244. ſeqq. Conf. de hoc argumento doct. Bax, l. l. p. 26. ſeqq. Ceterum haec quoque caritas in Atosſa cernitur, Aeſch. Perſ. vs. 290. ſeqq.

P. 30. (55) Vid. v. c. Aeſch. Suppl., Soph. Oed. Col., Eurip. Orest., Androm. et Herc. fur. aliaeque tragoediae, quibuscum conferatur inter alias Voltarii Brutus, in cuius initio totus adeo ostenditur Senatus Romanus.

(56) Soph. Oed. Col. vs. 1–21.

(57) Quod ipſum praecipit Ariſtoteles, Poët. Oper. II. p. 510. F. Ὅταν δ' ἐν ταῖς φιλίαις ἐγγένηται τὰ πάθη· οἷον εἰ ἀδελφὸς ἀδελφὸν, ἢ υἱὸς πατέρα, ἢ μήτηρ υἱὸν, ἢ υἱὸς μητέρα ἀποκτείνῃ, ἢ μέλλῃ, ἢ τοιοῦτόν τι ἄλλο δρᾷ, ταῦτα ζητητέον. Apud recentiores contra magis politica habetur ratio, quod ipſe animadvertit Brumoy *théatre des Grecs*, tom. II. p. 377. qui idem de recentiori tragoedia dicit, tom. III. p. 165.: *Avouons qu'à force de vouloir annoblir la nature, nous lui ôtons cette fleur, qui faiſoit toute ſa parure dans l'âge d'or.*

P. 31. (58) Eurip. Alcest. vs. 264. ſeqq., coll. Phoe-

Phoenisf. vs. 617. seqq. et Soph. Antig. vs. 891. seqq., et videantur, quae iam diximus de plorante Agamemnone et Oedipo lugente.

(59) Vid. Eurip. Orest. vs. 1510. seqq. et Soph. Oed. tyr. vs. 370. seqq. et 429. seqq.

(60) Eurip. Iphig. in Aul. vs. 35. seqq.

(61) Vid. doct. Bax, l. l. p. 76. seqq.

P. 32 (62) Eurip. Iphig. in Aul. vs. 519 seq.

(63) Eurip. ibidem vs. 317—500.

(64) Vid. Eurip. Herc. fur. vs. 71. seq.

P. 33. (65) Vid. Eurip. Iphig. in Aul. vs. 1220. seqq.

P. 34. (66) *En cela nous sommes audessous des Grecs, qui de leurs héros n'ont pas dédaigné de faire des hommes et du compagnon même d'Hercule un malheureux qui s'abandonne au sentiment de sa douleur. Ce que nous appellons dignité gêne et refroidit la nature.* Marmontel *Poëtique Franc.* P. II. p. 191. Idem dicit Batteux, *Princ. de la Litterat.* III. p. 116, 117.: *Dans les tragédies grecques les caracteres sont en général plus vrais qu' héroiques. Oedipe paroît un homme ordinaire, ses vertus et ses vices n' ont rien qui soit d'un ordre supérieur. C'est la nature choisie, mais dans sa simplicité. Bien loin d'en faire un reproche aux Grecs, c'est un mérite réel, que nous devons leur envier. Notre tragédie est plus riche, plus savante, plus philosophique; mais la leur etoit plus près de la nature; or à la tragédie, et partout, c'est la nature, qui pleure.*

P. 35. (67) Illud complures philosophi, secundum Aristotelicam tragoediae definitionem, probare studuerunt, ex ipso misericordiae et terroris sensu delectationem oriri. Quod quamvis forte explicari probabi-

liter posſit, ipſos tamen poëtas ſi ſpectes, ſimplicius mihi videtur, ſtatuere eos ſenſuum et affectuum ſignificatione delectare voluisſe et movere hominum animos. Hoc ergo propoſitum est tragoediae, modum vero rationemque, qua id perficiatur, conſtituunt miſericordia et terror ſive calamitatum illa enarratio, qua ipſa ſenſus maxime elucebant. De priori illa ſententia vid. Batteux, l. l. III. p. 77. ſeqq. Marmontel. l. l. cap. 12.

P. 36. (68) Quare dixit Ariſtoteles, Poët. Oper II. p. 510 A.: *νῦν περὶ ὀλίγας οἰκίας, αἱ κάλλιϛαι τραγῳδίαι συντίθενται· Οἷον περὶ Ἀλκμαίωνα ——— καὶ ὅσοις ἄλλοις συμβέβηκεν ἢ παθεῖν δεινὰ ἢ ποιῆσαι.*

(69) Vid. praeter alias plurimas vel ſola Euripidis tragoedia Iphigenia in Tauris quae laetisſimum habet exitum.

P. 37. (70) Haec ſaepe est ratio Franco - Gallorum. Vid. Marmontel. l. l. p. 118. ſeqq.

(71) Haec ſaepe in Vondelio ratio cernitur uti postea ostendemus, p. 106.

P. 38. (72) Ariſtoteles, Poët. Oper. II. p. 505. H.



P. 41. (1) Ita iam ſtatuit Ariſtoteles de moribus, Oper. II. p. 81. E.: *Αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς οἷον ἀπαρχαί.*

P. 42. (2) *Κωμῳδία* est a *κώμη pagus* et *ᾠδή*: *τραγῳδία* veriſimiliter derivatur a *τράγος hircus* et *ᾠδή*. Alias de hac voce ſententias habent Vosſius, *Inſtitutionum Poëticarum* II. 11. et Vatry, *Recherches ſur l'origine de*

la

la Tragédie in opere: *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles Lettres*, XV. p. 255.

(3) Aristoteles, Poët. II. p. 504. E.

(4) Quare etiam comoediae sero demum Athenis fuerunt introductae earumque semper minor fuit aestimatio apud optimos quosque Athenienses. Aristoteles, ibidem p. 505. D. Socrates comoediis vix interesse solebat. Aelianus, Var. Hist. II. 13.

(5) Aristoteles, ibid. p. 505. A.

P. 43. (6) Vatry, l. l. p. 257. seq.: *Il paroitroit assez naturel que les poëtes épiques eussent produit les poëtes dramatiques. — Cependant il est certain, que ce fut de la poësie lyrique que se forma la Tragédie.* — Sed materiem fabularum ex Homero aliisque epicis sumserunt tragici poëtae, quare Aristoteles, Poët. l. l. p. 504. A.: ὥστε τῇ μὲν ὁ αὐτὸς ἂν εἴη μιμητὴς Ὁμήρῳ Σοφοκλῆς· μιμοῦνται γὰρ ἄμφω σπουδαίους. Formam vero et originem suam duxit tragoedia e choris Bacchicis, uti diximus secundum Aristotelem.

(7) Cuius generis nobis adhuc superstes est Euripidis tragoedia Bacchae.

(8) Unde explicat Vatry, l. l. p. 261. illud Graecorum proverbium, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον.

P. 44. (9) Ovidius, Fast. IV. vs. 419. seqq.

(10) Theocritus, Idyll. XV. vs. 80. seqq.

(11) Cicero, Legg. II. 14.

P. 45. (12) Hymno in Apoll. vs. 160. seqq.

(13) De hac re eleganter egit doct. Bax, l. l. p. 85. seqq.

(14) *Enitendum omni ope censebant antiqui sapientes, ut quidquid adspicerent, quidquid audirent,*

rent, *quidquid omnino sensibus perciperent pueri*, *id pulcrum esset.* — *Amabunt ita virtutem pueri*, *aiebat Plato*, *ut diu sibi cognitam*, *antequam quid virtus sit ne suspicentur quidem.* cet. Sic cl. v. Heusde, Orat. *de Pulcri amore*, l. l. p. 16, 17.

P. 46. (15) Hoc facile effici potest e choris, qui in tragoedia occurrunt, quique fere distinguuntur in Strophen, Antistrophen et Epodon.

P. 47. (16) Haec descriptio desumta est ex Homeri hymno in Apoll. vs. 157. seqq.

(17) Xenophon. Exped. Cyri. VI. initio.

P. 48. (18) Recte igitur dixisse videtur Bilderdyk, dissert. *Treurspel* in opere *Treurspelen* II. p. 127. : *Het Grieksche treurspel is een dichtstuk*, *en wel een zangerig dichtstuk.* — *Het bestaat in lierzangen*, *doormengd met alleen- en zaamgesprekken.*

P. 49 (19) Apud recentiores imitatio maxime obtinuit non hominum, sed actionum, ita ut hae revera agi viderentur. Vid. Blair, *Rhet. Lessen* III p. 297.

P. 50. (20) Conf. doct. den Tex, diss. *de vi musices ad excolendum hominem e sententia Platonis*, p. 28. seqq. et p. 59. seqq.

(21) Conf. idem p. 58.

P. 51. (22) Vid. Vossius, *I. P.* l. l. p. 92.

(23) Vid. opus laudatum: *Voyage du jeune Anacharsis*, VI. p. 51.

P. 52. (24) *Voyage du jeune Anach.* VI. p. 9, 10.

P. 53. (25) Iambicorum alia dicebantur ad pulsationem instrumentorum, alia canebantur apud tragicos. Plutarch. de musica, Oper. II. p. 1141. A. Conf. Aristot. Poët. Oper. II. p. 505. B. Ceterum de hoc loco egre-

egregie egit auctor operis *Voyage d. j. Anach.* VI. in annotatione: *sur le chant et sur la declamation de la Tragédie*, p. 488. seqq.

P. 54. (26) Cicero Bruto, c. 38., Tusc. Quaest. II. 24. et de Orat. III. 9.

(27) Cic. de Orat. III. 56. Conf. exempla apud Valer. Max. VIII. 1.

(28) Cic. de Orat. III. 59, Orat. 18: e quibus locis patet histriones plurimis corporis motibus res ipsas exprimere magis et demonstare solitos fuisse.

(29) Cic. Parad. III.: *histrio si paullum se movit extra numeros, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur.*

(30) Vid. *Voyage d. j. Anacharf.* VI. p. 84. seqq.

(31) Vid. doct. den Tex, l. l. p. 123. et 143.

(32) Διὸ μίμησις τῶν λεγομένων σχήμασι γενομένη τὴν ὀρχηστικὴν ἐξειργάσατο τέχνην ἅπασαν. Plato, Legg. p. 816. A.

P. 55. (33) *La tragédie Grecque n'étoit, comme l'opéra François, qu'un mélange de poésie, de musique, de danse et de spectacle. Voyage d. j. Anacharf.* VI. p. 105. in annotatione.

(34) Quare Brumoy, l. l. P. IV. p. 432. postremam partem tragoediae Euripideae, quae Troades inscribitur, recte vocat: *un concert lugubre.*

P. 56. (35) Vid. Vatry, l. l. tom. XIX. p. 225, 226. et Fuhrmann, *Handbuch der Classische litterat.* I. p. 253.

(36)

(36) Quinctilianus, I. O. X. 1. edit. Bipont, p. 220.

(37) Vid. Prometh. Vinct. passim, praesertim vs. 93. seqq.

P. 57. (38) Revera diversam esse rerum sublimitatem a dignitate illa quae est in recentiorum tragoediis, patet ex simili, quamvis in contraria re, comparatione. Nam et Racine et Corneille eandem habent in dramatibus suis dignitatem; hic vero sublimior, ille lenior est. Atque eodem modo lenior est Euripides, sublimior Aeschylus, uterque vero sine ulla maiori gravitate simplex atque naturae consentiens poëta.

(39) Sept. contra Thebas, vs. 297. seqq.

(40) Fuhrmann, l. l. p. 252, 253.

P. 58. (41) Plutarchus de profect. virt., tom. II. p. 79. B.

(42) Horatius A. P., vs. 275. seqq.

(43) Vid. *Voyage d. j. Anacharsis*, l. l. VI. p. 34., et qui ibi laudatur vitae Sophocleae Graecus auctor, qui narrat Sophoclem tam multa ab Homero didicisse, ut prae ceteris solus diceretur Homeri discipulus.

(44) Sunt haec desumta e *Biblioth. critica*, I. 4. p. 5.

(45) *Voyage d. j. Anacharsis*, VI. p. 21, 40.

P. 59. (46) Poët. l. l. p. 510. B. Ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατος τῶν ποιητῶν φαίνεται. Contra Blair, l. l. III. p. 315. sic iudicat: *Sofokles is van de drie Griekſche tragedie-dichters de grootſte: hij is de kunſtigſte in de behandeling van zijn onderwerp.* — Ex quorum comparatione patet an-

antiquorum et recentiorum in iudicandis tragoediis diverſitas; illi ſenſuum ſignificationem, hi artis praeſtantiam magis laudare ſolent.

(47) Huius rei exemplum ſit ſermo Phaedrae in Hippol. coron. vs. 373. ſeqq. et Theſei in Supplic. vs. 195. ſeqq.

(48) Haec deſcripſi e *Biblioth. crit.*, l. l. p. 10, 11.

P. 60. (49) Cl. I. Bake, *de prim. Tragicorum meritis* cet.: in Annal. Acad. Lugd. Bat. 1815 - 1816. p. 103.

P. 63. (50) Conf. omnino Marmontel, l. l. p. 155. *Voyez dans les modèles anciens, voyez même dans les règles d' Aristote, en quoi conſistoit le tisſu de la fable: l' état des choſes dans l' avant-ſcène, un ou deux incidens qui amenoient la révolution et la cataſtrophe, ou la cataſtrophe ſans révolution; voilà tout. Aujourd'hui, quel édifice à conſtruire, qu'un plan de Tragédie, où l' on pasſe ſans interruption d' un état pénible à un état plus pénible encore, où l'action — ne forme qu'une chaîne, tortueuſe à la vérité, mais une, ſimple et ſans branche. — Or telle est l' idée que nous avons de la Tragédie à l' égard de l' intrigue.*

(51) Tales ſunt Aeſchyli pleraeque tragoediae, Euripidis multae, ipſius denique Sophoclis nonnullae; quare dixit Blair, III. p. 283.: *Zoodat zij ons ſomtijds al te naakt en ontbloot van gewigtige gevallen voorkomen, b. v. in den Oedipus Coloneus van Sofokles; — doch deze eenvoudige en in ſchijn zoo ſchrale onderwerpen zijn door Sofokles met zoo veel kunst bearbeid, dat zij ten hoogſte aandoenlijk worden.*

(52) Recte peripetiam a nodo distinxit Bilderdyk, l. l. p. 192.: *Dat de peripetie der Ouden onze intrigue of verwarring, noch ook hare ontknooping uitmaakt, ziet ieder;* et quae sequuntur lectu digna.

(53) Hoc de Euripidis Hecuba et Hippolyto observatur, in *Voyage d. j. Anach.*, VI. p. 44. in fine.

P. 64. (54) Est hoc tam verum, ut hanc ipsam ob causam Plato tragoediam improbaverit quippe rationi contrariam et ciendis affectibus aptam, Rep. X. p. 605 seq. Conf. doct. Den Tex, l. l. p. 68.

P. 65. (55) Huius generis est sermo Admeti, aut potius lugubris illius cantatio, Eurip. Alcest., vs. 864. seqq.

(56) Vid. Talthybii narratio, Eurip. Hecub. vs. 488. seqq. Conf. narratio quam dat Phryx ille in Eurip. Oreste, vs. 1369. seqq.

(57) Aeschyli Persae.

(58) Oedip. Colon., vs. 1. seqq.

(59) ibidem, vs. 330.

P. 66. (60) vs. 818. seqq.

(61) vs. 1110.

(62) vs. 1284. seqq.

(63) vs. 1414. seqq.

(64) vs. 1579. seqq.

(65) vs. 1670. seqq.

(66) Idem dicendum de ceteris, quod de Euripidis Alcestide dicit Brumoy, i. l. III. p. 176.: *Quel accroissement de noble tristesse depuis l'ouverture jusqu'au dénouement, et cela sans Episode!*

P. 67. (67) *Na het voleinden der handeling bleef bij de Ouden nog altijd iets over, het beklag naamlijk des treurigen uitſlags: terwijl bij de nieuweren het ſtuk, na de ontknooping, niet ſpoedig genoeg eindigen kan.* Bilderdyk, diſſ. *Treurſpel*, l. l. II. p. 169.

(68) Bilderdyk, l. l. p. 127, 128. de antiqua tragoedia dixit: *dat niet het dichtſtuk om de daad, maar de daad om het dichtſtuk is.* Et contra p. 128, 129. ostendit de recentiori tragoedia: *het ſtuk is geheel om de daad, en de daad niet om het ſtuk.*

(69) De istiusmodi locis recte dicitur, quod obſervat Da Costa de antiqua tragoedia, annotat. ad verſionem tragoediae Aeſch. Perſ. p. 76, 77.: *Het is de dichter zelf die in zijne perſonaadjen ſpreekt.* cet.

P. 68. (70) Huius rei exemplum ſit elegantisſima metaphora Atosſae lamentantis lugentisque, Perſ. vs. 600. ſeqq.

P. 69. (71) Soph. Philoct. vs. 1081. ſeqq.

(72) Eurip. Hecuba, vs. 685. ſeqq. Vid. etiam lugubre carmen Electrae, cum cognovisſet fratri esſe moriendum, Eurip. Oreste vs. 958. ſeqq.

(73) Eurip. Iphigenia in Aul., vs. 1475. ſeqq.

(74) Eurip. Medea, vs. 190. ſeqq.

(75) Vid. v. c. Eurip. Alcest. vs. 425. ſeqq.

(76) Eurip. Orest., vs. 1369. ſeqq.

P. 71. (77) Iphig. in Taur. vs. 123. ſeqq.

(78) vs. 392. ſeqq.

(79) vs. 642. ſeqq.

(80) vs. 827. ſeqq.

(81) vs. 1089. ſeqq.

P. 72. (82) Eurip. Phoenisf. vs. 103. feqq.

(83) Id. Electra, vs. 167. feqq.

P. 73. (84) Id. Iph. in Aul., vs. 590—622. Conf. Electr. vs. 988. feqq. et Orest. vs. 1251. feqq.

(85) Ariftot. Poët. p. 513. E. Horatius, A. P. vs. 193, 194.

(86) Vid. Aefchyli Eumenides et Supplices, Sophoclis Trachyniae, Euripidis Supplices et Troades.

(87) Eurip. Supplic., vs. 278. feqq.

(88) Ibidem vs. 286, 287.

P. 75. (89) Non opus est, ut moneam apud Graecos nondum haberi accuratam actuum distinctionem aut divifionem tragoediae certam.

P. 76. (90) Vid. *Voyage d. j. Anach.*, VI. p. 1. feqq. de his omnibus quae tragoediarum actionem fpectant.

P. 78. (91) Phaedro, p. 245. A.

P. 81. (92) Sic antiquo tempore non magis in tragoedia, quam in carmine epico, arctis limitibus temporis circumfcripta fuit fabula, quod postea demum ufu invaluit. Ariftot. Poët. p. 505. E, F, 507. D.

P. 82. (93) Vid. Bilderdyk, l. l. p. 115—127.

(94) *Vandaar dat het oude treurfpel duizend voorvallen, die wij op het tooneel in werking zouden brengen, daar buiten hield.* Bilderdyk, p. 168.

P. 83. (95) Marmontel, *Poët. Franc.*, II. p. 134.: *C'est par les actions qu'on est heureux ou malheureux* (*difoit Aristote*) *: la tragédie n'agit donc point pour imiter les moeurs, mais elle ajoute les moeurs à caufe de l'action. Prenez l'inverfe et vous aurez la nôtre : c'est*

c'est par les qualités, les inclinations de l'ame, qu'on est heureux ou malheureux: — donc il ne faut imiter les actions que dans la vue de peindre — les moeurs.

(96) *Par rapport à la constitution de la fable, l'art plus approfondi découvrira peut-être des moyens, qui manquèrent aux premiers auteurs, parce qu'on ne peut assigner des limites à l'art; mais on ne peindra jamais mieux qu'ils n'ont fait les sentimens de la nature, parceque la nature n'a pas deux langagès.* Haec de Graeca tragoedia dicuntur in opere: *Voyage d. j. Anach.* VI. p. 194.

P. 84. (97) Vid. doct. den Tex, l. l. p. 15, 16.

(98) Cicero de Orat., III. 57. Conf. Orat. c. 17, 18.

(99) Hanc rem egregie exposuit secundum Platonem doct. den Tex, p. 51.

P. 85. (100) *Voyage d. j. Anacharſ.*, VI. p. 85.

(101) Cicero Orat., c. 18.

P. 86. (102) Vid. L. Dibbits, *Disquisitione literaria de Hebraïca Poësi cum Graeca comparata*, Annal. Acad. Rheno-Trai. a. 1817 - 1818. p. 68. seq. Quod idem in sublimioribus Graecorum odis quodammodo habetur; quare dicitur Pindarus, apud Horatium Od. IV: 2. vs. 9—12:

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis. cet.

P. 87. (103) Cic. de Orat., III. 57.

(104) Vid. I. G. Herder, *Abhandlung über den*

den Ursprung der Sprache, p. 145. Qui universe de sonis illis naturalibus agit, p. 28. seq., ex quibus etiam partim repetit vim musicae in Graeca tragoedia, p. 100. Ceterum, quam sit naturae consentaneum quod musica et vere ita dictus cantus in tragoediis habeatur, liquet etiam ex simili aliarum gentium consuetudine. Certe de Sinensibus haec habentur in opere: *Lao - Seng - Eul, Comédie Chinoise*· Paris 1819. p. 33.: *On peut remarquer la ressemblance d' une tragédie Chinoise sur plusieurs points avec l' Electre de Sophocle, principalement par l' introduction dans les endroits passionnés de chants poëtiques qui s' élèvent pompeusement jusqu'au sublime, et qui ont le caractère du choeur des anciens.* Et p. 37, 38.: *Les morceaux de poësie lyrique, plus nombreux dans la tragédie, que dans la Comédie, et qui ont tant de ressemblance avec les choeurs du théatre Grec, sont chantés de même avec accompagnement.* Item p. 39.: *Les sentimens de joie, de chagrin — sont ordinairement exprimés en vers lyriques et chantés sur des airs doux ou éclatans, suivant la situation du personnage. Un orchestre placé au fond du théatre accompagne les voix avec une musique bruyante.* Conf. p. 43. Notabilis etiam de prologis ibi locus est, p. 38, 39.: *Le prologue d' un drame Chinois, dans lequel les principaux personnages viennent décliner leurs noms et faire connaître l' argument de la fable sur laquelle l' action est fondée, ressemble beaucoup également à celui des pièces Grecques, et particulièrement à ceux d' Euripide.*

P. 88. (105) Cicero, de Orat. III. c. 59.

P. 89. (106) Euripidis Bacchae.

P. 93. (1) In Actu I. Ceterum de hoc novo ſcenae ornatu vid. *Vaderl. Letteroef. Mengelw.* 1818. p. 127—133. *Iets over Vondel's Gijsbrecht van Aemſtel, en deszelfs jongſte voorſtelling, met nieuwe décoratien, op de Amſterdamſche Schouwburg.*

(2) In Actu II.

(3) In fine Actus III. et initio Actus IV.

P. 94. (4) Vid. p. 56, 57. in editione Amſtelod. 1659. ſymbolo putei inſignita.

P. 95. (5) Paginae 49. vs. 10. ſeqq. Conf. paginae 13. vs. 9. ſeqq., item p. 46. ubi Gysbrechti uxor de marito ſic queritur:

—— —— *Och was hij ſlechts behouwen*
In 't onweêr, dat de ſtaet in zee drijft zonder roer.

Quae dicendi ratio non disſimilis est ſermoni Atosſae reginae in infelicisſima etiam conditione verſantis, Aeſch. Perſ. vs. 600. ſeqq.:

Φίλοι, κακῶν μὲν ὅϛις ἔμποροι κυρεῖ
Ἐπίϛαται βροτοῖσιν ὡς ὅταν κλύδων
Κακῶν ἐπέλθῃ, πάντα δειμαίνειν φιλεῖ.
Ὅταν δ' ὁ δαίμων εὐροῇ, πεποιθέναι
Τὸν αὐτὸν αἰὲν δαίμον' οὐριεῖν τύχης.

P. 96. (6) Hoc ſatis comprobatum habebit, quicumque legit in Actus II. Scenis I. et II. militum et ſacerdotis ſermones, et dicta etiam Willebordi, Act. I. Sc. II.

(7) Paginae 65. vs. 9., p. 64. vs. 10., p. 39. vs. 7. ſeqq. p. 21. vs. 1—3. et p. 19. vs. 2. Praeſertim notandum, quod interdum duorum maxime dis-

dissentientium hominum alter sententiam quamdam adversario opponit, quam alter, sua quoque usus sententia, repellit: quae res miram in scena vim habere solet:

Soldaten brengen ons heel zelden veel gelux.
Wij zienze noo van voor, en allerliefst van achter.

Cui reponit miles:

Wie eenen hopman huist, die heeft een trouwen wachter,
En ridderlijk beschut, en hoeft geen poort nog slot.

Tum denuo alter:

De beste wachter is de stercke en groote Godt,
Die nimmermeer en slaept, en luistert naer ons zuchten.

Quod habetur Act. II Scen. II. Eadem ratione saepius apud Euripidem colloquuntur adversarii. Sic Agamemnon Menelaum pertringens ait:

——— Πονηρὸν γλῶσσ' ἐπίφθονον σοφή.

Sed et suam contra fratrem sententiam habet Menelaus:

Νοῦς δέ γ' οὐ βέβαιος ἄδικον κτῆμα, κοὐ σαφὲς φίλοις.

In Iphig. in Aul. vs. 333, 334.

(8) Cuius rei exemplum est in Iphig. in Aul. in sermone Menelai, vs. 366. seqq. Et in tota illa descriptione indolis, quam habuerit Agamemnon, universe pinguntur mores ambitiosorum civium.

(9) Vid. p. 41.

Wat kan de blinde staetzucht brouwen,
Wanneerze raest uit misvertrouwen!
Wat luit zoo schendigh dat haer rout!

Conf. paginae 16. vs. 22. seq., quibuscum comparetur initium tragoediae quae a Palamede nomen habet.

(10) Hoc observat Da Costa, l. l. p. 70.

P,

P. 97. (11) Perſae, vs. 87. ſeqq.

(12) Vid. p. 52.

P. 99. (13) Docuit hoc egregie Erud. I. de Vries, *Proeve eener geſch. der Nederd. Dichtkunst*, I. p. 69. ſeqq.

(14) *Rhetorijkers* ſive *Rederijkers*.

(15) Vid. Wagenaar, *Vaderl. Hist.* VI. bl. 70. et W. Kops, *Geſch. der Rederijkeren*, p. 242, 245. ſeqq.

P. 100. (16) Vondel, *Voorſpel:*

Zijn deughden ſtaen ten top voor elck ten toon
Niet min godvruchtelijk als dapper.

(17) Paginae 17. vs. 24. ſeqq.

(18) Paginae 14. vs. 23. ſeqq. et p. 16. vs. 22. ſeqq.

P. 101. (19) Significo generoſum illud: *Ga heene, ick ſchenck u 't lijf*; quod Vosmaerio reponit Gysbrechtus, Act. I. Sc. III.

(20) Vid. ſcena ultima.

(21) Vid. initium tragoediae, et *Rey van Amſterd. maagden.*

(22) Paginae 42. vs. 6. ſeqq. et p. 45. vs. 14. ſeqq.

(23) Vid. Act. V. Sc. I.

(24) Paginae 60. vs. penult., et p. 63. vs. 10.

(25) Paginae 46. vs. 10, 12, 13.

P. 102. (26) Vid. p. 67. in fine.

(27) Vid. p. 69. in fine.

(28) Vid. praeſertim Act. V. Sc. I.

(29) Hoc ipſe docet Vondelius, Proleg. ad trag. *Iephta: Wanneer goeden en quaden onder een gemengt worden, ſtreckt de Schouwburg ten nadeele van't*

Staetgezag, *eene ſchool van gebreken en niet van deughden*, *waerin zelfs aeloude tooneelmeesters van het rechte wit afdwaelden.*

P. 103. (30) *Palamedes.*

(31) *Salmoneus* et *Gebroeders.*

(32) *Joſeph aen 't hof.*

(33) *Lucifer.*

(34) *Jephta.*

(35) *Faëton.*

(36) *Samſon.*

(37) *Joſeph in Egypte.*

(38) *David in ballingſchap* et *Salomon.*

(39) *Adonias.*

(40) *Joſeph in Dothan.*

(41) Proleg. ad trag. *Zungchin*: *Ons leerende geene zekerheit buiten Godt in veranderbaere dingen te ſtellen.* cet.

(42) *Elk zijn beurt.* Videantur editiones cum ſymbolo putei, quod ipſum ſymbolum ad eandem, de qua hic agimus, rem referendum est.

P. 104. (43) Vid. *Voorſpel.* Et propter eandem cauſſam huic tragoediae duo adiecit epigrammata; alterum: *Tooneelſpel quam in 't licht tot leerzaem tijdverdrijf.* alterum:

De wereld is een ſpeeltooneel,
Elk ſpeelt zijn rol en krijgt zijn deel.

P. 105. (44) Vid. omnino cl. van Hengel, *het publiek als regter* cet. in *Recenſent*, *mengelw.* XII. 4. p. 159. 160.

P. 106. (45) Hoc etiam de Franco - Gallis docuit Marmontel, l. l. p. 118. ſeqq.

P.

P. 107. (46) *De tooneelkunst wijst den wat eerlijck, wat schandelijck luit. — Zij deelt levendigh de wijsheit uit.* cet. Vondel, Prol. ad trag. *Salmoneus.*

(47) Hoc ipse e Platone observavit Vondelius, Proleg. ad tragoediam *Faëton: De goddelijke Plato moght hierom met recht zeggen:* Wij zullen de moeders en voesters vermaenen den jongen knaepen uitgelezene Fabeleu te vertellen, en hunne gemoeden naerstiger met Fabelen dan met handen te fatsoeneeren. Ceterum de ea re vid. Plato, Legg. p. 817. A—E.

P. 108. (48) Vid. Bilderdyk, l. l. p. 113. et W. Kops, l. l. p. 218. Dicuntur illi ludi *mijsterie - spelen.*

P. 109. (49) *De geest aller natien heeft zich ongevoelig gewend aan toestel en beweging.* Bilderdyk, l. l. p. 141.

P. 111. (50) Vid. de utroque hoc ludorum genere, quorum alterum, *intreden*, mutis rerum simulacris, alterum, *zinnespelen* colloquiis continebatur, W. Kops, l. l. maxime p. 223, 233. et de earum morali et allegorica ratione, p. 228, 245. Conf. etiam Vondel, Proleg. ad trag. *Salmoneus.*

(51) Brandt: *Vondels leven*, p. 40. et. W. Kops, l. l. p. 305, 306.

(52) Vid. Bilderdyk, l. l. p. 115. seqq.

P. 112. (53) Vid. Act. I. Sc. II. Act. II. Sc. II. Act. IV. Sc. I. Act. V. Sc. I.

(54) Vid. chori 2us, 3us, 4us.

P. 114. (55) Quae narratur a nuncio Act. V. Sc. I.

(56) Vid. *Gysbr. v. Aemst.* Prol. et *Voorspel.*

(57) Vid. Aeſchylus in Perſis.

P. 116. (58) Vid. W. Kops, l. l. p. 224.

P. 119. (59) Ita ſtatuit Schiller: *Die Braut von Messina*, Proleg. p. IV: *Es giebt keine höhere und keine ernsthaftere Aufgabe als die menſchen zu beglücken; der höchſte Genusz ist die Freiheit des Gemüths in dem lebendigen Spiel aller ſeiner Kräfte.*

P. 121. (60) Hoc etiam profitetur cl. van Hengel, l. l. p. 157, 158. recentiorum moralem praeſtantiam, Graecorum vero prae illis pulcri ſenſum efferens.

P. 122. (61) In recentiori tragoedia locus aliquantum mutari potest, in Graeca non poterat. Vid. Marmontel, l. l. p. 210.

(62) Vid. de hac re ipſe Vondelius, Proleg. ad trag. *Iephta.*

P. 123. (63) Videantur Gysbrechti, nuntii, aliorumque narrationes per totum drama.

P. 124. (64) Ea omnia, quae de Gysbrechti conſanguineis profert Vondelius, ab ipſo ita efficta esſe, oſtenditur in *Letteroef.* 1816. *Mengelw.* p. 8, 9.

(65) Vid. p. 60. initio.

P. 125. (66) Vid. Troades verſus finem.

(67) Vid. p. 36. ſeq.

P. 126. (68) Vid. p. 54.

(69) Est chorus, p. 40. ſeq.

(70) Vid. p. 60. initio.

P. 127. (71) *Rey van Amſterd. maeghden.* Act. I. et *Rey van Edell.* Act. IV.

P. 129. (72) Vid. Proleg. ad trag. *Gysbr. v. Aemſt.*

P. 130. (73) Paginae 15. vs. 12. ſeqq.

(74) Vid. p. 44. ſeqq.

P.

P. 131. (75) Vid. p. 64.

P. 132. (76) Vid. Proleg. ad trag. *David herſtelt*, qui locus claſſicus eſt.

P. 133. (77) Vid. *Voyage d. j. Anacharſ.*, VI. p. 154, 155.

(78) Vid. Eurip. Alceſt. Ceterum haec de Alceſtide ſententia non tam mea eſt, quam ipſius potius Platonis, qui inter amicorum paria recenſet etiam Admetum et Alceſtidem. Cumque in amore proprie ſic dicto habeatur vir amans, amata vero foemina; Plato contra ἐρώμενον vocat Admetum, eſtque ἐρῶν et ἐραστοῦ ſimilis Alceſtis: quod cum amicitiae ſenſu inter foeminam et virum conciliari poteſt, in verum amorem cadere non poteſt. Vid. Sympoſ., p. 179. B., 180. B.

(79) Vid. Marmontel, l. l. p. 187.

P. 134. (80) Vid. p. 65.

P. 135. (81) Perfectionem humanae naturae contineri amore egregie oſtenditur in libello: *Waarnemingen over het gevoel van het ſchoone en verhevene, door M. Imm. Kant*, p. 45—76.

P. 136. (82) Hinc orta eſt frequens illa in optimis Graecis μισογυνία, in ipſo Euripide notisſima.

(83) Hinc multa explicantur in tragoediis loca, ut Aeſch. Perſ., vs. 231. Soph. Elect. vs. 518. ſeqq. Eurip. Iphigen. in Aul., vs. 821. ſeqq. et Phoeniſſ., vs. 88. ſeqq.

(84) Vid. Eurip. Oreſt. vs. 1204. ſeqq. Ipſe vero Plato in ſua Republ. foeminas voluit iisdem negotiis occupari ac viros. Vid. *Diatribe in polit. Platon. princip.* auctore I. L. G. de Geer, p. 179. ſeqq.

ſeqq. Ceterum Plato, Alcib. I. p. 127. A. aperte dicit: ἢ ἄρα γυναῖκες τὰ αὑτῶν πράττουσιν, οὐ φιλοῦνται ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν.

(85) Vid. Plato Sympoſ., p. 191. A, B.

(86) *Pour Dieu et m' Amie:* talis erat ſententia, quam ſemper in ore habebant illius temporis equites. Videatur de St. Palaye, *Discours ſur la Chevalerie* l. l.

P. 137. (87) Fuerunt iam pauci quidam poëtae, qui Graecorum rationem et praeſertim eorum chorum in ſcenam reducere conati ſunt, in quibus praecipuus est Schiller, in tragoedia: *Die Braut von Meſſina*; cui ille disquiſitionem praemiſit de choro antiquorum, quem recentioribus etiam poëtis maxime commendabilem eſſe ostendit.

P. 138. (88) Conf. Bilderdyk, l. l. p. 144, 145.

E R R A T A.

Pag. 21. lin. 7. ut, patris *lege* ut patris
— 27. — 10. βρέχων — βρόχων
— 97. — 5. φοτῶν — φωτῶν

PETRI IOSUAE LUDOVICI HUËT,

IN ILLUSTRI AMSTELODAMENSIUM ATHENAEO

LITT. HUM. CAND. ET THEOL. STUD.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

AB ORDINE

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM:

„ *Disquiratur, quaenam universe fuerit Tra-*
„ *goediae Graecae ratio, ad eamque exiga-*
„ *tur nobilissima Vondelii fabula,* Gysbrecht
„ van Aemstel."

Quae pariter ac Ludovici Gerlachi Pareau *de hoc argumento disputatio, praemio digna est iudicata.*

Omne genus ſcripti gravitate Tragoedia vincit.

Ovidius, *Fast. II.* 381.

P R A E F A T I O.

Quidquid ad Graecorum Romanorumque operum famam minuendam a nonnullis dictum fuerit, talia nihilominus videntur eorum ſcripta, ut quod eis melius atque perfectius vocari poſſit, neque ſcriptum ſit adhuc, neque umquam ſcriptum iri videatur. Patet autem illud, ut ex multis aliis rebus, ita etiam ex eo, quod, ab omni aevo, et noſtris adhuc temporibus, ubi ſummae eloquentiae exempla quaerantur, oſtenduntur ilico Demoſthenes atque Cicero; ubi de hiſtoricis agatur egregiis, primo loco ponuntur Herodotus atque Thucydides, Livius atque Tacitus; ubi de poëtis Epicis ſermo ſit, in omnium ore verſantur Homerus et Virgilius; ubi vero Tragicorum opera recenſeantur aut Comicorum, omnibus anteponuntur Aeſchylus, Sophocles, Euripides, Ariſtophanes. Et ſane quidquid re vera ſublime, pulchrum, venuſtum eſt, illud in veterum illorum operibus invenitur. Hinc quo

propius quaeque ad ea accedant, eo ſubliimiora pulchriora, venustiora atque admiratione digniora esſe iudicantur (*a*). Neque igitur, ut de caeteris taceamus, mirum accidet *Vondelium* nostratem, ſummum poëtam Tragicum, Veterum et Graecorum maxime exemplum ſibi propoſuisſe. Atque haec etiam praecipua cauſa videtur, cur omnibus idoneis harum rerum iudicibus tantopere placeant atque ſummis laudibus ab iisdem efferantur eius Tragoediae. Elucet enim in omnibus ſublime illud et pulchrum quod maxime animum afficit in Graecorum operibus; elucet ſimplicitas illa coniuncta cum arte affectus animi excitandi atque movendi, quae ſunt Graecae Tragoediae quaſi characteres; praeſertim autem in eo conveniunt Vondelianae fabulae cum Graecis, quod ſunt prorſus poëticae; ſplendent verſibus pulcherrimis; occurrunt in iis deſcriptiones, comparationes, narrationes, Graecis neutiquam inferiores; et quis tandem Lyrica carmina, quae Choris a Vondelio tribuuntur, legere potest, quin ei ſtatim in memoriam Graecorum divinos illos choros revocent? Cernitur prae-

(*a*) Egregie dixit la Bruyère in *Charactères*, Vol. I. p. 10. Ed. Stéréot. *On ne ſaurait en écrivant, rencontrer le parfait, et s'il ſe peut, ſurpasſer les anciens, que par leur imitation.*

praeterea in plerisque eius fabulis finis quidam moralis, five Dei gubernationem ostendendi; five erga infelices misericordiam movendi; five oppresforum iura tuendi; five aliud quid huius generis docendi. Tamquam gemmis fplendent eius Tragoediae fententiis brevibus, concinnis, maximum pondus habentibus; funt autem talibus fententiis plenae Graecorum Tragoediae; inest iis femper finis utilis; atque ad Deorum reverentiâ et erga miferos misericordiâ imbuendos hominum animos plerumque tendunt.

Non igitur nifi utile atque periucundum opus esfe potest, aliquam fummi illius poëtae fabulam ad Graecae Tragoediae rationem exigere; quippe fic patebit quatenus cum Graecis fabulis conveniat, quatenus ab iis discrepet. Inferviet autem ille labor ad detegendam atque enucleandam caufam non exiguam, cur tam pulchrae fint tantisque laudibus efferantur Vondelii Tragoediae.

Gratisfimum igitur nobis accidit Clarisfimum Ordinem Philofophiae Theoreticae et Litterarum Humaniorum in Academia Rheno-Traiectina quaestionem propofuisfe, qua *disquiri* postulat, *quaenam univerfe fuerit Graecae Tragoediae ratio, ad eamque exigi nobilisfimam Vondelii fabulam*, Gysbrecht van Aemftel. Simulatque eam legeramus, ftatim nobis ortum est con-

consilium ei pro viribus nostris respondendi, gaudebamusque inclitos in hac Academia viros, tum elegantia, tum doctrina atque eruditione excellentes, sic utile dulci miscuisse, et certaturis talem proposuisse quaestionem, cui qui responsuri essent, opus susciperent, quod, etiamsi praemio non ornarentur, suavissimos nihilominus fructus ipsis esset laturum, quippe tum ad Graecae Tragoediae rationem penitius cognoscendam, tum ad Vondelii nobilissimam illam fabulam melius iudicandam magisque etiam admirandam inserviens.

Antequam autem ipsam responsionem aggrediamur, pauca dicenda videntur de ratione qua eam instituere in animo habemus.

Videtur igitur nobis Clarissimus Ordo, cum proponeret *disquirendum*, quaenam universe fuerit Graecae Tragoediae ratio, hoc voluisse, ut ex ipsis potius Graecis Tragicis in eam *inquireretur*, quam ut res ex iis auctoribus *describeretur*, qui de industria rem Graecorum Dramaticam exposuerunt. Neque tamen auctores istos prorsus negligendos esse existimavimus, tamquam Aristotelem περὶ ποιητικῆς, Brumoium, Barthelemium, Blairium, Bilderdykium, Schlegelium, alios; sed eos tum demum, quum non satis clare aliquid nobis perspectum esset, aut variis explicationibus ansam praeberet, adhibendos

dos esse duximus. Ut enim linguae ante artem Grammaticam, ita et Tragoediae ante praecepta de arte Dramaticâ exstiterunt, haec vero ex illis nata sunt; et hinc, cum ad ipsos fontes accedere praestet, quam ex rivulis inde deductis haurire, hac etiam in responsione illud sequendum putavimus. Quae igitur, legendo Tragicorum Graecorum nonnulla opera, universe ratio Graecae Tragoediae fuisse nobis visa sit, eam prima huius responsionis parte exponemus. Requiritur autem ut agamus de *materia*, de *forma*, deque *fine* Tragoediae apud Graecos; quibus vocabulis omnia comprehenduntur, quae ad eam partem quaestionis pertinent, quaeque variis in capitibus describemus, additis exemplis ex trium Tragicorum operibus quae nobis supersunt, et vel praecipue ex Aeschyli *Persis*, Sophoclis *Oedipo Rege*, Euripidisque *Medeâ*, quippe quae Tragoediae nobis ad propositum nostrum assequendum aptissimae visae sunt.

In secunda autem parte eodem modo quo Tragoediae Graecae rationem exposuerimus, Vondelii fabulam *Gysbrecht van Aemstel* examinabimus, ut hinc appareat, quatenus Vondelii fabula cum Graeca ratione conveniat, quatenus vero ab ea discedat.

De vita Vondelii, eiusque in poësi meritis, quippe saepius vernaculâ linguâ descrip-

tis

tis (*a*), et nuper in dissertatione *Camperi* de Vondelio, Latine expositis (*b*), dicere, necesse nobis visum non est.

(*a*) A Brandtio, sc. in *vita Vondelii* post huius Poëzy, Vol. II. ab I. de Bosch, in oratione cui titulus: *Lof van Joost van den Vondel als Dichter*; aliis.

(*b*) Reperitur in Annalibus Lugd. Batav. anni 1817–1818.



PARS

PARS PRIMA.

QUAENAM UNIVERSE FUERIT GRAECAE TRAGOEDIAE RATIO.

PROLEGOMENA.

DE ORIGINE ET INCREMENTIS TRAGOEDIAE GRAECAE.

Priusquam ipsam de Tragoediae Graecae ratione aggrediamur disputationem, nonnulla de eius origine et incrementis (*a*) dicenda videntur.

Sicut igitur multae nobilissimae artes doctrinaeque, ita et *Tragoedia* nata est inter Graecos, et

(*a*) Pulcherrime ea exposita sunt a Boilavio in Art Poëtique III. 62—80. Breviter de iis agit auctor dissert *iets over het Treurspel, in Bijdragen ter bevord. der schoone Kunsten en Wetenschappen enz. door* Feith *en* Kantelaar. Vol. I. 53—57.

et ab exiguo alienisſimoque, ut videtur, initio orſa, maxima accepit incrementa, et praeſtantisſimum illud humani ingenii evaſit opus. Scilicet eo anni tempore quo vindemiae agebantur, laeti omnium et ad lasciviam proni erant animi. Sicut autem animalia et infantes gaudium, quo afficiuntur, variis motibus, gestibus, vocis flexibus prodere ſolent, ita et homines laetitia ob feliciter peractas vindemias affecti, ſaltationibus quibusdam cantibusque eos animi motus, quos experiebantur, exprimebant. Haec *Chori* origo (*a*). Nihil enim aliud erat, primis illis temporibus, quam turba hominum vino gaudioque ebriorum, qui Bacchi festum celebrantes, Faunos Satyrosque referentes, in eius honorem lascivos agebant motus, et hymnis dithyrambicis extemporalibus non tantum eius beneficia, verum et ingentem eius potentiam, eius bella gesta, ſupplicia de impiis hominibus ſumta, ut poenam Lycurgi, et luctuoſum Penthei fatum, celebrabant. Cumque initio haec univer-

(*a*) Vid. praeter alios multos, Brumoy *discours ſur l'origine de la Tragédie*, Vol. I. pag. 42—45. operis cui titulus: *Théatre des Grecs.* Conf. Blair, *lesſen over de Redekunst en fraaije Letteren*, Vol. I. pag. 275 ſqq. verſionis Belgicae.

verſe tantum tractata fuisſent, mox iam ſenſim ſenſimque ſingulae partes accuratius exponi coeperunt. At vero iam ſtatim animadvertendum erat Graecis, neque Lyricam poëſin aptam ad narrationem, neque Chorum idoneum esſe narratorem. Interruperunt igitur Chori cantum, ut exciperetur ab uno actore (*a*), qui verſibus Trimetris aut Tetrametris factum quoddam ad Bacchum pertinens Choro congregataeque turbae narraret. Quo melius vero is audiri posſet,

dicitur .... plauſtris vexisſe poëmata Thespis,
Qui canerent agerentque peruncti faecibus ora (*b*).

Praemium autem quo donabatur, *hircus* erat, Graece τράγος dictus (*c*), unde nomen ortum *Tragoediae.* Iam vero mutata res erat. Actor enim

(*a*) Diogenes Laërtius III. 56. ait: τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν, ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς.

(*b*) Horat. A. P. vs. 275. 276.

(*c*) Tibullus II. Eleg. I.

Agricola et minio ſuffuſus, Bacche, recenti,
Primus inexperta duxit ab arte Choros.
Huic datus a pleno memorabile munus ovili.
Dux Hircus pecoris: duxerat Hircus oves.

enim ille iam non amplius *ſuam*, ſed *alterius* perſonam agebat: iam a turba festum celebrante ſeparatus, Deum, Semi-Deum aut Heroëm referebat, qui Chorum alloqueretur, eique fata ſua narraret. Tum vero ulterius etiam progresſi ſunt; et hoc fere modo res ſeſe habuisſe videtur (*a*): plauſtrum narrator ille adſcendebat, primo ex. gr. Pentheum agens, qui conviciis Bacchum petens, Chorum alloquebatur, ab eoque reprehendebatur, et meliora monebatur. Mox idem redibat, Bacchum agens impio minitantem Pentheo; et Baccho quoque nonnihil reſpondebatur a Choro. Postremum vero eadem perſona redibat ut nuntius, et Choro infelicem Penthei exitum narrabat; quo audito, Chorus, aut miſerum deflendo, aut Bacchi victoriam honoresque celebrando finem fabulae faciebat.

Sic igitur nata est paulatim Tragoedia: cuius *Thespis* re vera (*b*) fuit *inventor* et iure celebratur,

(*a*) Vid. Bilderdyk, *over het Treurſpel. Aanteek.*, Vol. II. p. 167. 168. Brumoy, *Discours ſur l'origine de la Tragédie*, p. 47. 48. 49.

(*b*) Horatius, A. P. l. c.

Primus inexpertae *genus* invenisſe *camoenae.*
Dicitur . . . . Thespis.

Primus autem fabulam docuit Olympiad. LXI. Vid. Wyttenb. *Bibl. Crit.* Vol. I. P. II. p. 69. Conf. item

tur, tamquam qui anſam praebuerit poëtis posterioris aevi, divinam illam Tragoediam condendi, quae etiam nunc ab omnibus admiranda est. At vero huius tempore multum adhuc illa aberat a perfectionis culmine, quod postea per Aeſchylum, Sophoclem, et Euripidem attigit. Quominus enim Thespis et Phrynichus ulterius progrederentur, apparatus, quo utebantur, impediebat exiguitas. Quas igitur illi exhibebant, Tragoediae, quamvis ſingulae earum partes quodammodo inter ſe coniunctae fuerint, *dramata* tamen, proprie ſic dicta, nondum erant (*a*). Verum

Post hos, perſonae pallaeque repertor honestae,
Aeſchylus *et modicis inſtravit pulpita tignis,*
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno (*b*).

Mag-

item de Thespide idem Wyttenb. *Bibl. Crit.* Vol. I. Part. IV. pag. 3. Blair, pag. 276. Barthélémy, *Voyage d' Anacharſis*, Vol. IV. 381. 382. 383. Recte autem nobis videtur auctor disſert. cui titulus: *Iets over het Treurſpel* (in Horreo citato) dicere: *ik geloof dat men* Thespis *als den aanleidenden uitvinder, en* Eſchylus *als den werkelijken ſchepper, van het eigentlijk Treurſpel aan moet merken.* Caeterum de variis Tragoediae formis dignus est, qui legatur, Hermannus *Comment. in Arist. Poët.* p. 107 ſqq.

(*a*) Conf. Bilderdyk, l. c. p. 169. et Brumoy, l. c.

(*b*) Horatius, A. P. 278—280.

Magnus ille *Aeſchylus*, iure *Tragoediae pater* (*a*) vocatus, primus viam ſtravit, quam postea *Sophocles* et *Euripides* non minori ſane fama calcarunt. Etenim duos pro uno, qui antea fuerat, actores induxit (*b*); unde probabiliora omnia existebant, et veram actionem melius referebant: cumque Chorum a multitudine ſeparavisſet inque ſcenâ collocasſet, hinc is non ſemper Faunis Satyrisque conſtare poterat, ſed aliis etiam perſonis conſtare aliquando debebat. Chori denique carmina Aeſchylus minuit, quo factum est, ut maior histrionum actioni locus tribueretur, et hoc tantum egit, ut cum eâ Chorus aliquomodo coniunctus esſet. Quia enim festum illud, unde originem traxerat Tragoedia, Baccho ſacrum erat, Chorum penitus abiicere non auſus, eum ad ſuam tamen convertit utilitatem. „ Inprimis autem apparatu „ Tra-

(*a*) Ariſtoteles περὶ ποιητικῆς dicit Cap. IV. § 16. τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν (*primarum partium actorem.* Conf. Hermannus, *in Comment. ad h. l.* pag. 109.) παρεσκεύασε. Conferantur de Aeſchylo, *Anacharſidos auctor*, Vol. IV. p. 383—394. Wyttenbach. *in Bibl. Crit.* I. IV. p. 4. Brumoy, *Disc. ſur le Parall. des théatr.* p. 168—172. Schlegel, I. p. 134—168. operis cui titulus: *ueber Dramatiſche Kunst und Litteratur.*

(*b*) Vid. Ariſt. l. c.

„ Tragoediam ornavit; namque Heroum for„ mis, nuntiis et internuntiis, et iis omnibus „ quae in ſcena aut ſub ſcena vulgo adhiben„ tur, grandiorem eam fecit (*a*)." Caeterum, vulgo trimetris, primus autem in fabulis ſuis, ut in *Perſis* (*b*) etiam tetrametris uſus, hos actoribus, lyricum vero illud et ſublimius poëſeos genus Choro tribuit; unde igitur poëſi non ſolum non interdicebatur, ſed inſignis etiam relinquebatur locus; et poëtico ingenio (*c*) patentisſimus et gloriofisſimus aperiebatur campus, quem, vivo adhuc Aeſchylo, ingresſus *Sophocles* (*d*) magis etiam auxit Tragoediae famam. Hic, quia vox ipſi debilior erat, non niſi ſemel agere perſonam potuit (*e*), quod

(*a*) Verba ſunt Philoſtrati, citata et Latine reddita a Barneſio, *in Tract. de Tragoedia Vett. Graec.* p. XI. Conf. Barthélémy, l. c. pag. 392. et vita Aeſchyli.

(*b*) Vid. Hermannus, *Comment. ad Ariſtot. l. c.* pag. 108. Ariſtot. περὶ ποιητικῆς IV. § 18.

(*c*) Conf. Bilderdyk, *over het Treurſpel*, p. 127.

(*d*) De eo conf. Schlegel, Vol. I. p. 168-195. Barthélémy, Vol. cit. pag. 394—397. Brumoy, *Disc. ſur le Parall. des théatr.* pag. 172—176.

(*e*) Vid. eius vita.

quod ſemper faciendo Aeſchylus (*a*), multum fabulis ſuis addebat ſplendorem. Caetera vero quod attinet, *Aeſchylum* ſuperavit omnino *Sophocles* (*b*). Maiori enim hic arte fabulas ſuas diſponebat: cum ſaepe in illius Tragoediis nullus aut debilior ſaltem esſet nodus (*c*). Breviora etiam Chori carmina reddidit: numerum eius, contra, a duodenis ad quindecim perſonas auxit (*d*): agentibus perſonis, ſimpliciorem tribuit ſermonem; quas plures (*e*) induxit, praeterea σκηνογραφίαν ſive ſcenae picturam invenit (*f*); candidos item calceos, quos, cum ſaltaturi, tum actores, quo melius pedum motus cernerentur, induerent (*g*): fabulas quoque ſuas, quo melius actioni proſpiceret, πρὸς τὰς φύσεις τῶν Ὑποκρίτων componere ſolebat, ut eius vitae prodit auctor: caeterum dictione pure Attica, praecipue vero ſuavitate, qua nomen *apis Atticae* meruit (*h*), Aeſchylo antecelluit: adeo

(*a*) Vid. Barthélémy, Vol. cit. p. 393.

(*b*) Vid. Barthélémy, Vol. cit. p. 407.

(*c*) Conf. Wyttenb. *Bibl. Crit.* I. IV. p. 5.

(*d*) Vid. vita Sophoclis.

(*e*) Conf. Barthélémy, Vol. cit. p. 389 et 391. Diog. Laërt. l. ſ. c. et vita Sophoclis.

(*f*) Teste Ariſt. *de Poët.* IV. 17.

(*g*) Vid. vita Sophoclis.

(*h*) Vid. vita Soph. in fine.

adeo ut dicere non vereamur, Aeſchylum genuisſe, Sophoclem vero eduxisſe quaſi et perfecisſe Graecorum Tragoediam.

Huius aequalis fuit (*a*) *Euripides*, qui Ariſtoteli (*b*) omnium poëtarum maxime Tragicus viſus est. Addit tamen Philoſophus *εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ.* Et ſane, quod prudenter fecerat Sophocles, non item Euripides egit. Chorum ſcilicet ille cum tota actione coniunxerat, quin et actoris ei partes tribuerat, quod non ſemper hic ſecutus est; quodque alio loco reprehenditur ab Ariſtotele (*c*). Neque tamen in excolendâ Graecâ Tragoediâ parum praeſtitit Euripides. In diverbiis enim, quae dicuntur, familiarius etiam quam Sophocles, locutus est: in dramatum ſuorum limine lucem toti fabulae aperuit, et, ut verbis utar Thomae Magistri in eius vita, *τὸν ἀκροατὴν ὥσπερ χειραγωγεῖ εἰς τὸ ἔμπροσθεν*: mirabili praeterea dexteritate praeſentibus temporibus veteres accommodabat fabulas, easque ſententiis philoſophicis ſpargebat, quod Athenienſibus omnino non poterat non placere.

Θαυ-

(*a*) Conf. de eo Wyttenb. *in Bibl. Crit.* I. IV. pag 6. 7—10. Brumoy, *Disc. ſur le Parall. des théatr.* p. 176–182. Barthélémy, Vol. cit. 397 ſqq.

(*b*) *Poët.* XIII. 10.

(*c*) l. c. XVIII. § 21.

Θαυμαστὸς (δὲ ἦν) τὴν ἑρμηνείαν ποικίλλειν ἐπιχειρήσεσί τε καὶ ῥυθμῷ χαρίεντι (*a*). „ In affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis „ qui miseratione constant, facile praecipu- „ us (*b*)."

Non minus ergo Euripidi quam Sophocli et Aeschylo praestantissimum illud humani ingenii opus debuit: de quibus verissime Velleius Paterculus I. 1: „ Una neque multorum annorum „ spatio divisa aetas, per Divini spiritûs viros, „ Aeschylum, Sophoclem et Euripidem illustra- „ vit Tragoedias (*c*)."

Praeter tres illos celeberrimos Tragicos multi alii in Graeciâ exstiterunt, ut *Ion*, *Agatho*, *Philocles*, *Astydamas*, et Syracusarum rex *Diony-*

(*a*) Auctor vitae Euripidis.

(*b*) Verba sunt Quinctiliani, *I. O.* X. I.

(*c*) Difficilis sane quaestio est, utrum Sophocli an vero Euripidi maior sit laus tribuenda. Videri potest Wyttenb. in *Bibl. Crit.* I. IV. p. 10—13. qui merita Euripidis recenset. Nobis vero cum Cicerone facere liceat, quando dicit III. de Oratore 7: „ Id „ primum in poëtis cerni licet, quam sint inter sese „ Ennius, Pacuvius, Acciusque dissimiles; quam „ apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides. „ quamque omnibus par paene laus in dissimili scri- „ bendi genere tribuatur."

nyſius (*a*). Quum tamen eorum nullum ad nos Drama pervenerit, et ex veterum testimoniis patere videatur (*b*), eos cum tribus illis, de quibus diximus, comparari non poſſe, de iis agere hic loci opus non erit; praeſertim quia nonnulla potius in medium proferenda videntur de *loco* et *modo* (*c*) quo apud Graecos agebantur Tragoediae. Haec enim, quamvis non adeo pertinere videantur ad quaestionem propoſitam, quippe quae de *Tragoediae* ratione, non vero de *apparatu ſcenico* exponi postulat, ſtrictim tamen ideo attingenda ſunt, quod ex iis multa uſum habeant in ipſius Tragoediae ratione explicandâ. — Qui enim Graecorum theatrum huic nostro ſimile ſibi informant, vehementer falluntur, neque ab iis Tragoediae Graecae intelligi recte poterunt. Erat enim non tectum, ſed apertum ſuperne, neque unquam Dramata agebantur, niſi interdiu et ſub dio. Graecis nimirum indignum videbatur Heroës aut Deos qui in ſcenam prodibant, includere. Itaque factum est, ut facile *loci unitas* obſervari poſſet, quoniam in loco ſubdiali omnia agenda erant, ad quem aditus ſemper om-

(*a*) De iis conferendus est Barthélémy, Tom. IV. p. 411—413.

(*b*) Conf. Wyttenb. *Bibl. Crit.* I. IV. p. 3.

(*c*) Conf. de iis Blair, T. III. 316. 317. 318.

omnibus patebat. Erat autem in hoc loco altare Diis Domesticis ſacrum, cuius in Dramate uſus esſe poterat, et quando internam domum conſpici opus esſet, hoc fiebat per *Encyclema.* Ideo vero praecipue apertum erat theatrum, ut etiam Dii quaſi ſpectatores atque testes esſent: Graecis enim monarchiâ non utentibus actio gravis et ſolemnis, niſi quae publica, nulla videbatur; quod etiam Chori praeſentiâ indicabatur, qui populum referebat, omnium, quae agerentur, perpetuum testem. Ingens autem erat Graecorum theatri amplitudo, cum ad cives et affluentes undique peregrinos comprehendendos, tum vero hoc maiestati debebatur agendorum Dramatum, quae non niſi e longinquo ſpectari liceret. Gradus autem circum Orchestram retro adſcendentes, quibus inſidebant ſpectatores: cothurni, quibus altiores incedebant actores; perſonae, quibus utebantur, quaeque his inerant ad vocem fortiorem reddendam inſtrumenta, omnia eo adhibebantur, quo melius ſpectari et audiri posſet: quin et ipſam theatri conſtructionem totam ad auditui conſulendum accommodatam fuisſe, iure existimare posſe videmur.

Semicirculare autem erat Amphitheatrum, circumdabatque Orchestram in qua nulli ſedebant ſpectatores, quaeque et infimâ Amphitheatri ſede, et ipſâ ſcenâ depresſior erat. Scena

ab

ab uno ad alterum Amphitheatri extremum porrigebatur; latitudine quam altitudine maior. Vocabatur autem *Logeum*, in cuius medio ferme verſabantur qui loquentes inducebantur. Post hanc vero mediam partem recedebat ſcena, formam habens quadrangularem, latiorem item quam profundam; in cuius partis, *Proſcenium* dictae, remotisſimâ orâ ſpectabatur palatium, ante quod praecipue Drama agebatur; ad ſiniſtram autem erat urbs, ad quam palatium pertinebat; ad dextram vero campus, ſilvae, mare, et huius generis alia.

Primarum partium actor per mediam maioremque ianuam in ſcenam prodibat: ſecundarum vero actores per minores, ad utrumque iſtius latus poſitas. Qui ex Urbe venire fingebantur, exibant per ianuam in ſiniſtrâ *Logei* parte factam: qui contra e longinqua regione, prope Orcheſtram ſitum exitum egresſi, per gradus in ſcenam adſcendebant, unde iam diu ante a Choro et ab actore cernebantur, quam ad ipſos accesſisſent. Defunctorum umbrae adducebantur per viam, cui *Charontiae* nomen, quaeque ſub ſpectatorum ſedibus ducta erat. Chorus, quamdiu varios motus exhibens canebat, manebat in Orcheſtra; quum vero in ſcenam rediisſent actores, in Orcheſtrae locum ſe ſiſtebat altiorem, et mediae fere ſcenae adpoſitum, altariſque formam

mam referentem, qui *Thymele* dicebatur, et punctum totius aedificii erat medium, ex quo etiam ductum erat Amphitheatrum; quod ſane pulcherrime factum, quum ſic omnes radii eius loci in quo ſpectatores ſedebant, vergerent ad Chorum, qui eos repraeſentabat, et quae ipſi ſentiebant, cantibus ſuis exprimebat.

Plerumque etiam nullo velo obducebatur theatrum; ſed erat apertum, unde, ut infra videbimus, nullo modo locus mutari poterat (*a*). In Sophoclis tamen *Oedipi Tyranni* initio velo opus fuisſe videtur; ſed ſi ſemel illud remotum fuerat, eo non iterum ſpectatorum oculis ſubtrahebatur ſcena.

Sed haec de Graecorum theatro (*b*), quamvis brevisſime, nec fortasſe ſatis accurate expoſita, heic loci tamen ſufficere videntur.

(*a*) Conf. Blair, p. 285. 286.

(*b*) Sunt maximam partem deſumta e Schlegelii libro citato: *Ueber Dramatiſche Kunst und Litteratur*, p. 76. multisque ſqq. Conferri potest etiam Barthélémy, *l. c.* p. 426—455. et Vol. I. p. 442 ſqq. Multus etiam de Graecorum theatro est Barneſius, *l. c.* pag. 17—26. Brumoy, *Disc. ſur l'Orig. de la Trag.* p. 127—134. Conf. etiam liber cui titulus: *Litterariſche Analecten*, *herausgegeben von* Fried. Aug. Wolf, 1818. Vol. III. p. 98 ſqq. *de theatri Graeci partibus*, *inprimis de paraſceniis et hypoſceniis in Pollucis Onom.* IV. c. 19. § 123.

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE GRAECARUM TRAGOEDIARUM ARGUMENTO (*a*).



Sicut igitur omnis poëſeos praecipuus auctor et fons Homerus fuit, ita etiam Tragoediarum Graecarum argumenta ex eo pleraque deſumta ſunt. Et multam omnino ſimilitudinem habet Tragica Epicae poëſeos: magno tamen hoc intercedente discrimine, quod haec *narratione*, illa vero *actione* praecipue conſtet: unde multa aliter in hac, aliter in illâ disponuntur. Quum vero, quod ad caetera attinet, in multis conveniant, mirum non est ex Epicis argumentis hauſtam eſſe Tragoediarum materiam (*b*), unde et ipſe Aeſchylus ſua poëmata dixit esſe tantum μικρὰ τίνα τέ-

(*a*) Graecae Tragoediae definitionem dare necesſe nobis non viſum est, quippe quae postea ex iis quae in hac parte dicentur, facile deduci poterit. Neque enim recte aliquam rem definire posſe nobis videmur, antequam in eius rationem naturamque inquiſiverimus.

(*b*) Conf. Ariſtot. *Poët.* 23.

τέμαχια τῶν μεγάλων Ὁμήρου δείπνων; et argumenta Andromaches, Hecubae, Orestis, Troadum, Helenae, Rhesi, Euripidis; Aiacis et Philoctetis Sophocl s; Agamemnonis vero Aeschyli, ex Homero hausta fuisse quis dubitabit? „ Adeo „ bellum Troianum Homero, ille autem omni- „ bus poëtis materiam dedit. Hinc Palaton „ pictor, magnam circa Homerum, Stomachum „ regerentem, poëtarum pronam turbam descrip- „ sit, singulos τὰ ὑπ' αὐτοῦ ἐμεμεσμένα resor- „ bentes" (*a*): et ipse Plato in X. de Republica dixit: ἔοικε (Ὅμηρος) τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι (*b*).

Ex Tragoediis autem quae supersunt, patet Graecos poëtas talia argumenta prae ceteris elegis-

(*a*) Vid. Barnesius, *l. c.* p. VIII. sq. ex quo haec sumsimus.

(*b*) Heyne, in disquisitione I. de *Carmine Epico Virgilii*, pag. XX. ait: *Errores* isti *heroum ab Ilio redeuntium* variis Graecorum *Carminibus Epicis*, Νόστοι ea inscripta erant, materiam et argumentum praebuerant; — sed eaedem historiae seu fabulae de Achivorum reditu magnae *Tragoediarum Graecarum* parti materiam subiecerant, ut inprimis ex Euripide apparet, et multo magis ex tot deperditarum titulis intelligitur.

gisſe, quae miſericordiam terroremque moverent: e. gr. magnorum virorum fortunae in deteriorem partem mutationes: Deorum in certas familias iram et vindictam: ſceleratorum hominum poenas: bonorum remunerationem. Quo maiori vero terrore et miſericordiâ ſpectatorum animos afficerent, talia plerumque tractabant argumenta, in quibus cognatae, et arctisſimis quibusque vinculis iunctae perſonae vel mutuis odiis ſeſe exercerent, vel inſcie commisſorum ſcelerum poenas darent, vel maximis calamitatibus afflictae ſibi invicem ſalutis auctores evaderent.

Ea autem apud exteros quaerere iis opus non erat: traditiones enim de Herculis, Iaſonis, Theſei, Oedipi, aliorumque heroum Graecorum fatis, ditisſimum fontem conſtituebant, ex quo omnium ferme Tragoediarum argumenta hauriebantur. Sic ex historia Herculis ob Ioles amorem a Deïanira, ope Nesſi ſanguine infectae vestis interemti, nata est Sophoclis Tragoedia quae inſcribitur Τραχίνιαι; ex Iaſonis fatis et amore Medeae, quâ postea relictâ, Creontis, Corinthi regis, filiam Creüſam duxit, orta est Euripidis *Medea;* Theſei filius *Hippolytus* item Euripidi Tragoediae nomen dedit: at vero plurimae de *Oedipi* familiâ prodierunt. Sic ille ſe esſe patris Laii interfectorem eiusque ſimul

uxo-

uxoris, ſuae matris, maritum agnoscens, Thebas exſul relinquit in Sophoclis *Oedipo Tyranno:* moritur infelix in Colono, prope Athenas vico, in eiusdem *Oedipo* ἐν Κολωνῷ. Bellum inter Eteoclen et Polynicem, eius ex Iocasta filios, geritur in Aeſchyli Tragoedia ἑπτὰ ἐπὶ Θηβὰς et in Euripidis *Phoenisſis.* Post Oedipum Thebis expulſum, quum Eteocles pactum ſervare nollet, Polynices ſex Argivorum duces contra Thebas armavit; quibus tamen interfectis, copiis profligatis, Eteocle denique ipſo et Polynice mutuis ictibus confosſis, Creon edixit huius ne cadaver ſepeliretur: quomodo igitur eius ſoror Antigone, omnibus Creontis minis ſpretis, fratrem funebri honore afficere conata fuerit, quidque hinc ſecutum, cernimus in Sophoclis pulcherrima et affectu plenisſima fabula: *Antigone.*

Omnes igitur hae Tragoediae fata referunt Heroum Graecorum. Neque ſane, cum Graeci omnes non Graecos, *barbaros* vocarent, aliter fieri poterat, quin etiam in Tragoediarum materiâ eligendâ nihil ex barbarorum, omnia contra ex antiquorum ſuae patriae heroum historiis depromerent, praeſertim cum illa magnorum et inclitorum virorum feracisſima fuisſet (*a*).

Non

(*a*) Conf. Brumoy, *Discours ſur le Parallèle des Théatres*, pag. 156—161.

Non igitur nisi semel Drama Athenis actum est barbaram terram barbarosque referens homines. Nempe Aeschylus, qui ipse celeberrimis pugnis ad Marathonem, Salaminem et Plataeam interfuerat (*a*), et strenue ibi rem gesserat, Atheniensibus displicere non posse ratus, si ex ipso Persarum ore laudes suas extolli audirent, et infestissimos sibi hostes in extremas angustias per se adductos cernerent et contemplarentur, Drama conscripsit, cui titulus est: *Πέρσαι*, in quo pugnam ad Salaminem, victoriam de Persis, et horum de tanta clade dolorem, regisque desperationem pulcherrime auribus oculisque spectatorum audiendam videndamque obtulit.

Solebant autem, ut videmus, argumenta Tragoediarum depromi ex antiquissimis temporibus: Quod igitur Aeschylo in *Persis* recens quoddam factum tractare permiserunt Athenienses; propter laetam atque iucundam tantae victoriae recordationem; id aliis poëtis fortasse non concessissent. Quid? quod Phrynichum mille drachmis mulctaverint, quoniam in Tragoedia, quae dicebatur *Μιλήτου Ἅλωσις*, domestica mala in memoriam ipsis revocaverat (*b*). Maxime enim Athenienses om-

(*a*) Vid. vita Aeschyli.

(*b*) Herodotus VI. 21. Ἀθηναῖοι — ποιήσαντι Φρυνίχῳ

omnesque omnino Graeci delectabantur historiis illis antiquis, temporis Heroïci, quae nescio quam (*a*) maiestatem prae se ferebant, et cum sacris, quorum pars erat Dramatum actio, optime adeo conveniebant, quum reverentiâ spectatores afficerent et sacris religiosisque affectibus ipsos moverent.

Istis caeterum antiquis historiis ita utebantur, ut secundum suum quisque ingenium eas mutarent, variarentque, et talia etiam fingerent, qualia maxime spectatoribus placitura existimabant. Quod, ex. gr. patet ex diversa ratione qua Aeschylus in Choephoris, Sophocles et Euripides in Electrâ idem argumentum tractarunt (*b*).

νίχῳ δρᾶμα Μιλήτου ἅλωσιν, καὶ διδάξαντι, ἐς δάκρυά τε ἔπεσε τὸ θέητρον, καὶ ἐζημίωσάν μιν, ὡς ἀναμνήσαντα οἰκήϊα κάκα, χιλίῃσι δραχμῇσι· καὶ ἐπέταξαν μηκέτι μηδένα χρᾶσθαι ταύτῳ τῷ δράματι. Conf. Barthélémy, Vol. IV. p. 411. Schlegel, Vol. I. p. 118. et Heren, *Ideën ueber die Politik.* etc. Vol. III. P. I. p. 486. in nota.

(*a*) Vere Heyne, in disquisitione de *Carm. Epico* p. 17. 18. „ Est a naturâ res ita comparata, ut priscorum hominum, multo magis heroum, ipsa nomina, „ res gestae et fata, etiam per se non adeo memorabilia, „ animum humanum teneant et admiratione afficiant."

(*b*) Conf. Schlegel, *l. c.* p. 222—239. Aristot.

ftot. *l. c.* IX. § 1. 10. Bilderdyk, *Brief van den navolger van Sophocles Oedipus*, p. 16—20. De Graecarum Tragoediarum argumento caeterum conferri etiam potest, Schlegel, *l.c.* p. 118—125. et Brumoy, *Discours fur le Parall. des Théatr.* pag. 187 fq.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE UNIUS ACTIONIS, TEMPORIS LOCIQUE APTA ET CONNEXA RATIONE.



Unicuique, Graecorum Tragoedias attente legenti et confideranti, ftatim patebit, únam tantum in iis praecipuam actionem exhiberi, eamque gravem, fublimem, integram atque perfectam. Neque tamen per *actionis unitatem* (*a*) hoc volebant Graeci, ut unius tantum heroïs fata omnia exhiberentur, fed ut (*b*) quemadmodum Homerus in Iliade non totum bellum Troianum, aut omnes Achillis actiones, fed folam eius iram et cum Agamemnone contentionem, quaeque hinc fecuta erant ad eamque pertinebant, tractaverat, ita etiam in Tragoediâ unius Herois una tantum actio quaedam ante oculos poneretur.

Eam

(*a*) De ea vid. Blair, III. p. 281—284.
(*b*) Conf. Ariftot. Cap. VIII. integro.

Eam autem actionem esſe volebant integram atque perfectam, ita ut neque ante initium, neque post finem aliquid deſiderari posſet. Sic in *Oedipo tyranno* actio praecipua est haec, quod Laii interfectorem detegere conans Oedipus, eum ſe esſe et ſimul matris ſuae, Laii uxoris, maritum agnoscit; quo cognito, oculis evulſis, quum et Iocasta ſuſpendio vitam finivisſet, Thebas exſul relicturus, e ſcena regiam ingreditur. Quibus factis, nihil amplius deſideratur; ea enim res quae Dramatis caput erat, detecta fuit: neque ad eam pertinet, in quamnam regionem migret Oedipus, aut quomodo in ea vitam degat; nihil autem ante initium deſideratur: nam actio tota pendet ab inquirendo Laii interfectore, cuius poenâ pestis, quae in initio fabulae a Sacerdote deſcribitur, cesſatura erat.

Actionis autem illius certa erat magnitudo. Ariſtoteles C. VII. § 12. „ Quo temporis ſpa-„ tio, factis vel veriſimiliter vel necesſario ſuc-„ cedentibus, res adverſae in ſecundas, vel ſe-„ cundae in adverſas mutari ſolent, eam idone-„ am esſe eius magnitudinis deſcriptionem (*a*) „ cenſet; et alio loco (VIII. § 5.) Tragoedia, „ ait, quantum potest, uno ſolis circuitu ab-„ ſolvi, aut paullum excedere laborat." Nec ſa-

(*a*) Interpretatio est Hermanni.

ſane contra veriſimilitudinis leges, quae in omni Tragoediâ ſemper ſunt obſervandae (*a*), pugnat, ſi hoc temporis ſpatio, actiones, quae e. gr. in *Perſis*, in *Oedipo Tyranno*, aut in *Medea* exhibentur, actas fuisſe existimemus.

Ex hac autem, quam dicunt, *actionis unitate*, *unius* etiam ſequebatur *temporis locique* apta et connexa ratio: quum enim Tragoedia tota in imitatione actionis esſet poſita, hinc etiam requirebatur, ut ſpectatores cernerent, quomodo omnes eius actionis, quae exhibebatur, partes cohaererent et ſuccederent, ad quod opus erat ut temporis obſervaretur perpetuitas: „ quae „ enim intuemur, eo ſunt una, quod temporis „ perpetuitate continuantur. Huius autem rei „ veteres, naturâ duce, uſum et necesſitatem „ multo melius, quam recentiores perſpexerant. „ Si enim ſcenis vel actibus finitis aliquod tem- „ poris vacuum praeterire poëtae fingunt, quid „ aliud quam Dramaticam poëſin in Epicae poë- „ ſeos fines commigrare, faciunt? Tunc enim „ non amplius intuemur perſonas agentes, ſed „ vel poëtâ, ut in Epica poëſi, vel rei naturâ „ et ratiocinatione noſtrâ, monitore indigemus, „ qui nobis indicet, iam non aliquid intuendum,

„ ſed

(*a*) Conf. Boileau, *l. c.* 47 ſqq. Barthélémy, T. IV. p. 463 ſqq.

„ ſed cogitandum eſſe (*a*);" quod quam ſit à Dramate alienum, ipſum vocabulum δρᾶμα indicat.

Ea autem temporis perpetuitas ne interrumperetur, Graeci unitatem etiam *loci* obſervabant: quo modo enim locus mutari poterat, niſi illâ interruptâ? Et ſane hac mutatione non indigebant Graeci; actio enim, ut ſupra in Prolegomenis diximus, fere ſemper agebatur in loco ſubdiali, ante palatium, templum aut domum, ad quem aditus unicuique patebat. Simpliciores deinde eorum erant fabulae, neque tot in iis adhibebantur artes (*b*), quot in recentioribus; mutari denique locus non facile poterat, quoniam velo obduci theatrum apud Graecos fere non ſolebat, et quoniam Chorus, ubi ſemel advenerat, ſcenam non relinquebat (*c*).

Ex illâ vero a Graecis conſtanter obſervatâ uni-

(*a*) Fere ſunt ipſa Hermanni verba in commentatione *de Tragica et Epica Poëſi*, eius Ariſtotelis *Poëtices* editione adiunctâ, Cap. XXI. p. 254 ſq.

(*b*) Conf Brumoy, *Discours ſur le Parallèle des Théatres*, p. 194 ſqq.

(*c*) Conf. de unitate actionis etc. Barthélémy, T. IV. p. 458 ſqq. Bilderdyk, *Annot. ad Diſſ: de Trag.* p. 212 ſq. Brumoy, *Disc. ſur l' Origine de la Tragédie*, pag. 77—84.

unius temporis locique aptâ et connexâ ratione hoc quoque oriebatur commodum, quod eorum Tragoediae non in *actus* divisae essent, sed uno tenore procederent: quod etiam, quominus interrumperetur spectatorum attentio, impediebat: Chorus enim eam cantibus suis ad ipsam actionem pertinentibus alebat et recreabat, donec rediissent actores. Recentiores vero, postquam Chorum semel sustulissent, eâ indigebant partitione, ut reficere se possent actores, utque ipsis, loci unitatem non eodem modo quo Graeci observantibus, tempus esset ad scenam mutandam. Quae distinctio quantum attentionem nostram debilitet, facile quisque fatebitur, qui spectacula hodierna viderit. Quam ineptam autem Tragoediarum partitionem in *scenas* duxerit *Muretus*, patet ex eius Epistolarum Libri III. Ep. 44. ubi Hieronymo Zoppio, Tragoediae ad veterum Tragoediarum rationem compositae auctori, sic scribit: „ placeret etiam, ita edi hanc fabulam, ut „ ne notarentur principia actuum, sed ita con- „ tinuarentur omnia, ut in Aeschyli, Sopho- „ clis, Euripidis tragoediis, etiamque in Ari- „ stophanis comoediis factum. Omnino au- „ tem illam inutilem et supervacaneam, et a „ stultis literatoribus excogitatam actuum (*a*) in

(*a*) Conf. de significatione vocis *actus* apud Romanos;

„ in *fcenas* divifionem, quaefo te, ut tol-
„ las."

nos, et de caufa cur Senecae Tragoediae in actus fint divifae, Cl. Bilderdykius, *Annot. in Disf. de Tragoed.* p. 181—185. Blair, *l. c.* p. 284. 285. 286.

CAPUT TERTIUM.

DE TRAGOEDIAE GRAECAE DISPOSITIONE SIVE PARTITIONE.



Diximus ſupra Tragoediam ortam esſe a Choro: postquam ſcilicet interrumpi eius carmina coeperant narratione unius actoris, qui primo hanc, mox aliam perſonam referendo, actionem quandam ſpectatoribus exhibebat, quae vero ſpectari non posſent, narrabat. Illae actiones et narrationes, quia antiquisſimo tempore ad Chorum non pertinuerant, vocabantur ἐπεισόδια (*a*). Hinc duo praecipuae partes fuerunt Tragoediae: *Epiſodia* et *Choricum*. De hoc in Capite V°, nunc vero de illis agemus.

Magis igitur perfectâ Tragoediâ, vocabuli *Epiſodium* ſignificatio mutari coepit: quum enim initio omnia ea ſignificasſet, quae Chorica non esſent, postea eae tantum partes ita dictae fuerunt,

(*a*) Conf. Blair, *l. c.* pag. 276. Feith en Kantelaar, *Bijdragen* Vol. cit. pag. 29. 30.

runt, quae ad actionem implicandam inserviebant; pars autem, quae Chori primum cantum praecedebat, *Prologi* nomine insignita fuit; ea vero, post quam Chorus, solus in scena remanens, non amplius Strophica cantabat, *Exodus* dicebatur (*a*); unde, praeter *Choricum*, tres erant Tragoediae partes: *Prologus*, *Episodia*, *Exodus*, quas recenset Aristoteles de Poëtica, XII. § 1.

In *Prologo* (*b*) exponebatur, quinam totius actionis esset cardo, sive illud a Choro, ut in Aeschyli *Persis* (*c*), sive a pluribus actoribus, ut in *Oedipo Tyranno* a Sacerdote, Creonte et Oedipo; sive ab unâ tantum personâ, solâ secum, aut ad spectatores conversâ, loquente, fieret, ut in *Medeâ*, cuius nutrix optare se dicit ut Argonautarum expeditio numquam facta fuisset, quia sic Iasonem perfidum experiri Medea non potuisset; quam ob rem nunc vehementer vereri se ait, ne, ulciscendi causa, liberos suos laedat illa aut interficiat.

Episodiis continebantur omnes ii casus, qui ve-

(*a*) Sic Aristot. *l. c.* XII. 6. ubi tamen conferendus Hermannus.

(*b*) Conf. Blair, p. 287.

(*c*) Ab initio usque ad vs. 64. tum vero incipit πάροδος. Vid. Hermann. *Comment. ad Aristot.* p. 139.

verosimiliter poterant (*a*) aut necessario debebant accidere, ut efficeretur id, quod in *Prologo* expositum fuerat. Inserviebant autem simul ad nodum magis magisque implicandum, simul ad *Exodum* praeparandum; donec in eo aut per ἀναγνώρισιν aut per περιπετείαν (*b*), aut per ambo simul nodus solveretur, et tota actio ad finem perduceretur.

Caeterum, in *Episodiis* sive *Diverbiis*, alio metro Graeci utebantur quam in *Choricis*: *Iambico* (*c*) sc. quia, ut ait Aristot. IV. 18. 19. μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι· σημεῖον δέ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. Quae quamvis non negamus, nescimus tamen an verior causa sit, quam affert Bilderdyk, *Annot. ad Dissert.* *de*

(*a*) Conf. Bilderdyk, *Annot. ad Dissert. de Tragoed.* pag. 238 sq.

(*b*) De quibus conf. Arist. XI. XVI. Blair, III. 289.

(*c*) Saepe etiam utebantur Trochaico tetrametro, de quo, paulo ante locum, quem exhibuimus, sic Aristoteles: τὸ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο, διὰ τὸ σατυρικὴν καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν. Eo autem utebantur in vehementioribus animi affectionibus, ut in Oreste vs. 720 multisque sequentibus. Conf. Schlegel, I. p. 105.

de Tragoedia p. 188, ſcilicet, quod ad lyricum poëſeos genus, quo utitur Chorus, facilior ſit transitus ab Iambis, quam ab alio quovis metro (*a*). Sed haec per transennam. Quae vero de Prologo, de Epiſodiis deque Exodo diximus, ea age illustremus Sophoclis *Oedipo Tyranno*, cuius perfectisſimae Tragoediae fabula eaque ſimplicisſima haec est (*b*): Thebis peste afflictis, oraculum Delphicum conſulitur: reſpondetur: mortem Laïi esſe ulciscendam; Oedipum esſe eius occiſorem, ſimulque Laïi uxoris, ſuae matris, maritum. Oraculum vera dixisſe eventus docet. Apparet Oedipum a parentibus ſuis expoſitum et a pastoribus ſervatum, Corinthi educatum fuisſe, et revera patrem interfecisſe, matrem autem uxorem duxisſe. Tum Iocasta deſperatione furens laqueo vitam finit, Oedipus, ſua manu, oculis evulſis, ſe occoecat.

Iam in Tragoediae, quam huic *μυθῳ* ſuperſtruxit Sophocles, *Prologo*, qui dicitur, a Sacerdote Thebanorum peste afflictorum miſeriae Oedipo exponuntur. Creon ab Oedipo ad oraculum iam antea misſus, redit, dicens pesti fi-

(*a*) Schlegel, I. p. 104. ait Anapaeſtos huic transitioni etiam inſervire.

(*b*) Conf. Feith en Kantelaar, *Bijdragen*, Vol. I. p. 27.

finem fore, simulatque Laïi mortem rex ulciscatur: hic statim solemni iureiurando se obstringit ad investigandum eius interfectorem, eumque vehementer puniendum. Sic igitur mala, quibus Thebani premuntur, eorumque causa, modus denique quo sint cessatura, in *Prologo* exponuntur. Incipiunt iam *Episodia*, quibus actio implicatur, eiusdemque Exodus praeparatur. Post Chori de Thebarum miseria lugentis cantum, e regiâ in scenam redux Oedipus de Laïi interfectore populum interrogat; is vero innocentem se esse solemni iureiurando testatur; simul autem advenit, ab Oedipo, Creontis suasu, arcessitus Tiresias, qui interroganti regi respondere nolens, huius in se iram excitat; mox eius minis et conviciis lacessitus, tandem ab ipso Oedipo Laïum interfectum esse dicit; irâ percitus rex a Creonte vatem corruptum putat; multaeque erant causae, cur ei fidem non haberet; Chorus etiam vatem vera loqui non censet; turbat tamen Oedipi quietem haec criminatio. Mox accusatus Creon apud regem se excusare conatur; sed irascitur ille vehementer, et mortem Creonti minatur: tum vero Iocasta concordiam restitutura advenit, digressoque, cuius veniam impetraverat, Creonte, maritum de Tiresiae effato sollicitum exemplo e suis fatis petito firmare studet: narrat ipsi oraculum Apollinis, quod edixe-

edixerat, Laïum a filio ſuo interfectum iri; eum nihilominus a praedatoribus in trivio obtruncatum, puerum autem recens natum in monte expoſitum fuisſe. Sed eo ipſo, quo ad quietem reducere Oedipum ſtudet, magis anxium eum reddit, et perterrefacit: plura a marito interrogata, talia eî narrat, quae Oedipo confirment ipſum revera Laïum interfecisſe; una tamen ei ſuperest dubitandi cauſa, quod nempe vulgo feratur Laïus non ab *uno* ſed a *pluribus* interfectus fuisſe; ſervum igitur, aetate confectum, qui Laïum occiſum videns fugâ ſibi conſuluerat, et redux Thebas illud narraverat, arcesſi rex iubet: ipſe interim uxori narrat, ſibi aliquando, dum apud Polybum Corinthi degebat, exprobratum fuisſe, non ſe regis esſe filium: Delphos itaque ſciscitatum de eâ re profectum esſe: ibi vero reſponſo accepto: oportere ut et patrem interficeret, et matrem uxorem duceret, non Corinthum ſe rediisſe, ſed Thebas petentem in trivio virum obviam habuisſe, Laïo (quem ipſi deſcripſerat Iocasta) ſimilem: eum, lite exorta, occidisſe cum parte comitatûs; omnia igitur convenire cum uxoris ſuae narratione, praeter hoc unum, quod non ab uno ſed a pluribus interfectus tradatur Laïus. Hoc itaque alterum est Epiſodium, quo omnia magis obſcura et terrore plena fiunt: antea tantum Laïi occiſorem investigabat

bat Oedipus: nunc iam detegere conatur, utrum ipſe eius necis auctor fuerit; ab uno nunc ſervi verbo potentis regis fatum pendet; quae vero ſibi invicem Oedipus et Iocasta narrarunt, ſpectatorem docent ea omnia, quae ſcire ipſum oportet, ut ſumma miſericordia terroreque afficiatur. Eoque infelicior est Oedipus, quod, ſi probatum iam fuerit eum interfecisſe Laïum, in fatis esſe ſciat, ut patrem etiam exanimet, matrem vero uxorem ducat. Ignoratur enim quinam ſint Oedipi parentes: ipſe patrem Polybum esſe putat, matrem vero Meropen. Hinc igitur non minus, quam quod videmus eorum, quae de Oedipo praedixerat Apollinis oraculum, partem iam evenisſe, prae exſpectatione anxii, timore vero vehementi commoti ſumus — Interim Iocasta Apollinem orat, ut Oedipum et ſe ipſam imminentibus malis ſubducat: mox e Corintho nuntius advenit, mortuum ſenio Polybum dicens; quo audito, Iocasta maritum ſtatim arcesſi iubet, ut eum ſollicitudine de patris caede liberet: hic igitur non veretur amplius ne occidat patrem, ſed unum adhuc ne matrem ducat uxorem. Quem timorem tollere ſtudens Corinthius, ipſi narrat neque Polybum neque Meropen eius esſe parentes; ſe vero eum accepisſe a Laïi pastore. Quibus dum Oedipi timorem tollere conatur, ad deſperationem adducit Iocastam,

tam, quae maritum obſecrat ne amplius hanc rem investiget; ſed ille genus ſuum explorandi cupidus, eam prae ſuperbia talia loqui existimat, verentem, ne filius ſervi maritus deprehendatur. Pastorem igitur adduci iubet; quo facto, Iocasta Oedipum Chorumque deſperata relinquit.

Sic igitur iam fere detecta ſunt omnia: ultimum hoc Epiſodium, adventum Corinthii nuntii continens, animum ſpectatoris ad terroris culmen adduxit, quoniam praevidet calamitates, quas iam iam ſit Oedipus experturus. Incipit igitur ea Tragoediae pars (*a*), quae Ἐξοδὸς ab Ariſtotele vocatur. Postquam Chorus de Oedipi iam iam detegendo genere laetitiam ſuam et ſpem prodidit, e regiâ cum Corinthio in ſcenam revertitur Oedipus; advenit mox arcesſitus ſervus; agnoscunt ſeſe nuntius et Phorbas pastor; illum hic obſecrat, ne plura loquatur; mox ipſe Oedipi minis cogitur omnia quae noverit patefacere, a quonam puerum acceperit, et quare eum exponi voluisſet pater. — Sic igitur per ἀναγνώρισιν et περιπετείαν (*b*) (agnitionem et for-

(*a*) Sequimur ſententiam Bilderdykii, *Annotat. ad Oedipum Tyrannum Belgicis verſibus redditum* p. 153.

(*b*) De quibus conf. Ariſtot. XI. XVI. Barthé-

fortunae mutationem) nodus ſolvitur, et tota actio abſoluta videtur. Sed Graeci in Tragoediis ſuis παθὸς etiam requirebant, i. e. ut ait Ariſtoteles XI. 9. πρᾶξιν φθαρτικήν, ἢ ὀδυνηρὰν· οἷον, οἵ τε ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι καὶ αἱ περιωδυνίαι καὶ τρώσεις, καὶ ὅσα τοιαῦτα: ſive potius, ut cum Hermanno (*in Comment. ſ. l.* XXIV. p. 258.) loquamur: „ requirebant Graeci illud quod per „ has res efficeretur: animi ſcilicet affectiones „ ad ſublimitatem aptas." — Quod παθὸς quamvis in totâ regnare volebant Tragoediâ, in *Exodo* tamen praecipue requirebant, unde haec pars apud Graecos longior ferme quam apud recentiores esſe ſolet (*a*).

Itaque, postquam Oedipus ſe ipſum et Iocastam agnovit, pro fecilisſimo antea rege, maximis ſceleribus nunc pollutum hominem ſe esſe vidit, et ſcenam deſperatus reliquit, dum Chorus Oedipi ſortem deflet, advenit *nuntius* mortem Iocastae et miſerandam poenam, quam ultro dederat Oedipus, referens: mox ope *Ency-*

thélémy, Tom. IV. pag. 482 ſq. Disſert. cit. in Feithii et Kantelarii *Bijdragen* p. 45.

(*a*) Conf. Bilderdyk, *Annot. ad Disſ. de Tragoed.* pag. 169. et Aeſchylus, *in Perſis* a vs. 910. usque ad finem.

cyclematis (*a*) ostenditur interior regiae pars (*b*); cernitur Iocastae cadaver humi iacens (vs. 1266 sq.) et Oedipus, cruentis oculis, gemens, et de miseriâ sua eiulans; (vs. 1268–1280 et 1306 sqq.) Chorus eum deflet, cumque eo per aliquod tempus de horrendâ eius fortuna queritur: donec advenit Creon, qui Oedipum in regiam redire cupit, ne solem et homines taetro sui aspectu offendat; precatur ille Creontem, ut filiarum ipsius (*c*) curam gerat, ipsum autem e terra exsulem mittat; quod cum etiam Dei oracu-

(*a*) Cuius explicationem habet Schlegelius, Vol. I. pag. 88.

(*b*) Intelligitur hoc ex vs. 1294. sqq.

Δεῖξαι δὲ καὶ σοί· κλῇθρα γὰρ πυλῶν τάδε
Διοίγεται· θέαμα δ' εἰσόψει τάχα
Τοιοῦτον, οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι.

Scilicet in Graecis fabulis spectatoribus coram nunquam aliquis occidebatur: (quod ortum videtur ex sensu pulchri et honesti, quo prae caeteris populis Graeci, horum praecipue Athenienses erant praediti,) sed postquam hoc domi factum esset, foribus apertis, interior huius pars horrenda illa spectacula videnda praebebat. Conf. Horat. in A. P. vs. 180—188. Boileau, A. P. III. 51 sqq.

(*c*) Quas Creon in scenam adduxerat (vs. 1459 sqq.) quaeque mutae personae dolorem augent et πάθος. Conf. Hermann. *Comment. cit.* XIX. pag. 249.

culum iussisset, Oedipus, mox exsul Thebas relicturus, in regiam discedit. Chorus denique finem Tragoediae facit, ex Oedipi fatis docens, antequam supremum diem obierit, neminem beatum vocandum esse.

Haec est pulcherrimae illius Sophocleae fabulae dispositio: ad eandem fere normam omnes, quotquot nobis supersunt Graecorum Tragoediae, compositae sunt: omnes habent *Prologum*, omnes plura pauciorave *Episodia*; omnes denique *Exodum*, quo totius fabulae nodus solvitur. Neque tamen omnes Tragoediae Graecae eodem semper aut aeque perfecto modo solvuntur, atque Sophoclis *Oedipus Tyrannus*: sed saepe adhibetur *Deus*, qui dicitur, *ex machina*. Scilicet, quando alio modo solvi nodus non poterat, poëtae, et praecipue Euripides, Deum quendam inducebant, qui de primariae personae fato pronuntiaret, aut opem suam infelici tribueret: ut in Euripidis *Electrâ*, *Ione*, *Medeâ*. Sic etiam in *Oreste*, dum Menelaus Agamemnonis filium precatur ne Hermionem interficiat; cum nec tamen ipse eum adiuvare contra Argivos et a morte cum sorore Electrâ vindicare velit; ecce advenit Apollo, quo auctore Clytemnestrae manum Orestes intulerat: litem dirimit; Orestem Hermionem uxorem ducturum ait: eundem, anno transacto, Athenas petere iubet, ubi

Eu-

Eumenidas ſuperaturum eum pollicetur: mox eum Argis, cum cuius urbis civibus omnia accommodaturum ſe promittit, regnaturum vaticinatur: Electram inſuper nubere Pyladi, Menelaum irâ abſtinere iubet: et ſic ſervantur Orestes et Electra matricidae, adventu Apollinis, et laete omnia ad finem perducuntur. Haec tamen ſolutio minus probanda videtur; ſic enim implicatisſima quaevis ſolvi posſunt; deinde prodere illud videtur poëtam non ſatis de oeconomia fabulae ſuae cogitasſe; primariae porro perſonae gloria ſic minuitur; videtur enim illi non promtum ſatis aut prudens inesſe ingenium ad ſubducendum ſe imminentibus periculis. Idem dicendum de Exodo *Medeae* Euripidis: quod exemplum attulit etiam Ariſtoteles, *Lib. cit.* XVIII. § 8—14. quo in loco ait: „ machina tantum esſe utendum in iis quae extra fabulam ſunt: „ vel quae ante acciderunt, quae homo ſcire „ non potuit; vel quae postea, quae indigent „ praedictione et narratione: omnia enim cernere Diis tribui ab hominibus: ſolutiones tamen fabularum ex ipſa fabula nasci debere, „ non ex machina (*a*)." — Quamvis igitur hoc philoſophi effato excuſari posſe Euripides in Oreste videatur, quia Apollo, quae futura erant,

(*a*) Interpretatio est Hermanni.

erant praedicit; rectius tamen feciſſe videretur, ſi machina uſus non fuiſſet, quia in Tragicâ poëſi *fati* magis, in Epica vero *Deorum* mentionem fieri ſolere videmus, et quia in contentione libertatis eorum, qui agentes inducuntur, cum neceſſitate, ſive fati legibus, illa magis elucescat, ſi Dei nulla interponatur auctoritas (*a*).

Sed neque omnes Tragoediae Graecae alterâ parte cum Sophoclis Oedipo tyranno conveniunt; non omnium ſcilicet *triſtis* est *Exodus*, quod tamen probandum nullo modo videtur. Etenim hoc fere praecipuum erat inter Comoediam et Tragoediam diſcrimen, quod huius triſtis, illius vero laetus eſſet Exodus (*b*). Quod ſi huic exitum poëta laetum tribuat, naturam finemque Tragoediae penitus eum evertere quisque videt. Ex Graecorum enim Tragoediis pleriſque, quibus pepercit temporis iniuria, apparet, earum finem praecipuum fuiſſe eum, ut magnorum virorum in adverſis rebus conſtantiam ſpectatores cernerent. Quum vero hominis libertas eo maxime elucescat, quod malis frangi ſe non patiatur, cumque in *Tragoediâ* libertatis, in

(*a*) Conf. Hermannus, *Comment. cit.* XXVI. pag. 262. Barthélémy, Tom. IV. pag. 485 ſq. Blair, p. 314.

(*b*) Ariſtot. *l. c.* XIII. 11 ſqq.

in *Epopeia* vero necesſitatis vis ostendatur, facile intelligitur illius Exodum non niſi tristem esſe posſe (*a*). Ut vero tristis esſe posſet, hoc obſervarunt Graeci Tragici, ut primaria perſona, cuius proſpera fortuna in adverſam mutanda esſet, non prorſus inſons (*b*), neque tamen atrocis cuiusdam ſceleris esſet rea; ſic enim terrorem debiliorem fore intelligebant. Luculentum huius rei exemplum praebet Sophoclis *Oedipus Tyrannus*: quaecumque enim ſcelera rex commiſerat, ea ignarus commiſerat; neque tamen innocens plane Deorum vindictam experiebatur; ſed calamitates eius fere omnes ex curioſitate, nimiâ gloriae cupiditate, ex irâ denique et iuvenili ardore ortae erant (*c*).

(*a*) Aliter ſtatuit Blair, p. 290. ſed conferatur Hermann. *Comment. Cit.* XXV. p. 260. Heeren, *Ideën* etc. Vol. III. p. 487. Barthélémy, T. IV. p. 483 ſq. et, in qua fuſe haec quaestio examinatur, *Commentatio* quae reperitur ad calcem voluminis VIII. fabulae Romanticae: *Clarisſa Harlowe.*

(*b*) Ariſtot. XIII. 1—7.

(*c*) Expoſuit haec Bilderdykius, in *Annot. ad interp. Oedip.* p. 145—147. Quibus refutari potest Blair, III. p. 301 ſq.

CAPUT QUARTUM.

DE PERSONIS EARUMQUE MORIBUS.

Quum Graeca Tragoedia (*a*) actione inprimis constaret, per se apparet *personis* opus fuisse, quae spectatoribus actionem quandam ita exhiberent, ut illi putarent eam iis accidere temporibus ex quorum historia depromta fuisset. Hoc autem ut efficeretur, necesse erat personis illis easdem tribui affectiones, eosdem sensus et mores, quos ipsis fuisse historia aut traditiones ferebant (*b*). *Mores* illi Graecis dicti ἤθη, multusque est de iis Aristoteles Cap. XV. Antequam autem de iis dicamus, primo de ipsis *personis* nobis est agendum.

Solebant igitur Graeci paucas tantum inducere personas; neque umquam tribus plures colloquentes, unde Horatii praeceptum (*c*).

„ Nec

(*a*) Arist. VI. 12. 21.

(*b*) Conf. Aristot. Cap. VI. 7—9. 13. 21.

(*c*) A. P. vs. 192.

„ Nec quarta loqui perfona laboret." Quum autem, ut vidimus, unam tantum praecipuam actionem exhiberent, inde etiam unam tantum primariam perfonam inducebant, cui reliquae omnes esfent inferiores: ad illam, quaecumque hae agebant, referebantur: neque has aliquid agere finebant, quod non ad illius fortunam mutandam faceret. Sic in *Medeâ* Euripidis, ipfa Medea est primaria perfona, caeterae vero fecundariae. Medeae nutrice et paedagogo utitur poëta ad totius actionis cardinem declarandum; Creon Medeam exfulem Corintho cedere iubet; Iäfonem haec primum obiurgat: mox, quum Aegeus ipfi Athenas refugio fore pollicitus est, pacem cum perfido marito fimulat: Iäfon igitur discedit, Creüfam, (quam, inutilem quippe, in fcenam fapienter non induxit Euripides) rogaturus, ut liberis faltem Medeae Corinthi manere liceat; quos igitur haec cum donis ad Creontis filiam mittit; mox advenit, donorum veneno infectorum taetrum horrendumque effectum narrans, nuntius; tum liberos domi interficit Medea, maritum fic ulta; reditque Iäfon, παθοῦς ergo, liberorum caedem auditurus, fuamque fortem defleturus. — Apparet igitur Medeam esfe primariam perfonam; caeterarum vero actione efficitur ut ulcisci maritum posfit.

Iis autem perſonis, quae proprie non agebant, ſed nuntiis tantum ferendis, aut, quae interrogabantur, declarandis inſerviebant, ut nuntiis, ſervis aliisque huius generis hominibus (*a*) nullum Graecos nomen tribuere, ſed ſimpliciter *ἀγγέλους*, *ἐξαγγέλους*, *θεράποντας*, *φύλακας*, etc. vocare ſolebant; et recte omnino; ita enim ſimpliciores eorum erant fabulae, captuque faciliores (*b*).

Sequitur, ut dicamus de *moribus* (*c*). Tribuerunt autem Graeci Tragici perſonis ſuis tales *mores*, quales cum actionis gravitate et ſublimitate convenirent, *graves* igitur et *ſublimes:* — quod fere idem esſe videtur, quod ait Ariſtoteles, quando (II. 7.) dicit Tragoediam mores imitari *βελτίους τῶν νῦν*. Id enim nullo modo ſignificare voluisſe videtur philoſophus, *omnes mores in Tragoedia bonos esſe oportere:* (contrarium enim ex Graecorum Tragoediis patet, neque parum ſublimes ſaepe ſunt minus bo-

ni

(*a*) Conf. Bilderdyk, *Annot. ad Disſert. de Tragoedia*, p. 215 ſq.

(*b*) Conff. de perſonis et de perſona primaria Hermannus, *l. ſ. c.* XXII. XXV. Brumoy, *Discours ſur l' Origine de la Tragédie*, pag. 100. § XIV.

(*c*) De iis agit etiam Blair, *l. c.* p. 301. 302. 305.

ni (*a*) mores) ſed *ſublimiores* poſteriorum temporum moribus. — Et ſane postulabatur illud ab aevi, quo vixerant qui agentes inducebantur, naturâ: quum enim, ut ſaepius iam diximus, ex antiquis illis Heroum familiis Tragoediarum depromerentur argumenta, hinc opus erat mores convenire cum imagine, quam iſtorum Heroum Deorumque fingebant homines. *Convenientes* porro ſive *aptos* mores perſonis ſuis tribuebant; ita ut alii regis, alii ſubditorum; alii dominorum, alii ſervorum; alii virorum, alii feminarum; alii ſenum, alii esſent iuvenum. Mores deinde *conſtantes* perſonis esſe volebant, ita, ut quos in initio actionis mores aliquis habuisſet, eos haberet adhúc in poſtrema actionis parte, neque umquam iis contraria diceret ageretve. Unde nata videntur praecepta Horatii in A. P. 144 ſqq.

Intererit multum Davusne loquatur an heros,
Maturusne ſenex, an adhuc florente iuventa
Fervidus: an matrona potens, an ſedula nutrix:
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli:
Colchus an Asſyrius: Thebis nutritus an Argis.
Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge,
Scrip-

(*a*) Conf. Hermann. *l. c.* Cap. XXIII. Schlegel, Vol. I. p. 105.

Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis;
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
et vs. 125.
servetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet; (*a*)

Age vero, quae diximus, ostendamus exemplis. Mores personis suis Tragici Graeci tribuebant *sublimes* (*a*). — Thebae diris affliguntur calamitatibus. Vittas sacras ramosque gestantes, supplices ante aras cuiusvis aetatis sexûsque Thebani iacent; sacerdotes eorumque ministri ad Templi stant introitum et ad altaria, Diis sacra facturi. Mox Iovis sacerdos regem orat, ut auxilium populo suo praestet eique, si possit, malorum levamen afferat. Haec sublimitatis sensu spectatoris animum afficiunt. Convenit cum istis ipsius Oedipi morum sublimitas. Populum, ut pater liberos suos, alloquitur: quae possit, facturum se pollicetur: iamque mis-

(*a*) Conff. 153—178. Boileau, A. P. III. vs. 93—134.

(*b*) De sublimi conferri potest Hermann. C. IV. p. 202.

fisse se Creontem ad Oraculum, declarat, qui cum advenit, palam eum responsum Apollinis effari vult, ut omnis populus audire illud queat; mox omnia adhibet ad detegendum Laïi interfectorem; huius enim poenâ pestem cessaturam novit; quin et, quum suspicari iam incipit, se eum esse, ab inquirendo non desistit, donec omnia sint patefacta; ita enim populum suum servaturum se non ignorat. Magnanimi sunt hi mores, et cum totius rei sublimitate egregie congruunt.

Aptos porro, sive *convenientes* personis, quas inducebant, mores tribuebant Graeci. Oedipus, rex, iuvenis, vir, cum auctoritate, ardore, vigore loquitur et agit. Phorbas, pastor et senex, sicut senem pastoremque decet: mortem ei rex minatur; timidus deprecatur pericula senex. Iocasta, quippe femina, dissidia componere; soror fratrem periculo eripere; coniux maritum solari; Deos pro eo precari; omnia adhibere ut eum anxiae eripiat solicitudini. Corinthius, exilis homo, quippe pastor, mercedis cupidine agit: et huius causâ Polybi mortui nuntium regi attulit, ut ipse ait vs. 998 sq.

Καὶ μὴν μάλιστα τοῦτ᾽ ἀφικόμην, ὅπως,
Σοῦ πρὸς δόμους ἐλθόντος, εὖ πράξαιμί τι.

Ex hac autem multisque similibus quae in Graecis

cis fabulis occurrunt, dictionibus, patet ſimplicisſimos ſimul mores in Tragoediis Graecorum fuisſe, actionesque in eis ita exhiberi, ut omnia ſint probabilia; neque ſublimitatem tollit, ſed vero auget haec ſimplicitas (*a*).

Conſtantes etiam esſe volebant perſonarum mores. Medeae ἦθος in Euripidis tragoedia est quod maritum ulcisci cupiat: hoc vero efficere tantum potest Iäſonis occidendo liberos, quorum ipſa ſimul mater est: illa tamen ulciscendi cupido maternum ſuperat amorem. In omnibus igitur, quae dicit facitve Medea, elucet illa cupiditas, omniumque eius actionum est cauſa: cum Choro conſilia agit: Creontem, ut unum ſaltem diem Corinthi remanere ſibi liceat, ſupplex precatur; Aegeum orat, ut Athenas fugere ſibi concedat; in Iäſonem primo conviciis invehitur; mox cum eo pacem ſimulat; quin et liberos ad Creüſam cum donis mittit. In his omnibus ſemper ſibi conſtantem Medeam cernimus: dum precatur, dum obſecrat, dum ſupplex orat, dum perfidum maritum mitioribus verbis alloquitur, ſemper ulciscendi deſiderio flagrat; hoc cogitationum, conſiliorum, ſermonum, actionum eius, perpetuus et conſtans est ſtimulus atque calcar.

Prae-

(*a*) Conf. Blair, III. p. 310.

Praeterea, ut in totâ fabulâ ita etiam in moribus ſemper obſervabant Graeci aut necesſitatem, aut probabilitem.

Necesſarium erat, Oedipum Tireſiae iraſci, eumque a Creonte corruptum existimare; talis enim ſceleris conſcius ſibi non erat: iratus ipſum accuſaverat Tireſias: Creon peregrinum hominem Thebis regnare inique ferre poterat: ipſe praeterea Oedipo Tireſiam arcesſere ſuaſerat (*a*).

Creon Medeae unum adhuc diem Corinthi manere concedit: probabile est eum ſic acturum fuisſe, ſi Medea eum hoc revera rogasſet: huius enim feminae ſors infelicisſima, ceteroquin boni, ſed de filiae tantum periculis ſolliciti regis animum commovebat: aliam praeterea ipſe cauſam indicat, dicens, vs. 357:

Νῦν δ' εἰ μένειν δεῖ, μίμν' ἔθ' ἡμέραν μίαν·
Οὐ γάρ τι δράσεις δεινὸν, ὧν φόβος μ' ἔχει.

Mores denique tales heroïbus ſuis tribuebant, quales eos habuisſe ex historia aut ex traditione notum erat, et quales cum populi, cuius erant, indole conveniebant. — Sic quos fama Xerxis mores fuisſe ferebat, eos Aeſchylus in *Perſis* ipſi tribuit; ante victoriam eum elatum viribus, do-

(*a*) Vid. Opus cit. in Feith et Kantel. *Bijdragen*, Vol. I. p. 29.

dominandique cupidum depinxit; post cladem vero afflictum, deque adversâ fortunâ instar feminae lugentem exhibuit.

Orestem et Electram patris ulciscendi causa matrem interfecisse fabula ferebat: moribus itaque eos Euripides (in *Electra*) huic actioni congruentibus induit.

Bonus miserorumque adiutor Theseus in *Oedipo Coloneo*, quippe Atheniensis; malus et perfidus, miserisque irridens Oresti et Electrae, Menelaus, quippe Lacedaemonius (*a*), exhibetur; Atheniensibus enim, cum virtute, tum humanitate inferiores fingebant et caeteros Graeciae populos, et praecipue Lacedaemonios (*b*). — Ex hoc igitur accurato morum usu pulcherrimum ortum fuisse spectaculum omnes intelligunt. Sicut autem pictores coloribus ita Graeci Tragici moribus utebantur. Quantum tamen picturae Tragoedia praestat! Illa enim ea tantum quae uno temporis momento fiunt, exhibet: haec vero quos agentes inducit, eos in omnibus diversissimisque temporibus spectandos nobis praebet: omnes animi affectiones, diversis tem-

(*a*) Conf. Hermann. *ad Aristot. Poët.* Cap. XV. § 7. pag. 151.

(*b*) Conf. Brumoy, *Disc. sur le Parall. des Théatres*, pag. 150—168.

temporibus diverſas ostendit: „ In poëſi deni-
„ que Dramatica" (ut Hermanni verbis, in
Capite XX, utamur) „ ipſos animi motus, ip-
„ ſas dubitationes, ipſa conſilia, ſaepe etiam
„ facta eius, cuius libertas animos nostros ex-
„ ſpectatione ſuſpenſos tenet, cernimus; nihil,
„ quod eum agitet, praetermitti; nihil quod
„ ad agendum impellat, latere potest; dimica-
„ tio, quam libertati eius imminere videmus;
„ contentio; victoria denique libertatis et ce-
„ lerrime et vehementisſime mentibus ſe nostris
„ inſinuat; ipſi quae ille agit, agere; ipſi cum
„ malis conflictari; ipſi animum ad ingruentem
„ necesſitatis vim obfirmare nobis videmur."

Sed haec de Perſonis earumque moribus dicta ſunto.

CA-

CAPUT QUINTUM.

DE CHORO.

Graecae Tragoediae proprius et peculiaris est Chorus; ex quo cum illa nata esset, a poëtis postea, cum religionis, tum utilitatis causa non reiectus fuit. Eoque ita usi sunt Graeci Tragici, ut vehementer dolendum nobis esset, si eum ex fabulis suis expulissent, quippe cui pulcherrima illa et plane divina lyrica carmina debemus, quae ingenti Graecarum Tragoediarum ornamento sunt et splendori. Sed quamvis Chorum servaverunt, hac tamen libertate usi sunt Graeci, ut, quum antea praecipua Tragoediae pars fuisset, mox breviora eius redderent carmina, pro satyris autem et Faunis, quibus antiquitus constiterat, aliarum (*a*) etiam personarum Chorum inducerent. Variis autem in fabulis varias personas Chorus referebat; et saepe,

(*a*) Conf. Brumoy, *Discours sur l'Origine de la Tragédie*, p. 103.

pe, ſicut a Satyrorum Choro, Satyrico Dramati, ita et Tragoediae, cuius origo Choro debebatur, ab ipſo illo Choro nomen tribuebatur, pro diverſis, quibus conſtaret, perſonis diverſum. Tales Aeſchyli ſunt fabulae quae inſcribuntur Εὐμενίδες, a Choro Furiarum, quae Orestem matricidam poenis cruciatibusque perſequuntur: Ἱκέτιδες, a Choro quinquaginta Danaï filiarum, quae patruelium, Aegypti filiorum, nuptias evitandi gratia, per mare in terram Argivam aufugientes hoſpitium ab eius incolis petunt et impetrant: Χοηφόροι, a virginum, Clytemnestrae famularum, coetu, quas illa ſomnio exterrita ad placandos mariti manes miſerat: Sophoclis Τραχίνιαι et Euripidis Φοίνισσαι, quarum fabularum prioris argumentum est Herculis mors; posterioris gestum inter Eteoclen et Polynicen bellum. Neque tamen in omnibus Tragoediis aeque magnae partes Choro tribuebantur, atque in Aeſchyli Eumenidibus. Sed homines (*a*) plerumque primariae perſonae ſub-

(*a*) Erant hi vel *ſenes*, ut in Aeſchyli *Perſis*, in Sophoclis *Oedipis utrisque* et *Antigone*, in Euripidis *Alcestide*, et *Hercule furente*; vel *milites*, ut in eiusdem *Rheſo*; vel *ingenuae feminae*, ut in *Medeâ*, *Hippolyto*, *Andromache*, *Electrâ*, *Iphigeniâ in Tauride*, *Ione et Bacchis*; vel *ſervae* ut in *Hecubâ* et in *Troa-*

subiectos fidosve referens Chorus, aut ipse Prologum eloquebatur (*a*), ut in *Persis* Aeschyli; aut post Prologum Orchestram ingressus argumenti ad praesentia tempora accommodati carmina canebat, ut in *Oedipo Tyranno* vs. 150 sqq. in *Antigone* 100 sqq. Tum vero, et quotiescumque, scenâ vacuâ manente, cantaret, motus agebat (*b*), quibus dolorem, laetitiam, metum aliasve, quas audita et spectata movebant, animi affectiones exprimeret, qua in re praeibat ipsi Κορυφαῖος (*c*); movebatur autem nunc a dextrâ ad sinistram, nunc a sinistrâ ad dextram, unde quae canebat carmina *Strophica* vocabantur, et *Antistrophica* (*d*); *Epodus* dicebatur illa pars quam in medio subsistens canebat

Cho-

Troadibus; vel *virgines*, ut in Aeschyli Ἕπτα ἐπὶ Θήβας, in Sophoclis *Electrâ*, et Euripidis *Oreste:* quin etiam functorum Argivorum ducum liberi infantes et impuberes in Choro Euripidis *Supplicum* fuisse videntur. Conf. de Chori personis B a r t h é l é m y, pag. 432.

(*a*) Conf. B i l d e r d y k, in *praefatione ad interpr. Oedipi Tyranni*, p. 8.

(*b*) Conf. B a r t h é l é m y, pag. 437—440.

(*c*) Conf. B a r n e s i u s, *l. c.* pag. 33. B r u m o y, *Discours sur l'Origine de la Tragédie*, p. 103.

(*d*) Conf. B a r t h é l é m y, pag. 433. 434.

Chorus (*a*). Aliquando in duas discedebat partes, quarum suum quaeque ducem sive Coryphaeum haberet, ut in Euripidis *Oreste* vs. 1255, in Aeschyli ἕπτα ἐπὶ Θήβας vs. 870 (*b*). Quum autem plerumque constaret 15 personis, vel in fronte ternas habens et ordine quinquepartito, vel in fronte quinas, et ordine tripartito Orchestram ingrediebatur (*c*); eamque semel ingressus, numquam relinquebat (*d*); quamdiu autem non cantabat, sistebat se in Thymele, ex quo loco cum eis personis loquebatur, quae in scena adessent, ita ut tunc actoris partibus fungeretur (*e*).

Sed haec de Choro universe sufficiant (*f*). Vi-

(*a*) Conf. Brumoy, *l. c.* pag. 106—108. item eiusdem Voluminis I. pag. 255. in nota.

(*b*) Conf. Barthélémy, p. 433.

(*c*) Conf. Barnesius, ibid. Barthélémy, ibid.

(*d*) Factum equidem hoc est in Euripidis *Helena*; sed peculiarem ob causam. Vid. Cl. I. ten Brink, in *Museo Siegenbeekiano*, Part. I. pag. 139.

(*e*) Conf. Schlegel, *l. c.* Vol. I. p. 90.

(*f*) Non enim est huius loci disquirere quaenam cantata fuerint a Choro, quaenam vero recitata; qua de re legi potest Hermannus, in *Comment. ad Arist. Poët.* pag. 132—143. et Barthélémy, IV. p. 426. et 530—534.

Videamus de causis propter quas Chorum servaverint Tragici, de commodis quae hinc oriebantur, deque Chori officiis.

Antiquissimis temporibus (ut supra diximus in Prolegomenis) in Bacchi honorem festa celebrabantur, cuius laudes a Satyrorum Choro carminibus extemporalibus extollebantur. Quum igitur inde post varias mutationes Tragoedia orta esset, Aeschylus eumque secuti poëtae Chorum e fabulis suis expellere non potuerunt: ad sacra enim, quorum pars erat festorum celebratio (*a*), pertinebant. Haec praecipua forte servati in Tragoediâ Chori causa fuit. Quis tamen existimabit, hanc solam satisque validam non tollendi Chori rationem fuisse poëtis tanto ingenio praeditis, quique iam tantopere Chorum immutaverant? Nos quidem sic statuere non possumus (*b*). Sed (*c*) quum apud Graecos, quippe Δημοκράτιᾳ utentes omnia publice fierent, indeque talia poëtae eligerent Tragoediis

(*a*) Conf. Bilderdyk, *Diss. de Trag.* pag. 128. Heeren, *Ideën* etc. Vol. III. P. I. p. 476. usque ad 479.

(*b*) Sicque igitur nobis liceat dissentiri ab auctore *dissertationis de Trag.* in Feithii et Kantelaarii *Op. cit.* Vol. I. p. 48.

(*b*) Conf. Schlegel, I. p. 114.

diis ſuis argumenta, quae circa publicas res verſarentur, (qualia ſunt e. gr. in Aeſchyli *Perſis* et *Supplicibus*, in Sophoclis *Oedipo Tyranno* et *Coloneo;* in Euripidis *Oreste* et *Heraclidis*) hinc ipſis Choro opus fuisſe putamus, qui populi quaſi vices ageret, et omnibus quae agerentur, adesſet (*a*): deinde poëtico ingenio obſequendi locum ipſis praebebat Chorus: primaria perſona ei conſilia ſua exponere, et cum eo de ſtatu ſuo loqui poterat: videbatur denique ipſis idoneus ad ſpectatorum attentionem, dum ſcena actoribus vacua esſet, alendam ſimul, et recreandam; ad eorumque animi affectiones dirigendas, quoniam Choricis carminibus ea inſerere ſe posſe videbant, quae ipſi ſpectatores ſentirent (*b*) cogitarentque, et utilia iis innectere, quae ex actione ipſa deduci poterant, praecepta.

Multa igitur nascebantur commoda (*c*) ex ſer-

(*a*) Conf. Brnmoy, *l. c.* pag. 102.

(*b*) Conf. Schlegel, I. p. 115. ubi dicit: *der Chor ist, mit einem worte, der* idealiſirte Zuſchauer.

(*c*) Commoda chori recenſet Bilderdyk, in *praef. ad Oed. Tyr. interpr.* p. 6—14. Blair, *l. c.* Vol. III. p. 277. 278. Qui choros Graecorum reprehendunt, eos refutavit Schlegel, I. p. 116. 117. Utrum vero Chori ſint etiam uſurpandi in re-

 cen-

fervato in Tragoediis Choro. Neque enim Graecis opus erat iis perfonis, quae Gallice *confidents* dicuntur, quibus primaria perfona omnia ea narret, quae fpectatorem novisfe opus est, ut fabulam bene intelligat: quod quam parum verifimile in multis recentiorum fit Tragoediis, quisque eius rei non plane ignarus facile fentit (*a*). In Graecorum vero fabulis, quum Chorus plerumque populum referret, aut fidos faltem primariae perfonae homines, omnia ad verifimile erant compofita. Hi enim erant testes omnium rerum quae agebantur, eorumque intererat ea non ignorare.

Chori etiam ope fiebat, ut Graecorum vacua numquam esfet fcena: unde actionis perpetuitas, locique unitas fequebantur (*b*). Nullum porro erat periculum, ne a virtutis via falfis ratiociniis abducerentur fpectatores, quia virtutem femper tuebatur Chorus, vitio contra adver-

centiorum Tragoediis, an vero minus, eam quaestionem tractat Blair, p. 279. 280. Conf. etiam Feith et Kantelaar, *Bijdragen* etc. I. p. 29. feqq. in nota.

(*a*) Conf. Bilderdyk, *Annot. ad Disf. de Trag.* p. 217. et *praefatio ad interpr. Oedipi*, p. 9.

(*b*) Conf. Bilderdyk, *l. c.* p. 7. fq.

verſabatur (*a*). Quae denique cantabat, plena erant Deorum, plena patriae civitatis, et totius omnino Graeciae laudibus ac praeconiis, quibus utili ſimul dulcique modo attentio ſpectatorum ſustentabatur.

His autem dictis, difficile non erit, paucis officia (*b*) Chori deſcribere et exemplis ex Tragicorum operibus illustrare.

Choro conſilia ſua primaria fabulae perſona exponebat, ab eoque, ubi opus erat, postulabat, ut ea ſilentio premeret: quod Chorus pollicebatur, neque fidem fallebat umquam. Sic Iphigeniae (*c*) petenti a Choro ne conſilia patefaciat quibus ipſa ſe fratremque ſuum ſervare in animo habet, ſed ipſam potius adiuvet, Graecae feminae ſic reſpondent (vs. 1083):

Θάρσει, φίλη δέσποινα, καὶ σώζου μονον,
Ὡς ἔκ γ' ἐμοῦ σοί πάντα σιγηθήσεται,
Ἴςω μέγας Ζεὺς, ὧν ἐπισκήπτεις πέρι.

Medeaeque roganti (*d*):

Τοσοῦτον οὖν σοῦ τυγχάνειν βουλήσομαι,

Ἢν

(*a*) Conf. Bilderdyk, *l. c.* p. 11. ſq.

(*b*) Conf. Brumoy, *Discours ſur l' Origine de la Tragédie*, pag. 103.

(*c*) In Euripidis Iphigenia in Tauride.

(*d*) In Euripidis Medeâ, vs. 262.

Ἢν μοι πόρος τις μηχανή τ' ἐξευρεθῇ,
Πόσιν δίκη τῶν δ' ἀντιτίσασθαι κακῶν,
Τὸν δόντα τ' αὐτῷ θυγατέρ' ἥν τ' ἐγήματο,
Σιγᾷν.

fidem pollicetur (*a*) Corinthiarum Chorus:

Δράσω τάδ'. ἐνδίκως γὰρ ἐκτίσει πόσιν,
Μηδεῖα, πενθεῖν δ' οὔ σε θαυμάζω τύχας.

Chorus igitur, ut ex allatis exemplis patet, actionis etiam partibus fungebatur; ſed tum una tantum perſona, *Corypheus* dicta, omnium nomine loquebatur: unde Chorus de ſe ipſo loquens, et qui eum alloquitur ſingulari numero utuntur (*b*); patet hoc, ut e locis allatis, ita etiam ex *Oedipo Tyranno* vs. 277, ubi postquam Oedipus populum rogavit, utrum Laïi interfectorem cognitum habeat, ſic totius populi nomine reſpondet Coryphaeus:

Ὠ-

(*a*) Fuſe autem de hoc Chori ſilentio Medeae praeſtito egit Cl. I. ten Brink, in disquiſitione: *over de rei van Corinthiſche Vrouwen in de Medea van Euripides*; quae est in Siegenbeekii, *Muſaeo*, Vol. I. pag. 131—154. Ubi ſententias Corneillii, Dacerii, et Hardionis refutat; de Choro autem univerſe agit a pag. 154. finem.

(*b*) Conf. Barthélémy, IV. p. 433. Schlegel, I. pag. 90.

Ὥσπερ μ' ἀραῖον ἔλαβες, ὧδ' ἄναξ, ἐρῶ.
Οὔτ' ἔκτανον γὰρ, οὔτε τὸν κτανόντ' ἔχω
Δεῖξαι· τὸ δὲ ζήτημα τοῦ πέμψαντος ἦν
Φοίβου τόδ' εἰπεῖν ὅστις εἴργασταί ποτε.

A toto autem Choro canebantur carmina quae dicuntur παροδὸς et ςάσιμα (*a*); tum igitur actoris partes deponebat Chorus, populique vice fungebatur (*b*). Quum enim hoc esset Tragicis propositum, ut recrearetur spectatorum attentio et aleretur, ab illo utique aberrassent, si Choro, scenâ vacuâ, canenti actionem tribuissent. Neque tamen ab ipsa actione aliena eum canere voluerunt (*c*): sic enim interrupta fuisset cogitationum series. Choricorum igitur carminum tum argumento, quod cum actione cohaerebat; tum formâ, lyricâ scilicet, quae maxime idonea erat ad recreandos auditorum animos, simulque eorum exspectationem et alendam et augendam, quia liberrimum cogitationi campum aperiebat, optime illud propositum assecutos illos esse quisque fatebitur, qui vel legerit eorum Tragoedias; quan-

(*a*) Conf. Aristoteles, XII. 7. 8. ibique in *Commentario* Hermannus, qui etiam videndus Cap. XXX. *Commentationis saepius iam citatae*, pag. 268 sqq.

(*b*) Conf. Bilderdyk, *praefat. cit.* pag. 11.

(*c*) Conf. Hermannus, *l. c.* p. 269.

quanto magis vero illi, quibus earum actioni adesſe contigit!

Si quae civitas igitur calamitatibus premeretur, ſcenâ vacuâ, Chorus eas deplorabat, Deosque orabat, ut iis finem imponerent; facit illud Chorus in *Oedipo Tyranno* a vs. 150 215, qui ſicut et caeteri omnes eius Tragoediae, pulcrior est quam ut ſatis legi laudarique posſit.

Si quis horrenda moliretur conſilia, Chorus, quid de iis ſentiret, declarabat, ut in *Medeâ*, postquam illa liberos ſuos interfecturam ſe dixerat, a vs. 820–858.

Si quid patriae periculi immineret, illud avertere conabatur precibus ſuis, deque eo metum ſuum ſollicitudinemque prodebat, ut in Aeſchyli *Perſis* ab initio — 150.

Si quis Deos, eorumve vates et oracula laeſisſe videretur, reprehendebatur a Choro, ut in *Oedipo Tyranno* Iocasta a vs. 855—903.

Si quis calamitatibus premeretur, perſidum aliquem experiretur, aut contra a generoſo viro adiuvaretur, ei ſolatium Chorus afferebat ſortem eius deflendo; huius laudes extollebat, illius vero crimina carpebat. Sic Chorus Medeam ſolatur a vs. 270–274. 359–366. 441—447: Iäſonem reprehendit vs. 577–580; exſecratur vs. 644–661. Aegeo autem, ut votorum compos fiat, abeunti optat vs. 756–762.

Si

Si quis horrendos ferret nuntios, de iis dolorem ſuum et deſperationem ſignificabat Chorus, ut in Aeſchyli *Perſis* a vs. 530–590. et in *Oedipo Tyranno* Sophoclis 1297–1306.

Omnibus denique quae ad δρᾶμα pertinebant, peractis, ſententiâ quadam, moralem fabulae finem indicante, plerumque totam fabulam concludebat. Sic ad *Oedipi Tyranni* calcem haec effatur:

*Ω πάτρας Θήβης ἔνοικοι, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
Ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ᾔδη, καὶ κράτιστος ἦν ἀνήρ,
Ὅστις, οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων,
Εἰς ὅσον κλύδωνα δεινῆς ξυμφορᾶς ἐλήλυθεν.
Ὥστε θνητὸν ὄντ' ἐκείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
Ἡμέραν ἐπισκοποῦντα, μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν
Τέρμα τοῦ βίου περάσῃ, μηδὲν ἀλγεινὸν παθών.*

Thebanorum ſenum Chorus *Antigonam* ſic concludit:

*Πολλῷ το φρονεῖν εὐδαιμονίας
Πρῶτον ὑπάρχει· χρὴ δὲ τά γ' ἐς θεοὺς
Μηδὲν ἀτεπτεῖν· μεγάλοι δὲ λόγοι
Μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων
Ἀποτίσαντες
Γήρᾳ τὸ φρονεῖν ἐδίδαξαν.*

Me-

Medeae Euripidis Chorus finem facit his verbis:

> Πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ,
> Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί·
> Καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
> Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Eadem sunt ad calcem Alcestidis, Andromaches, Baccharum, Helenae. In Ione autem haec sunt:

> Ὦ Διὸς Λητοῦς τ', Ἄπολλον, χαῖρ'· ὅτῳ δ' ἐλαύνεται
> Συμφοραῖς οἶκος, σέβοντα δαίμονας θαῤῥεῖν χρεών·
> Εἰς τέλος γὰρ οἱ μὲν ἐσθλοὶ τυγχάνουσιν ἀξίων,
> Οἱ κακοὶ δ', ὥσπερ πεφύκασ', οὔποτ' εὖ πράξειαν ἄν.

Sic igitur Chorus omnia ea exsequebatur, quae postea de eo, secundum Graecas Tragoedias, praecepit Horatius, A. P. vs. 193–201:

> *Actoris partes Chorus officiumque virile*
> *Defendat; neu quid medios intercinat actus*
> *Quod non proposito conducat et haereat apte;*
> *Ille bonis faveat, et consilietur amicis;*
> *Et regat iratos, et amet pacare tumentes;*
> *Ille dapes laudet mensae brevis; ille salubrem*
> *Iustitiam legesque, et apertis otia portis;*

Il-

Ille tegat commisſa: Deosque precetur et oret,
Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.

Omnibus autem abſolutis quae ad *formam* Graecae Tragoediae pertinere nobis viſa ſunt, progrediamur ad eius *finem*

CA-

CAPUT SEXTUM.

DE TRAGOEDIAE GRAECAE FINE.

Ex iis quae hucusque de Tragoediae Graecae ratione protulimus, satis apparet Graecorum Tragoedias non fuisse levium et inconsideratorum sed contra solertissimorum et sapientissimorum ingeniorum opera; neque dubitandum est quin *finis* etiam, quem assequendum iis sibi proponebant, tantis ingeniis dignissimus fuerit. Quum igitur de eo dicendum nobis restet, age ex ipsis Graecorum Tragoediis disquiramus quinam tandem ille fuerit finis.

Longe autem alium Tragoediae apud Graecos fuisse finem, alium apud recentiores esse, vel ex Graecae Tragoediae origine et argumento manifestum est. Quum enim antiquitus Satyrorum quasi Chori in Bacchi honorem diebus festis canere solerent, inde postea enata Tragoedia sacrorum quaedam pars fuit. Argumenta autem Graecarum fabularum plurimum versabantur circa fabulas sive traditiones ex heroïcis temporibus; ita, ut qui agentes inducebantur, homi-

mines quidem, ſed ſimul tamen posterioris temporis hominibus cum corporis tum animi viribus esſent ſuperiores (a); quod multum conferebat ad vividioribus ſublimioribusque affectionibus ſpectatores movendos.

Quum igitur totius rei ſcenicae nec non etiam Tragoediae is plerumque hodie ſit finis, ut homines recreët et oblectet, apud Graecos et huic rei ſerviebat Tragoedia, et imbuendis hominibus Deorum timore et reverentiâ, erga infelices vero miſericordiâ. Utili innocuoque terrore homines afficiebat, ut nullo modo proſperâ fortunâ niterentur, neque adverſam numquam ſe experturos putarent; ſed aliorum potius exemplo ſaperent, ſibi etiam timerent, quum ne Hercules quidem aut Philoctetes, aut Oedipus a fati plagis tuti fuisſent; miſeris opem non negarent; Deos denique et inprimis Nemeſin Iovemque vererentur.

Ad hunc autem finem proſequendum tota Graecorum *μυθολογία* Tragicos poëtas ducebat, ut patet ex iis fabulis, quae ad nostra usque tempora ſervatae fuerunt. Ubique enim Deorum potentia hominum imbecillitati opponitur: qui huic ſubvenire, hominesque Deorum potentiae ſubducere conatur, omnem eorum in ſe iram

(a) Conf. Schlegel, I. p. 118—120.

iram provocat. Testis est Caucaſo affixus Prometheus! — Qui Apollinis oracula flocci facit, in ſe ſuosque miſerias cumulat atrocisſimas. Quantas calamitates in ſe ipſam, in Oedipum, in totam eius domum eâ levitate concitavit Iocasta! — Qui Deos offendere non veretur, ſciat ille Deos istos non eum tantum qui ipſos laeſerit, ſed eius etiam posteros in aeternum calamitatibus perſequi (*a*). Venus ab Hippolyto laeſa, nefandum Phaedrae immittit amorem, qui non illi tantum ſed huic ſimul fuit exitio. — Qui e contra hospites ſupplicesque bene excipit, is Diis placet, ab iisque remuneratur. Sic Admetus, functâ iam uxore iterum potitur, quod, quamvis vehementi dolore affectus, Herculem hospitio excepit.

Quum autem hic praecipuus Graecae Tragoediae finis esſet, ut *Deorum reverentiâ et erga infelices miſericordiâ* homines afficeret, alii praeter hunc fuerunt, tamquam: virtutes quascumque commendare; fortunae levitatem ostendere; fati ineluctabilem vim ſignificare; aliaque huius generis docere. Quos fines, datâ opportunitate, asſequi poëtae ſtudebant, ſententiis illis brevibus, concinnis, et maximi ponderis,

quas

(*a*) Conf. Cl. v. Lennep, *ad Ovid. Heroid.* Ep. XIV. 85. p. 243. Ed. primae.

quas non ſolum Chori carminibus, verum etiam perſonarum, quae agentes inducebantur, ſermoni innectebant, qua in re maxime excelluit Euripides, quamvis ille nimium (*a*) fortasſe huic ſtudio indulſisſe videri posſit. Neque tamen Sophoclem aut Aeſchylum hac arte caruisſe, ex eorum Tragoediis apparet. Chorus e. g. in Aeſchyli *Perſis* vs. 93 ſqq. haec dicit:

Δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
Τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;
Τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πηδή-
ματος εὐπετοῦς ἀνάσσων;
Φιλόφρων γὰρ σαίνου-
σα τὸ πρῶτον, παράγει
βροτὸν εἰς ἀρκύστατα,
τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνα-
τὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.

In ἕπτα ἐπὶ Θήβας haec legitur ſententia vs. 596.

Δεινὸς, ὃς Θεοὺς σέβει.

in Agamemnone vs. 930 ſq.

ὀλβίσαι δὲ χρὴ
Βίον τελευτήσαντ' ἐν εὐεςοῖ φίλῃ.

In Sophoclis *Oedipo Tyranno* vs. 613 ſq. Cre-

(*a*) Conf. Blair, pag. 311 ſq.

Creon Iocastae maritum, ut ſuſpicionem affectatae tyrannidis a ſe removeat, ſic alloquitur: vs. 613.

Χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος,
Κακὸν δὲ κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ,

Vera etiam haec eiusdem Creontis ſententia ibid.

Φίλον γὰρ ἐσθλὸν ἐκβαλεῖν, ἴσον λέγω,
Καὶ τὸν πάρ' αὑτῷ βίοτον, ὃν πλεῖςον φιλεῖ.

Theſeus in *Oedipo Coloneo* vs. 658 haec dicit:

Πολλὰς δ' ἀπειλὰς, πολλὰ δὴ μάτην ἔπη
Θυμὸς κατηπείλησεν· ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν
Αὑτοῦ γένηται, φροῦδα τἀπειλήματα.

Pulcherrima etiam et utilisſima haec est Antigonae dictio in Sophoclis *Antigone* vs 74:

πλείων χρόνος,
Ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω, τῶν ἐνθάδε.
Ἐκεῖ γὰρ αἰεὶ κείσομαι.

Inter plurimas alias, in Euripide hae occurrunt ſententiae.

In *Andromache* vs. 100.

Χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν,
Πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς,
Ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω.

In

In *Oreste* vs. 802. de veri amici pretio,

'Ως ἀνὴρ, ὅστις τρόποισι συντακῇ, θυραῖος ὤν,
Μυρίων κρείσσων ὁμαίμων ἀνδρὶ κεκτῆσθαι φίλος.

In *Iphigenia in Aulide* vs. 1396. Clytemnestrae dicit filia:

Πᾶσι γάρ μ' Ἕλλησι κοινὸν ἔτεκες, οὐχὶ σοὶ μόνῃ.

Sed et alius, neque ſane ſpernendus ille, erat Tragoediae in Graecia finis; ſcilicet eius ope animi Graecorum, heroum virtutibus, quae totius reipublicae maximum erant fulcrum, imbuebantur (*a*). Quum enim Tragoedia in historia verſaretur Heroum et Semi-Deorum (*b*), qui olim in Graecia exſtitisſe ferebantur, hinc ad eorum exemplum imitandum, eandem fortitudinem exſerendam, eodem modo, quo isti, omnia patriae ſaluti devovendum excitabantur. Quantum, ex. gr. *Perſae* Aeſchyli eorum Atheni-

(*a*) Conf. Heeren, *Ideën* etc. Vol. III. P. I. pag. 486. 487. 488.

(*b*) Et hinc igitur factum est, ut in Graecorum Tragoediis (excepto Euripidis *Hippolyto*, et Sophoclis *Antigone*) *amori* nullus esſet locus. Conf. Brumoy, *Discours ſur le Parallèle des Théatres*, I. pag. 199. Boileau, A. P. III. 93–102. Blair, pag. 303 ſq.

nienſium, qui ad Salaminem pugnaverant, poſteris incitamentum fuerit ad patriam omnibus viribus defendendam, facile intelligitur. Neque minus proderant exempla Oedipi, ſuam ipſius felicitatem patriae ſaluti devoventis; Theſei, miſerum Oedipum hospitio excipientis; Admeti denique ab Hercule propter virtutem remunerati.

Neque mirum videri poteſt Aeſchylum, Sophoclem et Euripidem, Athenienſium prae caeteris populis laudes celebraſſe, quippe qui Athenis nati erant, aut ibi maiorem ſaltem vitae partem degerant. Sic igitur Athenienſium prae caeteris Graecis humanitatem, erga ſupplices hospitesque benevolentiam, ſapientiae denique artium et doctrinarum famam, quacumque opportunitate, extollebant, in Tragoediarum, cum argumento, tum Chori carminibus et agentium perſonarum ſermonibus. Ad hunc finem totae ſunt compoſitae Aeſchyli *Eumenides*, Sophoclis *Oedipus Coleneus*, Euripidis *Supplices* et *Heraclidae*. Et digna omnino eſt, quae hic deſcribatur ea Chori in Euripidis *Medeâ* pars, quae legitur a vs. 821—842.

Ἐρεχθεῖδαι τὸ παλαιὸν ὄλβιοι,
Καὶ θεῶν παῖδες μακάρων,
Ἱερᾶς χώρας ἀπορθήτου τ᾽
Ἀποφερβόμενοι

Κλει-

Κλεινοτάταν σοφίαν,
Ἀεὶ διὰ λαμπροτάτου
Βαίνοντες ἁβρῶς αἰθέρος,
Ἔνθα ποθ' ἁγνὰς
Ἐννέα Πιερίδας
Μούσας λέγουσι
Ξανθὰν Ἁρμονίαν φυτεῦσαι·
Τοῦ καλλινάου τ' ἀπὸ Κηφισοῦ ῥοὰς
Τὰν Κύπριν κλῄζουσιν ἀφυσ-
σαμέναν, χώρας καταπνεῦσαι
Μετρίας ἀνέμων
Ἡδυπνόους αὔρας·
Ἀεὶ δ' ἐπιβαλλομέναν
Χαίταισιν εὐώδη ῥοδέ-
ων πλόκον ἀνθέων
Τᾷ σοφίᾳ παρέδρους
Πέμπειν ἔρωτας
Παντοίας ἀρετᾶς ξυνέργους.

Neque Athenienſium tantum, ſed totius etiam Graeciae prae barbaris, laudes celebrabant; ſic e. gr. Iäſon Medeae (vs. 536 ſqq.) dicit:

Πρῶτον μὲν Ἑλλαδ' ἀντὶ βαρβάρου χθονὸς
Γαῖαν κατοικεῖς, καὶ δίκην ἐπίστασαι
Νόμοις τε χρῆσθαι, μὴ πρὸς ἰσχύος χαριν.

Ex dictis igitur ſatis apparere nobis videtur Graecorum Tragoediae eum fuiſſe finem ut ſimul

religionis et patriae amorem aleret, ſimul talibus virtutibus cives ornaret, quae Deorum hominumque benevolentiam posſent ipſis conciliare.

De loco autem Ariſtotelis, (Cap. VI.) quo Tragoediae finem deſcribit, locuti non ſumus, quoniam de eo vehementer disſentiunt viri docti (*a*). Maluimus igitur ex ipſis Graecorum Tragoediis, quantum in nobis erat, finem illum exponere, quam philoſophi verbis uti, quae non ſatis intelligeremus.

Requiri autem videtur, ut breviter Tragoediam Graecorum, univerſe, quoad poteramus, a nobis deſcriptam, definiamus: ex iis quae hac in parte diximus commode ſequens deſcriptio effici videtur:

„ Est igitur Graeca Tragoedia: imitatio uni-
„ us actionis ſublimis; circumſcripta certis
„ temporis locique limitibus, ortis ex Chori,
„ qui et actoris partibus fungitur, perpetuâ in
„ ſcenâ praeſentia; ad ſublimitatem actionis
„ ac-

(*a*) Vidd. quae dixerunt Schlegel, Vol. I. p. 105—113. Bilderdyk, *Annot. ad Disſert. de Tragoedia*, p. 218—227. Hermann. in *Commentario in Ariſtotelis* Cap. VI. § 2. p. 114. 115. Barthélémy, Vol. IV. p. 466 ſqq. Brumoy, *Discours ſur l'Origine de la Tragédie*, pag. 62—77.

„ accommodatos mores et ſermonem agentibus
„ perſonis tribuens; a Choro cantanda lyrica
„ carmina actioni intertexendo ſpectatorum at-
„ tentionem alens ſimul et recreans; ad certum
„ denique finem tendens, ſcilicet ad Deorum
„ reverentiâ et timore, erga infelices miſeri-
„ cordiâ, patriaeque amore hominum animos
„ imbuendos."

PARS ALTERA.

QUA

AD GRAECAE TRAGOEDIAE RATIONEM EXIGITUR VONDELII FABULA NOBILISSIMA: GYSBRECHT VAN AEMSTEL.

PROLEGOMENA.

DE TEMPORE QUO VIXIT VONDELIUS, ET NUM GRAECOS TRAGICOS IMITANDOS SIBI PROPOSUERIT.

Quo melius de Vondelii fabula *Gysbrecht van Aemſtel* iudicemus, age prius de tempore quo vixit et num Graecos Tragicos imitandos ſibi propoſuerit, nonnulla dicamus.

Quo tempore igitur Vondelius natus est, longisſime aberat, quin aut in nostra patria, aut in ali-

aliis Europae regionibus Tragica poëſis ad magnum aliquem ſplendoris gradum evecta esſet; quin imo vera Tragoedia eo tempore nulla exſtitisſe dici potest. Simul enim atque Christi doctrina magis magisque propagabatur, quaecumque ad idolorum cultum pertinerent, veterum igitur etiam Graecorum Romanorumque Tragoediae, in deſuetudinem penitus abierunt; quarum deſiderium leniendi cauſa Gregorius Nazianzenus de Christi, quae dicitur, pasſione, verſibus ex Euripidis Tragoediis drama compoſuit. Neque tamen istius conatus Christianum theatrum inducendi magnum in Orientis imperio momentum habuisſe videtur. In Occidente vero, ex ipſâ, quae illud invaſerat, medii aevi barbarie, aliud ſpectaculi genus, *mysteriorum* ſcilicet, natum est (*a*): quibus ab Euangelii mysteriis, quae iis docebantur, nomen datum. Quum vero haec ſapientioribus displicere, quin et plerosque ſpectatorum offendere coepisſent, primo ex aedibus ſacris, in quibus antea exhibita fuerant, expulſa fuerunt, mox penitus iis fuit interdictum. Succesſerunt autem iis in nostrâ patriâ abſurdis proſopopoeiis et obſcurisſimis al-

(*a*) Conf. Bilderdyk, *de Tragoed.* pag. 112 ſqq.

allegoriis referta spectacula (*a*), quae exhiberi solebant in coetibus *Rhetorum* (*b*), qui dicuntur, inter quos tamen, et ante *Vondelium*, et ipsâ eius aetate multi insignes fuerunt viri (*c*). In Hispaniâ vero, in Angliâ et in Galliâ *historicis* (*d*) maxima opera navabatur fabulis, ita dictis, quoniam earum argumenta petebantur ex historiâ fortium facinorum, quae tempore Cruciatarum expeditionum, aliorumque contra non Christianos gestorum a Christianis bellorum, patrata fuerant. Satis autem ex earum argumento formâque notum est, eas a Graecorum Tragoediis longe diversas fuisse (*e*). Inter has ve-

(*a*) Belgice: *spelen van Zinne*. Conf. Bilderd. *l. c.* pag. 115 sqq. *Annot.* p. 171—176.

(*b*) Belgice: *Rethorijkers* vel *Redenrijkers*.

(*c*) Ipse Vondelius fuit coetûs Rhetorum, cui nomen, *in liefde bloeijende*. Vid. Cl. Siegenbeek praefatio ad *Proeven van Nederduitsche Dichtkunde*, p. 29. Conf. Bilderd. *l. c.* p. 117 sqq. I. Koning, dissertatione infra laudandâ, p. 11 sq.

(*d*) Ad earum normam plerumque conformata erant spectacula illa allegorica de quibus diximus, quibus nomen erat: *Spelen van Zinne*. Sic e. gr. Historicum drama vocari posset illa fabula *Costeri* quae anno 1620 aut 1621 exhibita fuit, et Parabolem *Lazari* et *Divitis* illius referebat.

(*e*) Conf. Bilderd. *ibid.* p. 118 et 129 sq.

vero et illas medii ferme generis auctor fuit in Gallo-Franciâ celeberrimus poëta *Corneille* (*a*), qui Tragoediam ſuam pulcherrimam, cui titulus: *le Cid*, in lucem edidit (*b*), cum iam quinquageſimum annum noster ageret Vondelius: unde facile intelligitur, nihil eum Cornelio debuisſe, quum eo iam aetatis progresſus, a via, quam per tot annos iam calcaverit, non ſoleat homo discedere ut novam plane, atque alienam ſequatur. Iure igitur celeberrimus ille Iustus Vondelius Tragoediae in nostrâ patriâ praecipuus auctor habendus. Quamvis enim Hooftii (*c*) ſcripta diligenter legendo multum profecit, at poëtico tamen ingenio ipſe vividisſimo prae,

(*a*) Conf. Bilderd. *ibid.* pag. 130—136.

(*b*) Sc. anno 1636. Vid. Corneille, *Examen du Cid. Ed. Stéréotyp. Oper. Corneil.* Vol. I. p. 104. Vondelius autem natus erat anno 1587. Vid. Brandt, in *eius vita*, pag. 10. quae invenitur ad calcem Vol. II. cui titulus: *Vondels Poëzye.*

(*c*) Multum debuisſe Hooftio Vondelium ſcribit Vollenhoven, in *Epiſtola ad Brandtium* (citatus ab I. de Vries, in *Commentatione quae reperitur in Operibus Societatis Batavae, linguae poëſique ſacrae.* Vol. III. pag. 155.) „ *Dat Vondel geen Vondel zon-* „ *der Hooft waar, zou hij zelf, meen ik, naar zijne* „ *openhartigheid, niet ontkennen, en ik hebbe dier-* „ *gelijk een taal wel uit zijnen mond gehoort.*"

praeditus erat, et Tragicum poëseos genus ad propiorem multo perfectioni gradum evexit, quam per Hooftium attigerat. Vondelii praeterea illustrisfimus ille poëta et celeberrimus historiarum fcriptor aequalis ferme erat, nec nifi paucis eum annis fuperabat. Quamquam igitur fummae laudes Hooftio nullo modo negandae funt, maiores tamen Vondelio deberi videntur, quippe qui (*a*) totam vitam Tragicae poëfi colendae confecravit, quum ille iuvenili (*b*) maxime aetate ei incubuisfet. Quum vero, quo plures quis in aliqua re difficultates expertus fuerit, eo maiori dignus fit admiratione, fi nihilominus maximos in istâ re progresfus fecerit, quis non maximopere fufpiciet Vondelium nostrum, qui, cum iuveni defuisfet Graecis Latinisque literis operam dandi opportunitas, his viginti fex demum annos, illis vero triginta octo natus, maximo cum ardore incubuit (*c*)? At vero abunde compenfati fuerunt, quos his linguis addiscendis pertulerat, labores. Multo enim

(*a*) Anno demum aetatis octogefimo primo fabulas Euripidis et Sophoclis duas, Phoenisfas fcilicet, et Trachinias vernaculis verfibus reddidit, teste Brandtio, in *eius vitâ*, p. 67.

(*b*) Vid. Cl. Siegenbeek, *praefatio cit.* pag. 16.

(*c*) Vid. Brandt, *l. c.* p. 14 et 25.

enim perfectiores ſunt Tragoediae quas confecit, postquam linguas illas didicerat: et Graecorum Tragicorum ſcripta legendo, vernaculisque verſibus reddendo (*a*) ſublime illud atque pulchrum, quod in eorum ſcriptis enitet, adeo in ſuccum et ſanguinem redegit, ut et hoc eius Tragoediarum maximum ſit ornamentum. Neque igitur mirandum est Vondelium (*b*), quod ad Tragoediae rationem attinet, Graecos imitatum fuisſe, quippe quorum opera cerneret multo esſe perfectiora posterioris aevi, quae exſtabant, fabulis. Ne vero, quod in nonnullis locis ab eorum ratione aberraverit (*c*), ipſi Vondelio ſemper imputemus, tenendum est, illum plerumque cum doctis ſui temporis viris, ut Hooftio, Realio, Iſaäco Vosſio, Victorino, Barlaeo, Hugone Grotio, aliisque, de veterum operibus colloqui ſolitum fuisſe (*d*); quum autem

(*a*) Vid. Brandt, *ibid.* p. 39.

(*b*) Quid profecerit Veterum et Graecorum inprimis Tragoediis legendis optime expoſuit I. de Vries, *l. c.* p. 155 ſqq. et Cl. Siegenbeek, *l. c.* p. 35. 36. Exemplis illud nuper ostendit Petrus Camper, in *Disſert. ſupra citatâ.*

(*c*) Conf. Bilderd. *Disſ. de Trag.* p. 139. et annot. *ibid.* p. 207. eiusdemque *praefatio ad Oedip. Tyrann. Interpr.* p. 23.

(*d*) Vid. Brandt, *l. c.* p. 16. 17. 77. I. de Vries,

tem illo tempore multa adhuc essent, quae quamvis doctos viros laterent, hinc a verâ viâ Vondelium aliquando aberrasse nemo mirabitur (*a*). Quantopere autem Graecos Tragicos, aut potius Aristotelis praecepta, sequi studuerit, vel ex eius praefatione ante *Iephtham* liquet. Universe in eo maxime eorum vestigia pressit, quod ut Graecarum, sic ipsius etiam Tragoediarum quasi anima est poësis (*b*): quamobrem etiam Choros conservavit, intelligens quantam illi veri nominis poëtae praeberent opportunitatem ornandi sublimioresque reddendi, quas tractaret, fabulas (*c*). — Quod ad *Gysbertum Amstelium* attinet, quamvis in praefatione ipse Vondelius non omnia digito commonstravit, in quibus Graecos imitatus est, unicuique tamen, ad tempus (*d*), quo composita fuit, attendenti, et

Vries, *l. c.* p. 154 sq. Wagenaar, *Amsterd.* XI. p. 364. Vondelius, in *praefatione ad interpretationem Electrae.*

(*a*) Vid. Bild. *l. c.*

(*b*) Conf. I. de Vries, *Op. cit.* Vol. IV. p. 382.

(*c*) Conf. I. de Vries, *Op. cit.* Vol. IV. p. 382 et 375—381. Huic tamen causae praecipuae, accessit et altera, exemplum scilicet Hooftii aliorumque Vondelii tempore poëtarum, de quo dicemus in Capite V.

(*d*) Sc. anno 1637. Duodecim igitur annis postquam

et ipſam fabulam attente legenti non diu latebit poëtam noſtrum Graecorum exemplum ſibi propoſuisſe. Hoc tamen bene tenendum videtur, Vondelium hiſtoricum ſpectaculorum genus reformasſe, et ad Graecae Tragoediae rationem refingere ſtuduisſe (*a*); unde multa et in aliis eius Tragoediis et vero etiam in Gysberto Amſtelio inveniuntur, quae cum hac minus quam cnm illo convenire videntur.

Hanc celeberrimam Tragoediam (*b*), quae, tametſi duo ferme ſunt ſaecula, ex quo quotannis, multis continuis diebus, Amſtelodami exhibetur, nihilominus ingentem adhuc omnis loci ordinisque ſpectatorum turbam allicit, et eâdem ſemper voluptate et admiratione affectos dimittit, hanc igitur ad Graecae Tragoediae rationem exacturi, age eandem ingrediamur viam, quam in iſtâ exponendâ ſecuti ſumus.

quam Graecam linguam discere coeperat; duobus vero antequam Electram Sophoclis vernaculis verſibus reddidisſet. Vid. Brandt, *l. c.* p. 44.

(*a*) Conf. I. de Vries, *Op. cit.* Vol. IV. p. 382.

(*b*) De eius meritis vid. Macquet, *Proeven van Dichtkundige Letteroef.* P. III. p. 1—5. et 38—40.

CA-

CAPUT PRIMUM.

DE ARGUMENTO VONDELII FABULAE: GYSBRECHT VAN AEMSTEL.

Quod attinet ad fabulae Vondelianae, de qua agitur, argumentum, cuique attente illud confideranti ftatim apparet, in eo eligendo et tractando Graecos omnino imitatum fuisfe poëtam. Sicut enim illi, ut fupra diximus, ex Homeri Iliade et Odysfea fabularum fuarum argumenta petere plerumque folebant; ita et noster, etiamfi ipfam historiam non ex Epico quodam poëta depromfit, hoc tamen egit, ut Virgilii Aeneidos librum fecundum exprimeret; adeo ut dicere liceat, huius fabulae argumentum ex Aeneide quafi hauftum esfe: multa enim quae in illâ leguntur, nonnullis mutationibus factis, aeque bene de Troiae atque de Amftelodami exitio dici posfent; quin et multis adeo presfe Virgilium fecutus est Vondelius, ut ipfum Maronem legere faepius nobis vifi fimus. Quamvis autem haec convenientia cuique Vondelii fabulam et Aeneidos Librum fecundum cognitum ha-

habenti apparet, magis tamen certa redditur ipsius Vondelii versibus qui leguntur in Prologo, quem Tragoediae suae praefixit:

Het nieuw tooneel drie eeuwen springt terugh,
Om Aemstels vesten te verstooren,
En bouwt de wreetheit eene breede brugh,
'T aeloude Troje wort herboren,
En gaet te gronde in 't gloeiende Amsterdam;
Onze Aemstel zal een Xanthus strecken
Geverwt van bloet: de Kermerlandsche vlam,
Als 't Griexse vier, de daecken lecken;
Hier zweemt 't bestormt stadthuis naer Priaems hof.
Hoe kort kan 's weerelds pracht verandren!
Hoe stuift ze weg voor wind in roock en stof!
Kristynen strecken hier Kassandren
By 't hair gesleurt. De Bisschop Gozewyn
Besprengkelt, als Priaem, d' autaeren:
Daar Pyrrus woedt en moort, in Haamstee's schyn,
En geen Klaeris noch gryze hairen
Verschoont. De helsche en goddelooze Vries
Geen snoode Ulysses wyckt in boosheit.
Nooit leê Heleen door 't schaecken dit verlies
Dat door des schenners trouweloosheit
Vrou Machtelt lydt. De schalcke Vossemeer
Bootst Sinons aert naer in 't stoffeeren.

Het

Het zwanger paert van Troje baert er weêr
De kryghslien, die de kans doen keeren.
Heer Gysbreght draeght zich als Anchises zoon,
En wort in tegenspoet niet slapper;
Zyn deugden staen in top voor elck ten toon,
Niet min godvruchtelyk als dapper.
Proost Willem stort in 't Priesterlyk gewaet,
Als Panthus, Febus Priester, neder.
Vrouw Badeloch, die op Kreüse slaet,
Verbeelt ons hoe getrouw en teder
Oprechte liefde in rampen is belaên
Met haer beminde wedergade.
In Veenerick herleeft de kleene Askaen,
Waermeê de heldt op Godts genade
Zich scheep begeeft, en op een beter wacht. . . .

Neque hac tantum parte imitatus esse Graecos Tragicos Vondelius videtur; sed eo etiam, quod sicut illi, ita et ipse tale argumentum elegit quod misericordiam terroremque moveret; quae affectiones quo essent vehementiores, Gysbertum non tantum ut urbis dominum, sed etiam ut patrem, maritum et fratrem induxit, cumque eo simul uxorem, liberos, fratrem aliosque arctissimis cum eo vinculis coniunctos agentes exhibuit; quod quantopere huius Tragoediae πάθος augeat, omnes haud dubio sentient, qui eam vel legant, vel exhibitam videant.

Grae-

Graeci autem Tragici non ex peregrinorum populorum fatis, sed ex indigenorum heroum historiâ; non ex temporibus quibus ipsi vivebant, sed ex longe remotis et antiquissimis illis, fabularum suarum argumenta petere solebant: similiter Vondelius ex antiquissimâ traditione de fatis heroïs indigeni et ipsius urbis, in qua fabula exhibenda erat, quondam domini, Tragoediam illam nobilissimam confecit, quâ in re Graecos se secutum esse ipse diserte testatur in dedicatione ad Hugonem Grotium (*a*).

Historicis autem monumentis et antiquâ traditione, de Gysberti Amstelii fatis multa certa, mul-

(*a*) Verba eius haec sunt: *het is kennelijk dat d'aeloude dichters poogden de gedichten den Volcke smaeckelijk te maecken met zaecken te ververschen die hunne Vorsten en voorouderen betroffen. Homeer verhief de daden en rampen der Grieken zijne landslieden, en trompette, wat geduurende en na het belegh van Troje gebeurde. — En onder de Griekſche Tooneeldichters hangen Sophocles, Euripides en Aeschijlus doorgaans om Ilium, en wat daer aen vast is, gelijck wolcken om het gebergte, en bouwen hunne bloedige tooneelen te Thebe, t' Argos, en elders, en smilten tot traenen van droefheit, of raecken aen 't hollen van dolheit en ijdele inbeeldingen. Het is ook de reden niet ongelijk, dat onze eige zaecken ons meer ter harte gaen dan die van vreemden en uitheemschen.*

multa vero, ut fit in rebus adeo remoti temporis, incerta ferebantur. Vixit enim ille faeculo N. A. XIII°. Fuit autem unus coniuratorum, qui Florum V^um primum in Angliam abducere ftuduerant, mox, urgentibus eos Flori amicis, interfecerant (*a*). Scilicet provectus iam aetate, neque adeo folers (*b*), Hermanni Woerdenii dolis eâ coniuratione implicitus fuerat Amftelius: nobiles enim irati erant Floro, quippe qui plebi (*c*) magis quam ipfis faveret: praeterea, quam uxorem Gerardus Velfenius duxerat, Woerdenii filiam, fceleste violasfe fertur Florus (*d*); quo etiam auctore ipfe Woerdenius diu exful, Gysbertus Amftelius vero per longum tempus in carcere manferat. Hinc igitur Florum tolerare nullo modo poterant; et quamvis poftea cum eo conciliati viderentur, vetus tamen fimultas exftincta nondum erat (*e*). Eum itaque, adiuvantibus multis aliis nobilibus, interfe-

(*a*) Conf. Wagenaar, *Amfterd.* Vol. II. p. 42.

(*b*) Hinc eum Vondelius dicit *mifericordiâ* magis quam *irâ* dignum esfe in dedic. *ad H. Grotium.*

(*c*) Conf. Wagenaar, *Amfterd.* II. 38. 39. 41.

(*d*) Conf. Wagenaar, *Vad. Hift.* III. pag. 68. et ibid. *nota* et p. 69.

(*e*) Conf. Wagenaar, *Vad. Hift.* III. p. 69.

fecerunt (*a*). De caeterorum fatis non est hic dicendi locus. Nos Gysbertum tantum fequamur, qui, interfecto Floro, patriâ fuâ relictâ, exful aliquamdiu in Flandriâ degit (*b*), Haec, quae fatis certis conftant testimoniis, Vondelius magnam partem fecutus est in ipfius Tragoediae Prologo, quem eloquitur Gysbertus. Neque tamen de iis, quibus tota fabula nititur, fcilicet de Gysberti Amftelodamum reditu; de urbe ligneis turribus pontibusque munitâ, tandemque ab Harlemenfibus aliisque Flori mortem vindicare cupientibus populis expugnatâ atque incendio deletâ; de Amftelii denique profectione in Borusfiam, ubi Hollandiam urbem five condiderit, five faltem incolis frequentaverit, — de iis igitur non aeque certo conftat. Sed ut disquiratur, quatenus iis fides fit tribuenda (*c*), pos-

(*a*) Conf. Wagenaar, *Vaderl. Hist.* III. p. 75. 76. 77.

(*b*) Conf. Wagenaar, *Amsterd.* Vol. II. p 44.

(*c*) Fufe in illam rem inquifivit Wagenaar, *Amsterd.* Vol. II. pag. 52—69. Quatenus verò Vondelius historiam in Tragoediâ fuâ fecutus fit, explicavit I. Koning, in disfertatione cui titulus: *Redevoering over Vondels Treurfpel* Gysbrecht van Aemftel, quae reperitur *in Vaderlandfche Letteroefeningen*, anni 1815. p. 721 fqq. et 1816. pag. 1 fqq. —

postulare quaestio proposita non videtur. Hoc tantum dixisse sufficiat, traditionem eam fuisse antiquissimam, neque omni prorsus ratione caruisse. Eâ autem non ita usus est Vondelius ut nullo modo eam, demendo addendove, mutaret; quin, contra, eo processit ut urbem Amstelodamum describeret, non talem, qualis Gysberti tempore fuerat, sed qualis paulo ante sua ipsius tempora, suâque aetate demum evaserat (*a*), ut patet ex iis locis in quibus mentio fit *Claustri St. Clarissae* dicati, *Templi novi*, *Turris*, quae dicitur de *Schreijers-toren*, *Curiae*, *Mercatorum fori*; et ex aliis multis rebus (*b*). Horum enim alia aliis temporibus ex-struc-

Nobis autem in hac nostrâ disputatione non videtur disquirendum, quid revera acciderit, quid vero accidisse false feratur, sed quaenam Vondelio aut ex historicis aut ex traditionibus innotuerint. Propterea nos, nunc Wagenarium potius quam Koningium secuti, putamus revera Vondelii tempore celebratam fuisse traditionem de Gysberti in urbem post exsilium reditu, de urbis vastatione, deque eius domini in Borussiam profectione.

(*a*) Conf. Bilderdyk, *Epist. cit.* p. 20. I. de Vries, *l. c.* IV. 372 sqq.

(*b*) Conf. Bilderdyk, *Epist. cit.* p. 18. 19. Wagenaar, *Amsterd.* Vol. II. p. 62. Koning, *l. c.* p. 4 sqq.

ſtructa fuerunt, nulla vero Gysberti tempore exſtabant. Neque tamen propter has mutationes reprehendi meretur Vondelius. Quae enim libertas omnibus poëtis conceditur, eâ ipſe, veri nominis poëta, ſummo iure uti poterat (*a*). Quid? quod hac etiam parte cum Graecis Tragicis conveniat; hi enim, ut ſupra ostendimus, quae tractabant argumenta, ea quisque ſecundum ingenium ſuum variis modis ornabant. Cui autem Tragoediam ſuam poëta dedicavit, Hugo Grotius, non ſolum illas mutationes non reprehendit in Epiſtolâ quam ad Vondelium miſit, ſed et *pulcre* eum historiam *ornasſe* ſcripſit (*b*).

Ex iis autem quae diximus, ſatis apparere videtur, ad Graecarum Tragoediarum argumenti indolem atque rationem, omnino conformatum esſe Vondelianae, de qua agitur, fabulae argumentum.

(*a*) Ipſe in dedicatione ad Hugonem Grotium ait: *Wij bouwden dit Treurſpel op de gedachtenis ons bij de Schrijvers en de faam daer van naergelaten, en ſtoffeerden en bekleedden de zaak naar de goude vrijheit der edele poëzije.* Conf. Ariſtot. IX. 1. 10.

(*b*) *Bij anderen wil ik wel ſpreken van de gelukkige uitkiezing van deze in der daat waarachtige, maar bij U. E.* ſchoon gecierde *geſchiedenisſe, de ſtadt van Amſterdam, daar dit werk is gemaakt en vertoont, eigentlijk toekomende etc.*

CAPUT SECUNDUM.

UTRUM ACTIONIS, TEMPORIS, LOCIQUE APTAM ET CONNEXAM RATIONEM, SICUT A GRAECIS OBSERVARI SOLEBAT, SECUTUS NOSTER FUERIT?



Diximus in Prolegomenis, Historicum ſpectaculi genus a Vondelio reformatum fuisſe; hinc igitur multa in eius Tragoediis inveniri, quae cum istarum fabularum ratione conveniant. Et ſane ex ea Tragoediâ, de quâ nunc agimus, luce clarius illud apparere nobis videtur. Quum enim historicae illae fabulae eo maxime tenderent, ut rebus eodem modo, quo revera acciderant, actionis et narrationis ope exhibendis, homines delectarent, i. e. quum in iis historice tantum, non vero poëtice, res tractarentur, facile intelligitur, nullam in iis rationem habitam fuisſe actionis, temporis, locique unitatis. Quo longius enim erat tempus, eo pluribus caſibus, perſonis, ſplendidisque ſpectaculis locus erat

erat (*a*). Temporis autem unitate neglectâ, contra actionis locique aptam et connexam rationem peccare necesse erat. Non enim unus tantum locus obtinere poterat ingenti illo temporis intervallo, quod saepe complectebantur istae fabulae. – Iam vero, si attente Gysbertum Amstelium consideramus, statim in oculos incurrit neglecta *loci unitas*. Quod ad illam igitur attinet cum Graecarum Tragoediarum ratione non convenit Vondeliana illa fabula. Graecis enim unus tantum erat locus, in quo omnia agebantur: in *Gysberto* contra nunc *ante* urbem, neque semper eodem loco; nunc *in* ipsâ urbe, ibique modo in Claustro, modo in Gysberti domo, modo ante eam res agitur. Quin imo, ut et in *Palamede*, sic in nostrâ fabulâ non semper satis est perspicuum, quo loco omnia agantur (*b*). Videtur igitur Vondelius, eo saltem tempore, quo nobilissimam istam fabulam confecit, Graecae Tragoediae indolem atque rationem nondum penitus perspectam habuisse; neque ab Historico genere prorsus abstinuisse. Quod tamen non ita volumus accipi, quasi fabu-

(*a*) Conf. Bilderd. *Dissert. de Tragoed.* p. 122. sqq.

(*b*) Ubinam e. gr. constituendus est Chorus nobilium, qui post actum secundum scenam ingreditur?

bulam eius *Historicam* potius (*a*) quam *Tragicam* appellandam cenſeamus: multa enim Graecorum Tragoediis non postponenda continet; ſed hoc dicimus, eam, quod ad *loci unitatem* attinet, ad Historicorum Spectaculorum rationem magis quam ad Graecarum Tragoediarum exemplum esſe conformatam. Neglectae autem eius unitatis praecipua cauſa videtur non bene a Vondelio intellecta Chori Graeci ratio Huic enim quum non conſtituisſet perpetuum in ſcenâ locum, facile mutandae ſcenae opportunitas praebebatur, ſimulatque et actores et Chorus eam reliquisſent. Sed de Choro postea nobis erit dicendum. Haec nunc monuisſe ſufficiat, ne uni historico ſpectaculo culpam tribuere videamur, cuius cauſa praecipua in Graeci Chori non penitus perſpectâ ratione quaerenda est: ex quâ etiam ortum est ut *temporis perpetuitas* a Vondelio negligeretur. Quum enim in Graecis Tragoediis omnia cernerentur a ſpectatoribus, neque ab iis aliquid cogitari opus esſet, factum etiam est ut temporis perpetuitatem non interrumperent; quod quo minus facerent, impediebat perpetuo manens in ſcenâ Chorus: contra in Gysberto Amſtelio, quum non ſemper iis-

(*a*) Sc. eo ſenſu, quo fabulae, quae myſteriis ſucceſſerunt, *Historicae* dicuntur.

iisdem, ſed nunc his, nunc illis perſonis conſtaret Chorus, neque adeo in ſcenâ perpetuo adesſe posſet, facile interrumpi poterat temporis perpetuitas. Sic igitur ſpectatori ratiocinatione fingendum est, inter actum ſecundum et tertium, hostes, ex inſidiis erumpentes, urbe potiri, et incautos ſecurosque incolas aggredi; unde temporis interrumpitur perpetuitas: fingendum enim est tempus quoddam praeterire inter Vosmeri reditum in urbem, et inter initium actûs III[i], quo Badelocha Gysberto ſomnium ſuum narrans clamoribus interrumpitur Petri urbem hostibus plenam esſe narrantis, et auxilium rogantis. Sic etiam necesſe est, ut inter actûs V[i] ſcenam primam et ſecundam ſatis magnum temporis fingatur intervallum, quo repelli potuerit Gysbertus, qui cum ſuis ex arce eruperat, et cum hoste manum conſeruerat (*a*).

Quod vero ad *actionis unitatem* attinet, de eâ dicere non adeo facile videtur; attamen, ſi bene de eo cogitemus, quod illâ intellexerunt Graeci, certi aliquid ſtatui posſe existimamus. Scilicet, ut diximus in Partis I[ae] Cap. II°, unitas

(*a*) Ut mens nostra bene intelligatur, monendum nobis videtur, nos non dicere Vondelium temporis *unitatem*, ſed temporis *perpetuitatem* neglexisſe.

tas actionis iis erat, quando *unius tantum herois una actio exhibebatur, quacum ita coniuncta esſent quaecumque a caeteris agerentur perſonis, ut horum aliquâ parte ſublatâ, tota fabula turbaretur.* — Iam vero, quamnam esſe *actionem* huius fabulae dicemus? An dubitationem Gysberti, utrum Amſtelodamum ſit ipſi relinquendum, an vero ad mortem usque defendendum, uxore et liberis ſuis, omnibusque ad bellum non idoneis hominibus dimisſis? Sed hanc non esſe huius fabulae actionem vocandam, omnes intelligunt. Quis enim putabit Vondelium quatuor priores actus *prologo* impendisſe, ultimo tantum actionem comprehendisſe? Estne igitur modus, quo urbs Amſtelodamum ab hostibus inſidiarum ope capitur, et a Gysberto eiusque ſociis defenditur, quibus tamen hostium numero ſuperatis, urbem relinquere cogitur Amſtelius, monitu magis Raphaëlis quam necesſitatis vi, quippe cui cedere tamquam fortis heros nollet? — Verisſimum omnino videtur hanc dicendam esſe huius fabulae actionem; quae ſic tamen non tantum ad Gysbertum, verum et ad eius hostes pertinet, ſic ut patet ex actu ſecundo integro; neque igitur, ſenſu Graecorum ſcilicet, unam esſe actionem dicere posſumus. Quamvis enim necesſe erat ſpectatorem certiorem facere eorum, quae in animo haberent hos-

tes

tes, et quamvis actus II^{us} aliquatenus cum totâ actione cohaeret, non ſic tamen cohaerere videtur, ut eo ſublato, omnia turbentur. Quae enim Vosmerus narraverat in actûs Primi ſcenâ tertiâ, ficta esſe, *et* ſpectatoribus, *et* vero etiam Gysberto apparet ex iis quae in Actûs III^{i} ſcena I^{a} narrat *Petrus*. Non negamus quidem, pulcherrime et maxima cum arte fabulam ſuam ſic dispoſuisſe Vondelium, quo maiorem ſpectatori quam ipſi Gysberto de urbis fatis metum et ſollicitudinem incuteret; ſed, ſi hoc postulatur, ut ad Graecae Tragoediae rationem hancce fabulam exigamus, reſpondendum nobis videtur, non esſe *unam* actionem, eo ſcilicet modo, quo in Graecis Tragoediis obtinebat. – Quodſi quis forte neget eam esſe huius fabulae actionem, quam modo esſe diximus, age, Vondelium ipſum audiat in dedicatione ad Hugonem Grotium: „ *Het rijzen van onze nieuwe Schouwburg* —— „ *dede onzen lust rijzen, om dit aanzienelijk* „ *Gebouw in te wijden met eenigh werck, dat* „ *deze ſtadt en burgerije moght behagen; waar-* „ *om wij voor onze ſtoffe uitkozen de* jammerlijc- „ ke verwoestinge van Amſterdam en Balling- „ ſchap van Gysbreght, van Aemſtel, *toen hee-* „ *re derzelver ſtede.*" – Sicut igitur fabulae „ Aeſchyli, quae inſcribitur Πέρσαι, argumentum est clades a Graecis ad Salaminem illata Per-

Perſarum exercitui: actio vero ſenum anxia ſollicitudo; de fatali, qui iis affertur, nuntio, querela; et Xerxis fugâ evaſi deſperatio; ſic *Gysberti Amſtelii* argumentum est vastatio Amſtelodami, et Gysberti exſilium; actio vero modus, quo et hostes urbe potiuntur, et eam defendit Gysbertus; eiusdem denique dubitatio utrum, urbe iam ab hostibus captâ incendioque deletâ, arx ipſi ſua ſit defendenda, an vero exſuli patriâ ex cedendum.

Actio autem est integra et perfecta, ſicut in Graecorum Tragoediis, ita ut neque ante initium, neque post finem aliquid deſideretur. Quae ſcilicet ſpectatori ad intelligendam Tragoediam, cognoscenda erant, ea Gysbertus exponit in Prologo, cuius prioribus verſibus auditis, intelligunt iam ſpectatores quanam de re agatur. Omnes vident Gysbertum laetitia affici propter inopinatum hostium discesſum; laetantur cum eo, dicente, urbem, quam toties ferro ignique vastare cupierant hostes, nunc ultro ab iis fuisſe obſidione liberatam; caeterum cauſas hostium in ſe odii exponit Gysbertus, dolisque Woerdenii et Velſenii coniuratione contra Florum ſe implicitum fuisſe, dicit.

Sicut autem in Sophoclis *Oedipo Tyranno* nihil a ſpectatore deſideratur, postquam Thebas exſul relicturus ille e ſcenâ in regiam ingresſus est;

est; ita etiam prorſus ad finem perducta est actio, ſimulatque navem ingresſurus infelix Gysbertus arcem cum ſuis reliquit: quo facto nihil ad ſpectatores attinet, quo modo exſul vitam degat, aut quid urbe potiti hostes ulterius agant.

Quod vero ad magnitudinem actionis attinet, ſecutus esſe *Ariſtotelis* praeceptum Vondelius videtur (*a*): omnia enim fieri finguntur illo tempore, quod praeterit ab horâ post meridiem quartâ usque ad ſolis ortum; uno igitur ferme ſolis circuitu (*b*).

In ſcenas denique atque actus dividitur haecce Tragoedia; quod quantopere cum Graecarum Tragoediarum ratione pugnet, diximus in Capite II° partis prioris. Orta autem haec distinctio ex male intellectâ Graeci Chori ratione et hinc neglectâ actionis, temporis, locique unitate: ſubducenda enim ſpectatorum oculis ſcena erat, quotiescumque locus mutandus, aut temporis aliquod ſpatium praeterire fingendum esſet: quibus mutationibus non eguisſet Vondelius, ſi, quo Graeci, eodem modo etiam ipſe Chorum adhibuisſet. Quum vero *Senecae*, qui hoc tempore a multis non legebatur tantum, ſed et ni-

(*a*) Περὶ ποιητικῆς, VIII. § 5.

(*b*) Conf. argumentum fabulae Vondelianae in fine.

nimiis extollebatur laudibus, Tragoedias sedulo versaret, quin etiam Troades et Herculem Furentem versibus Belgicis iam reddidisset, non mirum est, eum exemplum secutum esse poëtae, qui quamvis cum Graecis nullo modo comparandus sit, eo tamen tempore ab omnibus ei vehementer commendabatur. Sicut igitur ille, quamvis fabulas suas in actus dividebat, Chorum nihilominus post cuiusque actûs finem induxit, ita et poëta noster ad uniuscuiusque actûs calcem Chorum partes suas agentem in scenâ constituit.



CA-

CAPUT TERTIUM.

UTRUM SIT EADEM VONDELII FABULAE DISPOSITIO SIVE PARTITIO, QUAE GRAECARUM SOLEBAT ESSE TRAGOEDIARUM?



Partitionis, quae in Graecis Tragoediis obtinebat, caufa fuit eis proprius ufus Chori, qui a Vondelio longe diverfo modo adhibitus est in fabulâ, de qua nunc agimus. Quamvis itaque vel hinc intelligitur, fieri facile potuisfe, ut in aliis etiam rebus, a Chori ufu pendentibus, ab eorum ratione aberraret, disquiri tamen potest quatenus *Gysberti Amftelii* partitio cum Graecarum fabularum difpofitione conveniat, praefertim quoniam vidimus non in omnibus faltem a Graecâ ratione alienam esfe nobilisfimam hanc Tragoediam.

Et quod ad *Prologum* quidem attinet, quae ipfe Vondelius dixit in fine argumenti, quod totius fabulae confcripfit, fatis ea indicare nobis videntur eum Graecorum exemplum fequi ftuduisfe. Ibi enim Gysbertum Amftelium προλο-

γι-

γλζειν dicit. Quamvis autem reverâ ea, quae Gysbertus in initio fabulae loquitur, *Prologi* (*a*) nomine insigniri possunt, vereor tamen ut

(*a*) Sunt qui Prologum illum tamquam nimis longum, reprehendant, sed eos recte, ut videtur, refellit auctor operis, cui titulus: *de Toneelkijker*, Parte II. N. 5. December 1816. p. 233. ubi dicit: „ *Welk eene heerlijke verscheidenheid van toon treft ons reeds in de eerste alleenspraak van* Gijsbrecht, *wanneer hij, verblijd over de verlossing der stad, opkomende, in den toon der hartelijkste vreugde uitroept:*

„ *Het hemelsche gerecht heeft zich ten lange leste*
„ *Ontferremt over mij, en mijn benaeude veste.*"

hierin voortgaande tot dat hij bij den regel:

„ *De Kermerlander had met Waterlander dier*
„ *Gezworen duizentwerf,*"

in den toon van verhaal overgaat, om al het leed, dat hem reeds trof, voor te dragen; wanneer hij den klaagtoon aanvangt bij den regel:

„ *Ons maegschap zit verdruckt, durft schilt nocht wapen voeren,*"

welke klaagtoon eindigt, als hij de diensten, door hem en zijnen Vader den Graaf bewezen, optelt, en in den heldentoon overgaat, beginnende met den regel:

„ *En noch verzamelt men in 't harnas zoo veel troepen,*"

waar in hij ten einde toe voortgaat. Deze vooraf-spraak

ut ab omni parte cum Graecorum *Prologo* conveniant. Etenim, ut ſupra iam diximus, Prologus Graecis dicebatur ea Tragoediae pars, quae Chori primum cantum praecedebat. Recctius igitur *Prologus*, Graecorum ſcilicet ſenſu, vocandus nobis videtur totus actus Primus. Sicut enim in *Oedipo Tyranno* Prologus non tantum continetur iis, quae ab uno Oedipo proferuntur, ſed iis etiam, quae cum eo loquuntur Sacerdos et Creon, ita, ſi Graece loquamur, non tantum ea ſunt in Vondelii fabulâ Prologi nomine inſignienda, quae in initio effatur Gysbertus, ſed ea etiam quae fiunt in ſcena II[a] et III[a], poſt quas demum Chorus ſcenam ingreditur. Quodſi ita ſtatuimus, hac etiam parte Prologus iſte cum Graeci Prologi indole convenit, quod, ſicut hic, ita ille etiam ſerviat ad ſpectatores ea docendos, quibus ignoratis, fabulam intelligere non posſint. In *Oedipi Tyranni* prologo exponuntur Thebanorum, peste afflictorum, miſeriae; patefit earum cauſa; et conſilium initur, quo ſecundum oraculi effatum, ſint iis liberandi. Similiter in Vondelii fabulâ gaudii ſui cau-

ſpraak is op zich zelve een meesterſtuk van kunst, en wij kozen die boven eenig ander ſtuk uit, ten einde de bedillers den mond te ſtoppen, die dezelve als langdradig en vervelend uitkrijten."

caufam exponit Gysbertus; caufam item, cur hostes ipfi adeo fint infenfi; fe tamen odio indignum dicit, quo ab hostibus exercetur; quo vehementer fpectatorum fibi gratiam conciliat: plura tamen iis cognoscenda erant ad fabulam bene intelligendam. Adveniente igitur mox Willebrordo, quaenam caufa fit hostium fugae, comperit Gysbertus: qui quo magis fit curis vacuus metuque liber, ab hostibus perfequendis redux Arentius, eorum fugam atque praedam ingentem captam narrat. Simul etiam Vosmerum (*a*) adducit, quem mendacia loqui aut infidias urbi ftruere, ne fufpicatur quidem Amftelius; cuius tamen rei non plane ignari erunt fpectatores, fi, quod ab eo fieri folet, qui Arnoldi perfonam refert, Gysberto gestu quodam fignificetur, non recte eum agere, qui hostili viro in urbem libero abire concedat: cui tum refpondet urbis dominis:

„ *Ick*

(*a*) Asfentimur omnino viro Cl. B i l d e r d y k, in *Annot. ad Disf. de Trag.* p. 191. male histriones facere, qui ignobili et ex plebe homini convenientem dialectum Vosmero tribuant; quis enim Egmontium putabit tanti ponderis negotium tali homini credidisfe? Neque igitur facimus cum auctore animadverfionum mox citandarum p. 60. Sed omnino cum auctore Diarii, cui titulus: *de Toneelkijker*, p. 214.

„ *Ick hoor de Goijer doet de waarheit niet te kort,*
„ *Want zijn vertelling ſtemt met vader Willebord.*" —

Tum vero virginum Amſtelodamenſium Chorus ſcenam ingresſus gratias ait esſe Deo agendas, de inopinata urbis ſalute; laeteque in ſacris aedibus precandum et cantandum, quod diem Christi natalem ab hostibus liberi celebrare posſunt incolae. — Quibus cantatis carminibus, ſcena clauditur, neque velo remoto, idem est locus, neque eaedem ſunt perſonae; ſed duces ſunt hostium duo, qui prope Carthuſianum clauſtrum exercitûs parti conſilium urbem noctu invadendi aperiunt: mox Willebordum Didericus cogit exercitum hostilem in Clauſtrum recipere (*a*): Egmontio denique ex urbe redux Vosmerus omnia bene ſuccesſisſe, navemque militibus plenam, ſine ulla incolarum ſuſpicione, in

(*a*) Nonnulli Tragoediâ indignam hanc ſcenam existimant; (ut Macquet, *Proeven van Dichtk. Letteroef.* Vol. III. p. 12.) nos vero cum iis conſentire non posſumus: Est enim talis, quales multae reperiuntur in Graecorum fabulis e. gr. in Antigone Sophoclis a vs. 222—330. — Non tamen diffitemur eam actionis ſublimitati aliquantum nocere. Conf. Cap. IV. huius partis.

in urbem inductam fuisse narrat: quibus factis, finis adest actus II[1]. Actu autem tertio in Gysberti arcis penetrali sedentem cernimus Badelocham, lacrimis oppletam; eamque marito intranti causamque tristitiae roganti horrendum somnium narrantem audimus; de quo dum queritur, metumque suum et timorem prodit, ecce advenit Petrus, clamans auxiliumque rogans contra hostes a quibus captam esse dicit urbem; conqueritur de miserâ suâ fortunâ Gysberti uxor, dum ipse, turri conscensâ, hostes speculatur; mox, in atrium redux, invasam ab iis et incensam urbem significat, armaque indutus, cum sociis suis et fratre Arnoldo Uxorem domumque relinquit, urbem, si possit, defensurus.

Interea dum, scenâ clausâ, locus mutatur, cogitatione sequimur Gysbertum, urbem percurrentem, socios undique congregantem et contra hostes ducentem, donec, velo remoto, claustrum intueamur Clarissae sacrum, Chorumque Virginum perpetratam Herodis iussu infantium caedem canentem audiamus. Mox Dei voluntati sese submittens Gosewinus Amstelius Clarissam, ut aufugiat, exhortatur: illâ vero abnuente, et ad mortem usque ei adesse volente, vestes pontificales ante indutus, cum Virginibus carmen Simeonis canit: tum vero intrans subito Gysbertus, cantus interrumpit sacros, Gosewinum

num et Clarissam precatur, orat, obsecrat, ut cum omnibus virginibus, se duce, aufugiant; negant tamen illi se hoc facturos; quibus frustra obnisus Gysbertus, appropinquantium hostium audito clamore, claustri portam defensurus, eos relinquit (*a*). Loco interim mutato Badelocham iterum cernimus in arcis atrio sedentem, fratrisque sui, sine marito, reditu exterritam; hunc vero horrendam captae incensaeque urbis conditionem et irritos Gysberti sociorum-

(*a*) Antequam locus mutatur, velo, quo per momentum scena obducta fuerat, remoto, interior Claustri pars ostenditur: iacent interfectae virgines: Gosewinum et Clarissam occisos, hostes vero caede furentes cernimus. Illud igitur spectaculum a plerisque idoneis iudicibus improbatur: tamquam a Bilderdykio, in *Annot. ad Diss. de Tragoed.* p. 190. ab Auctore supra citato, nec non a Scriptore Animadversionum de modo, quo exhibitus fuit Gysbertus Amstelius, quae reperiuntur in Diario cui titulus: *Algemeene Kunst- en Letter-Bode*, anno 1819. Vol. I. No. 4. p. 62. Et sane supervacaneae eo redduntur Gysberti nuntiique narrationes: neque igitur nobis probandum videtur: quamvis adhiberi adhuc videtur ut etiam vulgum alliciat haec Vondelii fabula: quod sane laudandum est consilium: dubitari tamen potest, quin haec causa satis valeat ad Vondelii pulcherrimae Tragoediae dispositionem turbandam, praecipuasque eius partes supervacaneas reddendas.

rumque ad reprimendos repellendosque hostes conatus narrantem audimus, terrore atque misericordiâ stupefacti; lacrymas cum Badelochâ fundimus propter miserum florentis urbis excidium; anxii cum eâ de mariti fato haeremus, et pulcherrimum illud carmen, quod a nobilium Choro canitur, alit augetque animi nostri affectiones: ita ut cum eâdem Badelochâ vehementer gaudeamus de reditu mariti (in actus V[i] initio); qui tamen adeo horrenda refert, ut non possimus non indignari contra hostes, et summâ tristitiâ affici de urbis, Gysberti, et Badelochae miserrimo fato. Illum vero sua fata narrantem miseriora etiam et magis horrenda referens interrumpit nuntius (*a*), ex cuius ore audimus quaenam Gosewini, Clarissae, omnium Virginum, totiusque Claustri miserabilis fuerit sors: ille itaque Gysbertum excitat ad impetum ex arce in hostes faciendum; quo tamen infelici successu utente, quin et Arnoldo fratre e vulneribus moriente, mox advenit hostium legatus, a Gysberto petens ut arcem sibi tradat, et hostium fidei se suosque committat. Quod quum fortissimus heros nullo modo facturum se dicat, sed potius ad mortem usque arcem defensurum, oritur hinc πάθους plenissimum certamen inter eum et Badelo-

(*a*) Conf. hac de Nuntii narratione Macquet, *Lib. cit.* p. 25 sqq.

locham, quae, cum eam in navem descendere fugâque fibi et liberis confulere vellet, diutisfime ei repugnat: cumque postremo parituram fe dixerat, post preces, quas ipfâ petente, antequam a marito esfet discesfura, fuderat Petrus, ecce Raphaël Angelus Gysbertum cum uxore arcem relinquere, inque Borusfiam proficisci iubet, et ad eum folandum, florentisfimam, quae post tria fecula futura fit, Amftelodami conditionem praedicit: eique in fugâ adfuturum fe pollicetur, quo denique in coelum regresfo, Divini nuntii monitis obfequens Gysbertus, cum uxore liberisque et fociis fuis navem confcenfurus, arcem relinquit.

Breviter fic totam fabulam exponere necesfe nobis vifum est, quo melius diiudicemus, quatenus eius difpofitio cum Graecarum fabularum partitione conveniat. — Iam vero, posfumus omnino, quae fiunt inter chororum cantiones, *Epifodiorum* nomine infignire. At vereor tamen ut recte fic vocentur. Quum enim non eadem fuerit Vondelianae nostrae, quae Graecae Tragoediae origo, facile intelligitur, ea propterea non eodem fenfu *Epifodia* dici posfe. Quis enim dicat Choros praecipuam illius Tragoediae esfe partem? Immo potius eos tantum induxisfe videtur Vondelius, quoniam fic locum fibi futurum fentiebat poëtico ingenio, quod erat ipfi

vi-

vividisſimum, indulgendi. Etiamſi vero concedamus, ea quae continentur inter Chororum carmina, *Epiſodia* dici poſſe, quoniam non ſunt *Chorica*, ſed *diverbiis*, quae dicuntur, conſtant, et quoniam apud Graecos etiam ſic vocata fuerunt, quamvis posterioribus eorum temporibus praecipua Tragoediae pars esſent, Chorusque ad ea accommodaretur, tamen, ſi accurate ea conſideramus, patebit nobis ea a Graecorum Ἐπεισοδίων naturâ esſe diverſisſima. Quum enim illi nihil in iis agi fingerent, niſi quod ad totam fabulam neceſſario aut probabiliter ita pertineret, ut, aliquâ eorum parte omisſâ, tota actio perturbaretur, Vondelius e contrario talia Ἐπεισοδία ſuae Tragoediae intexuit, qualia ab ea ſine ullo probabilitatis detrimento abesſe poſſe videntur, ad quae, niſi totus actûs II^us, de quo ſententiam nostram protulimus iam in Capite II°, certo tamen huius actûs ſcena ſecunda referenda videtur.

Caute nihilominus hac in re agendum existimamus, ne Vondelii fabulam ad Graecae Tragoediae rationem exigentes, eum ſtatuamus reiicere debuisſe, quae reiicere omnino non poterat, propter conſilium quod ipſi, hac in fabula conſcribendâ, affuit. A quo committendo prohibebimur, ſi in eius originem aliquanto accuratius inquiramus. Propoſitum ſcilicet Vondelio

erat,

erat, cum recens exſtructum esſet theatrum, Amſtelodami incolis fabulam quandam exhibere, qua et ipſis placere, et vero etiam inprimis felicem florentemque eo tempore urbis conditionem extollere posſet. Quum igitur argumentum elegisſet ex antiquisſimis infelicisſimisque urbis fatis, opus ipſi omnino erat perſonâ quâdam, quae, quum Tragoediae exitus esſet tristis, Gysbertum ſolaretur, urbisque nunc everſae futuram gloriam proſperamque ſortem vaticinaretur: hanc vero ut probabiliter induceret, maxime tragicum illud inter Badelocham et Gysbertum certamen finxit. — Quae quum praecipua fuisſet fabulae origo, porro hoc potisſimum egit Vondelius, ut ea exhiberet, quae ad illud certamen probabile reddendum conferre, ſimulque ſpectatorum attentionem allicere posſent. Quo maius autem esſet discrimen inter urbis ſuo tempore florentisſimum, Gysberti vero aetate miſerrimum maximeque afflictum ſtatum, eo ſpectatoribus cum Arnoldi, tum ipſius Gysberti, tum denique nuntii narrationibus (quarum ultima maxime omnium horrenda refert et miſerrima) modum exhibuit, quo urbs et ab hostibus per inſidias capta, et a Gysberto frustra contra innumeras copias certante defenſa, et ab hostium exercitu vastata fuisſet. Quae narrationes quo magis ſpectatores delectarent,

ta-

tales iis intertexuit actiones, quales anſam iis tam neceſſario praeberent, ut vix aliter fieri posſet, quin iucundisſime iis narrationibus afficerentur, quicumque hanc fabulam ſpectaturi esſent. Hinc igitur ortus videtur actus primus, quo Gysbertus, hostium fugae cauſis a Willebordo compertis, eorumque timore et ignaviâ ex Arnoldo auditis, ſecurus et laetus liberatam hostibus urbem ingreditur, laetisſime nunc Christi natales celebraturus: hinc actûs II^i ſcena I^a quâ, quid in animo habeant hostium duces, ipſi aperiunt: ſcena III^a, quâ inſidiarum felicem ſucceſſum narrat Vosmerus, quaque vehementer excitatur ſpectatorum de Gysberti et urbis fato terror atque miſericordia. Quo magis autem illis animi affectibus moverentur ſpectatores, cum urbis Amſtelodami fatis non potuit non eius domini, totiusque huius domûs ſortem coniungere; unde nata actûs III^i pars illa pulcherrima, usque ad Petri adventum; actûs IV^i ſcena I^a; actûs denique V^i ſcena II^a.

Hanc igitur fabulae huius nobilisſimae originem ſi ante oculos ſemper habemus, non adeo facile falſum de ea iudicium pronuntiabimus: neque Vondelio aliter disponenda fuisſe ſtatuamus ea, quae ſic recte omnino eum diſpoſuisſe patet, quamvis cum Graecae Tragoediae ratione non conveniant. Neque tamen hoc ita volumus

ac-

accipi, quasi Vondelius Graecam Tragoediam nullo modo hac in fabulâ secutus fuerit; hoc enim si diceremus, nobis ipsi obloqueremur (*a*); sed hoc volumus, caute esse procedendum, ne ad Tragoediae Graecae rationem exigere studeamus, quae ad eam exigi non posse videntur.

Quod ad Episodia igitur attinet, de iis haec nobis statuenda videntur: aliquatenus ea, sensu Graeco, sic vocari non posse; multa enim in iis occurrere quae abesse sine probabilitatis detrimento possint; quod in suis fabulis numquam passi sunt Graeci; — ab alterâ vero parte sic omnino vocanda esse, quoniam Chori cantibus intertexta sunt; neque tamen, ut et supra, hoc ipso Capite, monuimus, eandem esse eorum originem apud Vondelium, quae apud Graecos fuerat; quum vero in plerisque Aeschyli, Sophoclis Euripidisque Tragoediis, praecipuum locum Episodia, secundum vero Chori obtineant, hac parte cum Graecis Vondeliana conveniunt.

Exodum autem Gysberti Amstelii a Graecarum Tragoediarum exitûs ratione non magnopere discedere, facile est demonstratu. Fabulae nostrae, actio (ut supra vidimus Cap. II.) est mo-

(*a*) Vidd. Prolegomena ad Partem alteram, et eius partis Caput I et II.

modus quo urbs ab hostibus capitur, a Gysberto vero defenditur. Exodus igitur iis omnino rebus conſtet necesſe est, quae ad Gysberti cladem pertineant. Primum enim narratione Arentii certiores facti ſpectatores de urbis ab hostibus captae conditione, deque Gysberti ad eam defendendam conatibus, nunc in actu postremo ab ipſo Amſtelio nec non a nuntio audiunt hostes adeo praevalere numero, ut, quidquid egerint fortisſimi heroës, nihil ad eorum impetum reprimendum valuerit: iam igitur nihil amplius restare, quam ut cum ſuis ex arce Gysbertus erumpat; quod quum, parum tamen proſpero ſuccesſu uſus, fecerit, inſtat iam fabulae finis: urbs enim ab hostibus capta est Gysbertoque erepta; nondum tamen adest extremum Gysberti fatum; ſuperest enim ei arx, quam usque ad interitum defendere in animo habet; ſed hanc etiam oppugnaturi accedunt hostes: legatus ab iis misſus postulat ut ipſis tradat ſe ſuosque Gysbertus: is vero, fortisſimus heros, ad mortem usque contra eos tueri ſe mavult: uxorem tamen cum liberis ſuis et inermibus omnibus, qui ad arcem confugerant, dimittere ſtudet; tum vero certamen inter maritum et uxorem oritur, ad Graecae Tragoediae rationem maxime accommodatum, quippe πάθους, quo tantopere delectabantur Graeci, plenisſimum. Quum autem

Ba-

Badelocha in eo esset, ut marito discedere eam iubenti, quo pertinacius ipse hostibus resisteret, obsequeretur, ecce, precibus, quas, ipsâ postulante, suderat Petrus, excitatus adest Raphael, qui Gysbertum arcem relinquere iubet, et, ut supra vidimus, futuram urbis post aliquot saecula gloriamque floremque praedicit. Continet igitur Exodus, plane ut apud Graecos, partem maxime παθητικήν; et, ut in multis eorum sit Tragoediis, advenit *Deus*, qui dicitur *ex machina*, de quo diximus iam in Partis primae Capite III°. Quamvis autem revera meliores sunt eae Tragoediae, quae tali Deo carere possint, iis tamen, quae supra de huius Nostri fabulae origine protulimus, satis eum excusari putamus: neque enim aliter solatium afferri poterat miseriis afflicto Gysberto, laudibusve efferri felicissima, quae Vondelii tempore erat, Amstelaedami conditio (*a*).

Tristis porro est et *infelix Eventus*. Patriam enim urbem, ab hostibus captam, incensam et dirutam relinquere cogitur Gysbertus, eodem plane modo quo apud Sophoclem *Oedipus Tyrannus*.

Neque praetermittendum est, Vondelium in hac

(*a*) Conf. etiam infra Cap. VI. et Macquet, *l. c.* p. 33 sqq.

hac fabulâ eas res adhibuiſſe, quibus tantopere Graeci delectabantur: *ἀναγνωρίσιν* ſcilicet, atque *περιπέτειαν.* Quae enim narrat Gysberto Voſmerus, iis ille vehementer gaudet, quoniam vera ea eſſe exiſtimat; gaudet item quod hoſtibus ſit liberatus, quodque iam nihil ab eis ſibi ſit timendum. Sed quam miſere mutatur eius laetitia! In actu III° dum Badelocha ſomnium ipſi narrat, accurrit inopinatus, vociferans Petrus, urbemque hoſtibus, qui a Voſmero navi illâ abſconſi fuerant, plenam eſſe narrat. Sic igitur agnoſcitur Voſmerus: agnoſcuntur eius aſtutiae, pateſiunt hoſtium inſidiae; et, qui feliciſſimus antea laetiſſimusque fuerat, Amſtelius, uno temporis momento et inexſpectatâ admodum ratione ſit miſerrimus, maximiſque obruitur calamitatibus.

CAPUT QUARTUM.

DE PERSONIS IN VONDELII FABULÂ OCCURRENTIBUS, DEQUE EARUM MORIBUS.



Vondelius in dedicatione ad Hugonem Grotium ait fabulam ſuam ſe compoſuisſe ſecundum leges dramaticas, neque contra eas peccasſe, niſi eo forte quod nimis multas induxit perſonas (*a*). Et ſane quicumque Graecas cognitas habet Tragoedias, ei ſtatim discrimen illud in oculos incurrit, quod in iis paucae tantum occurrunt, in Vondelii vero Gysberto Amſtelio, maximo ſunt numero. At ſentiit ipſe poëta nobilisſimus contra Graecorum (*b*) conſuetudinem ſe

(*a*) „ *Wij ſtoffeerden en bekleedden de zaeck naer* „ *de goude vrijheit der edele poëzije: oock naer de* „ *tooneelwetten, waer tegens wij wetende niet misde-* „ *den, 't en waer misſchien in talrijckheit van per-* „ *ſonagien, dat wij qualijck konden vermijden, zon-* „ *der het werck zijnen eisch te weigeren.*"

(*b*) Horum enim leges Dramaticas ſine dubio intelligit, quippe quas ſequi ſemper ſtuduit.

ſe peccaſſe, neque tamen ut et ipſe dixit, aliter agere poterat, quoniam perſonas illas omnes totius poſtulabat actionis ratio. Quamvis autem captu faciliores ſunt fabulae in quibus pauciores occurrunt perſonae, non tamen magnopere reprehendi poterit Vondelius, ſi curavit ut nulla perſonarum ſit ſupervacanea: illud enim ſemper cavebant Graeci: neque contra hanc legem Vondelius peccaſſe nobis videtur; omnes enim, quae hac in fabulâ occurrunt perſonae, nexu coniunctiſſimo cum Gysberto cohaerent. Quod ſi quis obiiciat, ſuperfluum eſſe *Petrum*, et Gysberti liberos, quos ambo, laeſâ Tragoediae maieſtate, loquentes induxit Vondelius, quum recte Sophocles in *Oedipo Tyranno* mutas tantum eas eſſe voluerit perſonas; reſpondendum nobis videtur: Vondelium aptiſſimâ omnino ratione Petrum in hac fabulâ agentem induxiſſe; eo enim opus erat ad adventum Raphaëlis probabilem reddendum: eumque cum totâ actione ita coniunxit, ut abeſſe omnino non poſſet: neque enim magis arcte cum totâ fabulâ cohaerere poteſt, quam urbis hoſtium inſidiis captae nuntium afferendo. Quod vero ad liberos Gysberti attinet, nemo negabit ea quae ad Tragoediae πάθος augendum inſerviunt, nullo modo eſſe ſupervacanea: iam vero hanc ob cauſam in *Oedipo Tyranno* Antigonem et Iſmenam induxit

So-

Sophocles; et, quamvis hac in Tragoediâ eas loqui nolebat, in Oedipo tamen Coloneo non mutas eas induxit, ſed loquentes multa, magnâque actionis parte fungentes. Quid? quod Medeae liberi clamantes in domo et vociferantes ſint in Euripidis Tragoediâ. Eiusdem autem πάθους augendi gratiâ, Vondelius etiam Gysberti liberos induxit: maxime Tragicam reddunt eam fabulae partem anxietate ſuâ metuque Adelgunda, puerili autem illâ interrogatione parvulus eius frater (*a*).

Graecarum Tragoediarum una tantum actio erat: una igitur primaria perſona in iis inducebatur; neque dicere veremur, unam tantum in Vondelii fabulâ esſe primariam perſonam; (quamvis, ut ſupra a nobis ſatis demonſtratum videtur, actio non ſit una, eo ſenſu, quo Graeci eam unam esſe volebant) quaecumque enim fiunt, pertinent omnia ad Gysbertum; quae ab aliis perſonis aguntur, omnia ad eum referuntur. In actu I° ipſe Gysbertus primarias agit partes: quae in actu ſecundo moliuntur hostes, quaeque a Diederico et Willebordo aguntur, omnia, quamvis ob rationes ſupra allatas ſine iacturâ abesſe posſent, cum Gysberti tamen ſatis cohaerent: etenim hic erat nodus, quisnam urbe po-

(*a*) Conf. etiam Macquet, *l. c.* p. 32 et 33.

potiretur; Gysbertusne eius maneret dominus; an vero ab hostibus eâ expelleretur. Quae porro fiunt in actu III°, ea sic disposuit Vondelius, ut omnia connexa sint cum Gysberto. Quod enim narrat Badelocha somnium, ad eum omnino pertinet, quoniam Mathildae umbra ab eo hostibus vult eripi Gosewinum et Clarissam; quia vero Badelocham in scenam induxit poëta, propterea optime cohaerent, quaecumque in caeteris actibus sequuntur. Postquam enim in actûs IV[i] scenâ I[a] Gysbertus Mathildae monitum exsequi conatus fuerat, Badelocha de mariti fatis anxia in scenâ II[a] ab Arnoldo reduce postulat ut narret sibi quaecumque ad Gysbertum pertinent: mox ipse advenit, et quid viderit, quid fecerit, quid passus fuerit, praesens refert. Iam vero extrema referentis nuntii adventu excitatur Gysbertus ad erumpendum cum suis ex arce: quo tamen conatu infeliciter cedente, Gysbertus morte fratris maiori etiam dolore afficitur, ita ut videatur iam iam hosti cessurus. Magnanime tamen negat hostium legato, sese ipsis esse traditurum; quin ad mortem usque potius arcem defensurum. In eo, quod deinceps oritur, certamine, primaria omnino persona est Gysbertus: etenim lacrimis suis precibusque hoc tantum assequi conatur Badelocha, ut, si ille hostibus diutius resistere velit, sibi manere con-

ce-

cedat, neque se cum liberis nave dimittat. Adveniente tandem Raphaële, Gysbertus consilium ilico mutat, arcemque relinquit. Semper igitur primariae Gysberto sunt partes: atque hac in re Graecorum rationem secutus videtur Vondelius: neque minus eo, quod sicut illi solebant nuntium (ἄγγελον sive ἐξάγγελον) inducere, qui ea narraret, quae non essent spectanda, et tamen ad nodum explicandum omnino cognoscenda; ita ipse etiam nuntium scenam ingredi voluit, qui ultima urbis fata et Gosewini, Clarissae, omniumque sacrarum virginum miserrimam mortem narraret (*a*); neque ullum ei nomen dedit, Graecorum etiam hac in re exemplum secutus.

Sed

(*a*) Videtur autem in eo maximum esse argumentum, ad reiiciendum illud spectaculum, dequo iam supra diximus: rectissime enim Vondelius talia narrari tantum voluit, non vero conspici a spectatoribus; ita ut obsequeretur notissimo illi Horatii praecepto in *A. P.*

Non tamen intus
Digna geri promes in scenam: multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Ne pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem;
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Sed videamus de perſonarum in hac fabulâ occurrentium *moribus*. Ostendimus ſupra Graecos *ſublimes* perſonis ſuis tribuisſe mores. Iam vero Gysberti aliarumque multarum perſonarum mores actionis ſublimitati omnino accommodatos esſe quis negabit? Quid ſublimius cogitari potest Gysberti moribus, qui, urbe, fratribus, ſociis innumeris, Goſewino, Clarisſâ, omnibus fere amisſis, arcem tamen ſuam, ut fortisſimus heros, defendere ad mortem usque mavult, quam hosti cedere? Quid ſublimius est Badelochae de marito dolore et anxietate?

Quum vero hoc etiam asſequi ſtuderent Graeci, ut omnium perſonarum mores, nec non actiones et ſermo, quibus illi exprimuntur, ad univerſae actionis ſublimitatem augendam ſervirent, hoc non item obſervasſe videtur Vondelius. Actûs enim ſecundi ſcena ſecunda Comoediae magis quam Tragoediae convenire videtur, neque ſane ad ſublimitatem aliquid confert. Quamvis igitur *convenientes* omnino mores hac in ſcenâ Diderico, Ianitori, et Willebordo tribuit Vondelius, melius tamen facturus fuisſe videtur, ſi eos ita agentes non induxisſet, quippe quorum actio ſublimitatem totius fabulae non ſolum non augere, ſed minuere etiam omnino videtur (*a*).

Sic-

(*a*) Conf. ſupra Cap. III.

Sicut porro Graeci, ita et Vondelius *convenientes* sive *aptos* personis suis mores tribuit. Alio enim plane modo Gysbertus, alio Vosmerus loquitur: hic, quippe victus, submisse, meticulose, suppliciter: ille, tamquam victor, laete et cum auctoritate, sed simul tamen humane, loquitur. Gysbertus deinde, urbis princeps atque dominus, omnia facit, ut eam defendat hostibusque eripiat: ut maritus vero, uxorem amat quidem maximopere, neque tamen eius causâ patriae salutem negligit. Badelocha mariti, liberorum et urbis suae amore, simulque fortitudine plusquam virili praedita est. Quaecumque vero agit atque dicit, talia sunt, qualia mulierem decent. — Gosewinus, vir pius, et summus quondam Episcopus, gravissimas iamiam experturus calamitates, de fugâ non cogitat, sed Dei omnipotentis voluntati obtemperans, ad altare mori cupit, et, utpote senex, fata sua satis fuse memorat: caeterum de neptis suae periculis tantum est sollicitus, eamque orat, ut ipsum relinquat, fugâque sibi consulat; *Clarissa* vero, heroinae instar, mortem mavult in Claustro sacro opperiri, quam Gosewinum relinquere. Quae postea quoque de iis narrantur a nuntio, eos omnino decent. — Parvo puero convenienti plane modo loquitur Gysberti filiolus; eiusdem filia, utpote tenera pu-

 el-

ella, timet, matremque praesidii causa, anxia amplectitur. — Vosmerus, Sinoni simillimus; callide tegit, quas Gysberto struit, insidias. Quando vero cum ducibus suis loquitur, fortissimum ostendit, et ad omnia pericula subeunda paratum, in insidiis vero struendis regendisque acutissimum animum. Hostium duces potiundae urbis cupiditate flagrant: Willebordus a bellis abhorrens, quietaeque vitae assuetus, a claustro suo, utpote Deo sacro, milites arcere conatur; mox vero, urgente necessitate, cedere mavult, quam praefracte recusando iram hostium cum claustri damno excitare.

Neque minus hoc curavit Vondelius, ut *constantes* personarum suarum fingeret mores. Neque enim alii sunt Gysberti aut Badelochae in exitu Tragoediae mores, alii in medio aut in initio; sed quocumque tempore sibi constant. Aeque pius est Amstelius post urbem ab hostibus captam, atque fuerat post eorundem inopinatam insperatamque fugam. Quaecumque in initio Tragoediae, per Prologum quem elocutus est, de eius moribus innotuerunt, ea omnia adhuc in eo cernuntur per totam actionem, usque ad ultimum fabulae versum. Semper est pius atque fortis: semper uxorem liberosque, patriam semper urbem arcemque suam amat et defendere conatur: neque ab hac tuendâ abstra-

hi

hi potest precibus uxoris aut liberorum lacrimis: ſed Raphaëlis adhortatione opus erat, ut eam cum ſuis tandem relinqueret, fugâque ſibi ſuisque conſuleret. — Idem ſemper Badelochae est mariti amor; hunc ſequitur cogitatione ſuâ, dum pericula ſubit horrenda: hunc reducem videns et amplectens effuſisſime gaudet, nec niſi prae eius amore voluntati eius repugnat; maritum enim ſuum relinquere nequit: mavult cum eo pugnare contra hostes, mortemque oppetere crudelisſimam, quam tuto degere, dum illi omnia omnis generis imminent pericula. — Neque Badelochae tantam et Gysberto, ſed omnibus, quae hac in fabulâ occurrunt, perſonis mores ſibi ſemper conſtantes tribuit Vondelius.

Neque probabilitatem et necesſitatem neglexit. Necesſe, ex. gr. erat, ut Gysbertus nullo modo de inſidiis cogitaret. Praeterquam enim quod non erat valde perſpicax, laetitiâ ob hostium profectionem perfuſus erat: cauſam eius ex Willebordo audiverat: per Arnoldum denique de eorum fugâ certior factus erat: necesſe igitur omnino erat, ut nihil ſuſpicaretur, dum Vosmeri narrationem audiebat.

Probabile erat Gysbertum negare ſe arcem hostibus traditurum; quo modo enim qui urbem ſuam tantâ fortitudine contra eos defenderat, quique horrendam eorum crudelitatem

ex-

expertus fuerat, eorum fidei se committeret?

Quum autem in his omnibus Vondelii Tragoedia cum Graecarum Tragoediarum ratione conveniat, hoc tandem ei quoque inest huic non dissimile, quod, quales ex historiâ vel traditione notum erat personarum mores fuisse, tales ipsis tribueret Vondelius (*a*). Quum enim Gysbertus traderetur homo probus, neque tamen valde perspicax, dolisque Woerdenii coniurationi contra Florum implicitus fuisse; hanc traditionem avide arripuit Vondelius, ut haberet quo nullius ingentis facinoris reum esse eum ostenderet, optime sciens hoc opus esse artificio, si placere eum spectatoribus vellet. Hinc igitur ipse Gysbertus in Prologo dicit:

„ *Om wiens* (Flori V[i] scilicet) *vervloeckte doot*
ick lijde zoo onschuldigh
„ *Als yemant lijden mag; doch draegh mijn*
kruis geduldigh:
„ *Of zoo ick schuldigh ben, en heeft het mij*
gemist,
„ *'t Is uit onnoozelheit, en zonder ergh of list.*

„ *Neef*

(*a*) Perspicuum est nos de iis tantnm personis loqui, quae revera olim exstiterant; iis enim, quas finxit Vondelius, mores tribuere non poterat, nisi convenientes et constantes. Quasnam autem finxerit, videndum est in Koningii *Dissertat. laud.* p. 8—10.

"*Neef Velzen, lang geterght, van eige wraeck geprickelt,*
"*En Woerden hebben mij hier listigh ingewickelt,*
"*En 't ſchoonſte voorgeſtelt, en eerst de zaeck verbloemt*
"*Met wonderbaren glimp: maer 'k heb hun wit verdoemt." etc.*

Graeci vero Tragici, quorum opera ſuperſunt, quum Athenis nati, aut ſaltem educati esſent ibique vitam degisſent, huius urbis incolas laudibus extollebant, eisque in ſcenam inductis mores tribuebant meliores, aliis vero Graeciae populis, tamquam Thebanis Lacedaemoniisque, deteriores. Similiter plane Vondelius Gysberti mores tales finxit, ut eum miſericordiâ proſequerentur omnes, iniusteque ab hostibus vexari putarent: iis vero tales, ut ipſis omnes indignarentur, et maximopere ab eorum ſceleribus abhorrerent. Sunt enim Gysbertus et Arentius pii atque humani, impius vero est Didericus, quippe qui ne clauſtris quidem parcat: ſunt crudeles et libidinoſi Haamſtedius, Grobberus, alii: et talia de hostium incontinentiâ et feritate narrantur ab nuntio et a Gysberto, ut ingens appareat discrimen inter istos et urbis dominum. Sic autem egisſe videtur Vonde-

delius, tum quia revera nimio in Gysbertum odio faevierant hostes, tum vero praecipue ut Amftelodami incolis fpectatorum conciliaret favorem. Hinc igitur Gysbertus in Prologo ait:

„ *Doch Haerlem draeght met recht de grootfte*
fchult van allen,
„ *Dat om zijn voordeel wrockt, en wenscht*
mijn fterke wallen
„ *Te flechten tot den gront, in fchijn van 's Graven zaeck,*
„ *En weet zijn baetzucht loos te decken met de*
wraeck,
„ *Misbruickt hiertoe den Zeeuw, de Hollanders*
en Vriezen,
„ *Om door mijn grootheid niet aen eere te verliezen.*"

Et fic quidem, ex iis, quae de Perfonis earumque in hac fabulâ moribus dicenda habebamus, fatis apparere arbitramur, quatenus hac parte cum Graecae Tragoediae ratione conveniat pulcerrima illa et maximâ admiratione digna Vondelii Tragoedia.

CA-

CAPUT QUINTUM.

DE CHORIS IN VONDELII FABULÂ: GYSBRECHT VAN AEMSTEL OCCURRENTIBUS.



Vividisſimum Vondelius acceperat a naturâ ingenium; poëta, ut ita dicam, natus erat; neque igitur aliter fieri potuit, quin veterum Tragoediis vehementer delectaretur, easque imitari ſtuderet. Quatenus in hac fabulâ ſecutus eos fuit, partim iam vidimus; ſed accedimus nunc ad illud, quo et maxime convenit eius fabula cum Graecae Tragoediae ratione, et maxime ſimul ab eâ discedit. Quicumque ſc. Choros in hac fabulâ occurrentes attente legerit et relegerit, eum nullo modo latebit multum differre eos a Graecis: neque tamen propterea Vondelium reprehendendum existimabit, quippe cuius tempore (ut etiam ſupra diximus) ne eruditisſimi quidem celeberrimique viri Graecorum Chori cum totâ fabulâ nexum bene perſpexerunt; ſed maximas potius agat Vondelio gratias, maximoque gaudio perfundatur, necesſe est, quod in-

ingenii ſui tam pulcra, tam ſublimia, Graecisque digniſſima prorſus monumenta poſteris reliquit. Sunt enim, qui in *Gysberto Amſtelio* occurrunt, Chori, quaſi auro inſertae gemmae, quae lucent, ſplendent, omniumque in ſe oculos attrahunt; ſublimes maxime; revera lyrici; affectibus pleni; neque multa nostrae linguae carmina invenias, quae cum iis contendere poſſint. Quicumque eos legit, eum ita afficiunt, ut, niſi eorum argumentum illud impediret, Aeſchyli, Sophoclis, aut Euripidis Choros legere ſibi videretur. Quid enim maiori nos gaudio laetitiâque afficit, quam Chori illius virginum propter inopinatam urbis liberationem laetantium carmina? Quid ſublimius Choro illo Nobilium Christi Servatoris natales celebrantium? Quid affectu plenius carminibus illis divinis quibus virgines ſanctae infantium Bethlehemi perpetratam caedem deplorant? Quid coniugalem amorem melius exprimit, quid uxoris de marito ſollicitae atque perterritae dolorem atque curas melius pingit Choro illo Nobilium, qui de Gysberti reditu deſperantis Badelochae anxietatem atque tristitiam deſcribit? Vehementer igitur miror (*a*), nonnullos eo proceſſiſſe, ut Choros il-

(*a*) Auctor e. gr. *Diſſert. de Tragoed.* in Feithii et Kantelarii, *Opere ſupra citato* Vol. I. pag. 46—49.

illos Vondelianos omnino reiiciendos esſe ſtatuerint; „ neque enim eos convenire, quâ Gys„bertus vivebat, aetati, neque temporum, „ quâ premebatur, iniquitati; in urbe enim „ obſesſâ nullum virginum Choro locum esſe „ posſe". — Nec ſane bene ratiocinari videntur isti: quamvis enim fatendum esſe putamus, tempore Gysberti non omnia populo coram acta ta fuisſe, ut apud Graecos, adeoque Choros non aeque probabiles esſe in hac Vondelii fabulâ, atque in Graecis; vicisſim tamen nobis concedendum existimamus, maximâ arte Vondelium eos cum actione iunxisſe, adeo ut probabilem omnino in eius fabulâ locum obtineant. Tempus enim quo factum fuisſe poëta fingit, quod in eius Tragoediâ exhibetur, erat ipſa nox illa, quâ Christi nati memoria celebraretur; hinc igitur ortus, qui post actum II, nec non qui ante actum quartum legitur Chorus. Probabilitate porro prorſus non caret, propter inopinatam liberationem, laetum populum Gysbertum portis egresſum ſecutum esſe, puerosque adeo, iuvenes, ſenes, feminas, matronas, virgines urbe effluxisſe ad viſenda loca, ubi hostes conſederant, inſperatoque eventu fruendum, quo nunc

46—49. Sed recte eos refellit I. de Vries, in *Op. cit.* Vol. IV. pag. 375 ſqq.

nunc ipsis, post integri anni obsidionem, portis egredi licebat.

Hinc igitur Vondelius inducere omnino poterat virginum Amstelodamensium Chorum: neque parum probabilitas illa augeretur, si cum eo simul cuiuscumque aetatis et sexûs homines ex urbe in scenam prodirent. Fit autem in hoc etiam Choro festi, in nati Christi memoriam celebrandi, mentio. Quartus vero Chorus tam arcte apteque cum totâ actione cohaeret, ut vix ac ne vix quidem ab ea separari posse videatur. Etenim adesse omnino Badelochae potuerunt Nobiles, qui ad arcem tuendam remanserant, neque Gysbertum contra hostes profectum secuti erant; hi igitur, quum eius uxorem viderent tanto dolore tantâque desperatione agitatam, potuerunt omnino de iis aliquid effari, quo laudarent eius amorem, eamque solarentur, Deum pro mariti salute precando. Quum vero Vondelius vividissimo esset fertilissimoque ingenio praeditus, maluit ea, Chorico, quippe multum sublimiori carmine comprehendere, quam versibus Heroïcis exprimere.

Causa autem, cur et hac in fabulâ et in caeteris omnibus Choros induxit, posita videtur in eo, quod Graecarum aut Senecae saltem Tragoediarum rationem sequi in nostrâ patriâ multi solebant, sicut Hooftius eam imitari studuit;

a

a cuius igitur exemplo noster non discesſit, praeſertim quia maxime cum eius ingenio conveniebat, fabulas componere non historicâ ſed poëticâ prorſus ratione: cui igitur naturae dono quamvis in narrationibus et caeteris diverbiis, quae dicuntur, per egregias comparationes, ſplendidas figuras aliaque multa obſequi poterat, Chorum tamen ad hoc aptiorem etiam locum ipſi praebere ſentiebat.

Maxime tamen differunt a Graecorum Choro Vondeliani, tum origine, de qua diximus, tum, quod non ſemper iisdem perſonis, ſed primo Virginibus, postea Nobilibus, mox ſanctis Clauſtri virginibus, denique arcis incolis conſtant; deinde quod non perpetuo in ſcenâ maneant, ſed, actoris inſtar, ad partes ſuas agendas eam ingrediantur; unde igitur ſequitur non ſemper ſatis bene eos cum actione coniunctos esſe, quamvis tamen, ut ostendimus, maximâ arte illud asſequi ſtuduit Vondelius, tempore ſcilicet utendo ad id quam aptisſimo. At ne vel ſic tamen cum totâ actione bene cohaerere videtur Chorus nobilium post actum ſecundum ſcenam ingredientium; de quo etiam incertum nobis est, quonam loco ſit conſtituendus.

Melius omnino ſeſe habet Chorus primus, de quo diximus: Virginum item Chorus ante actum quartum: quin et ille, ut apud Graecos, ac-

actioni interest: quum enim Gosewinus eas ad fugiendum excitat, respondet pro omnibus una: (*a*)

dit outer is ons wijck.

Sic etiam Chorus, qui post actum quartum carmina canit, (quamvis ibi nullo modo interrumpitur actio, adeoque forte Choro opus non esse videri possit) in actûs quinti scenâ secundâ, Arnoldo mortuo, sic ait:

Nu zal hij zich voortaen ten uitval niet beledigen,
Noch 't Vreelandsch slot, noch dit, met zulck een moet verdedigen,

Noch

(*a*) Plane ut apud celeberrimum Tragicum, qui post Vondelium floruit, Racine, in *Tragoediâ*, cui ab *Athalia* nomen act. III. sc. VII.

Hé pourrions - nous, seigneur, nous séparer de vous?
Dans le temple de Dieu sommes - nous étrangères?
Vous avez près de vous nos pères et nos frères.

et

Hélas! si, pour venger l' opprobre d' Israël,
Nos mains ne peuvent pas, comme autre fois Jaël,
Des ennemis de Dieu percer la tête impie,
Nous lui pouvons du moins immoler notre vie.
Quand vos bras combattront pour son temple attaqué,
Par nos larmes du moins il peut être invoqué.

Noch 't Amſterdamſche recht beſchutten met zijn
zwaert,
En draven door het heir op een luid brieſchend
paert,
Om prijs en eer in 't ſtof door zweet en bloet te
winnen.

In ultimâ autem ſcenâ ſaepe actoris partibus fungitur, et arctisſime cum actione cohaeret: Sic excitat Badelocham ad marito obtemperandum:

Nu vollegh raet, Mevrouw, en laet U toch ge-
zeggen!

mox Gysbertum obſecrat, ut uxorem reſpiciat, neque eam oblitus, hostibus ſe inferat:

Mijn heer, ontferm U toch om uw' bedruckte
vrouwe!
Zij luistert naer uw raet: zij zwijmt; zij ſterft
van rouwe.

et inferius:

't En zij gij wat bedaert, het is met haer gedaen.

Postquam denique Raphaëlis monitu arcem relinquere decrevit Gysbertus, cum eo abiturus ait:

Helaes! hoe bitter valt
Het ſcheiden van zijn lant, daer alles loopt ver-
loren!

Anim-

Animadvertendum autem hoc etiam videtur, in hac fabulâ, non aeque atque in Graecis, Chorum post nodi solutionem carminibus suis et exclamationibus de infelici primariae personae fortunâ queri: sed fieri hoc non poterat: non enim tempus erat flendi lacrymandique, sed celeriter omnia erant facienda; crudelis quippe et acer eos hostis urgebat.

Caeterum, quod ad Chororum metrum attinet, eum lyricum esse quum per se pateat, facile intelligitur, versus, quibus continentur, non esse eosdem, quos Diverbiorum. Et tales omnino sunt, quales animi affectionibus conveniant, qualesque optime id exprimant, quod sentire finguntur, qui eos canunt. Neque tamen haecce carmina, ut apud Graecos, distincta sunt in strophas et antistrophas; cuius praecipua causa videtur in eo esse posita, quod neque in Choris Senecae, cuius Tragoediae tum temporis Graecis magis erant cognitae, occurrerent.

Maximum vero, ut diximus, discrimen inter Graecorum et Vondelii in hac fabula Choros est, quod hi non iisdem semper constant personis, quum illi contra, quas in singularum Tragoediarum initio personas retulissent, ad finem usque eas referebant, neque cum aliis commutabant. Sed obiiciet mihi forte aliquis Aeschyli *Eumenidas*, in cuius fabulae Exodo alius occur-

currit Chorus, quam qui in initio et ante exitum occurrerat. At vero haec alia omnino res est. Etenim Vondelius *quatuor* diverſos Choros in ſcenam inducit; Aeſchylus *duos* tantum: et Eumenidum Chorus adeo arcte cum totâ actione cohaeret, ut pro actore magis quam pro Choro habendus videatur (*a*). Deinde ex eo quod ſolus Aeſchylus ſemel tantum audaciusque fecit, iudicandum non est de Graeci Chori ratione, ſed plures omnino conſulendae ſunt Tragoediae; in ſingulis vero, quae ſuperſunt, unus tantum occurrit Chorus, et iisdem perpetuo perſonis conſtat.

Neglectae autem a Vondelio loci atque actionis, qualem eam obſervare ſolebant Graeci, unitatis, temporisque perpetuitatis praecipuam cauſam fuisſe male intellectam Chori rationem, ſupra vidimus. Et ſane, quod ad Chorum attinet, Senecae magis quam Graecorum exemplum ſecutus noster videtur.

Graecorum autem Chorus alendae recreandaeque ſpectatorum attentioni inſerviebat. Quapropter eum, quando ſolus in ſcena manens caneret, actoris partes deponere volebant, neque tamen ab actione aliena continere eius carmina ſi-

(*a*) Conf. Hermannus, in *Comment. ad Ariſtot. Poët.* Cap. XII. p. 132.

finebant. Neque hoc non fecisse Vondelius videtur. Sic enim cum urbis liberatione coniunxit humani generis per Christum natum liberati memoriam, ut quicumque Choros audiat secundum atque tertium, quamvis de diversis argumentis agatur, de urbis tamen fatis necessario cogitet.

Quid? quod Vondelius in fine Nobilium Chori talia verba addidit, qualia hoc eum prosecutum omnino fuisse arguere videntur:

Gij, die der Vorsten harten leit
Gelijck een beeck, en schift, en scheit
Het licht van dicke duisternissen;
Laet den tijran zijn' aenslagh missen
Die den onnooslen lagen leit.

nec minus in Clarissarum Chori fine:

Bedruckte Rachel, staeck dit waeren!
Uw kinders sterven martelaeren,
En eerstelingen van het zaet,
Dat uit uw bloet begint te groeien,
En heerlijck tot Godts eer zal bloeien,
En door geen tirannij vergaet.

Ita ut, si quis de insidiis, quas Herodes Christo struebat, aut de caede infantium Bethlehemi patrata cogitet, ultro sese eius animo offerat insidiarum, quibus urbs iam iam sit collapsura, aut

mi-

miserrimorum ab hostibus interfectorum hominum imago.

Chorus caeterum Primus, ut vidimus, optime cum actione cohaeret, neque minus Quartus, qui aeque ac Primus ille, alit augetque animi nostri affectus, hic laetitiam et gaudium, ille misericordiam et dolorem; simul vero nos actioni devinciunt ita, ut fieri non possit, quin vehementer ea quae secutura sint, videre aut audire cupiamus.

Sicut autem Graecorum Chori Deorum Heroumve laudes extollebant, ita Chorus Secundus Christi nati gloriam, humilemque simul et pauperem conditionem sublimibus versibus celebrat. Neque tamen dici potest ullus e Choris in hac fabula occurrentibus eo inservire, ut quae male in ea dicantur aut agantur reprehendat, et sic, quae minus bene fortasse a nonnullis spectatoribus accipi potuissent, explicet, eorumque affectiones sapienter dirigat; multa enim in actu secundo huius generis nobis reperiri videntur. Neque tamen in eo Chorus adesse aut probabiliter ea, quae audacius aliquoties dicit Didericus, reprehendere poterat. Caeteri vero Chori hoc tamen agunt, ut Dei optimi Maximique gubernationis mentionem faciant. Sed haec potius pertinere videntur ad Tragoediae huius *finem*, de quo in ultimo huius disputationis capite agendum nobis erit.

Neque etiam ferebat tota huius fabulae ratio; ut cum Choro consilia ageret primaria persona, sicut fit in multis Graecorum fabulis. Omnia enim tuta videbantur: liberata urbs erat; et quae egisse narratur Gysbertus, ut hostes repelleret, de iis, prae temporum angustiis, in antecessum consilia cum suis agere non poterat. Inopinata enim erat hostium invasio. — De hoc autem Chori apud Graecos officio, eo tantum consilio locuti sumus, quod videbatur nobis, comparando quid Choris Graecis, quid vero Vondelianis proprium esset, optime perspectum iri, quatenus cum illis hi conveniant, quatenus ab illis discrepent.

Hoc restat monendum, in nostrâ fabulâ non, ut apud Graecos, in fine fabulae Chorum loqui neque eum praeceptum quoddam effari, quod ex totâ fabulâ deduci commode possit, sed Gysbertum postremo loquentem induci. Nec sane male fecisse videtur Vondelius, quod ultimas loquendi partes urbis domino tribuit, quippe cui maxime dolendum esset, urbem sibi esse relinquendam; eique talia verba optime tribuit poëta, qualia tum brevitate, tum vero sensu maxime essent ad spectatorum animos summâ misericordiâ movendos idonea.

CA-

CAPUT SEXTUM.

DE FINE VONDELII FABULAE: GYSBRECHT VAN AEMSTEL.

Alius plane (ut ostendimus Parte I. Capite VI.) erat Graecae, alius nostrorum temporum Tragoediae est finis.

Haec nimirum hoc tantum ſibi habet propoſitum, ut per aliquot horas homines recreët atque delectet: illa contra, ut Deorum reverentiâ ſpectatorum animos imbueret, quia ſpectaculorum edendorum ſolemnitas ſacrorum pars erat. Quamvis autem ad illa nullo modo pertinebat, Vondelii tempore, Tragoedia, conveniebat tamen cum eius ingenio finem aliquem religioſum huius illiusve actionis fabulis ſuis ſignificare (*a*). Apertius quidem illud fecit in multis post *Gysbertum* compoſitis fabulis: ſed in hac tamen etiam finis aliquis religioſus cernitur. Quum autem

(*a*) Dicebat enim: *Zeeden in te ſcherpen, is het oogmerk der Treurſpelen*; in *Pleitrede van het Tooneelrecht*, p. 9. Citata ab I. de Vries, IV. p. 380.

tem huius finis asſequendi ſtudium Vondelio placeret, Dii vero exterorum iam nihili aestimarentur, Graecorumque Mythologia non valde iis placere posſet, quibus esſet incognita, propterea in ineluctabilis Fati locum ſuccesſit Dei Optimi Maximi providentia: pro Nemeſi, eiusdem affuit iuſtitia; pro heroïbus denique aut ſemideis, Angeli qui e coelo descendebant. Quae quo veriſimiliora esſent, plerumque ex ſacrâ historiâ argumenta ſua petiit noster: in plerisque vero, quae ex aliorum populorum historiâ depromtae erant fabulae, talibus ſemper perſonis conſtantes addidit Choros, quales probabiliter finem illum aut indicarent, aut ad eum magis perſpicuum reddendum facerent. Hanc praecipuam ob cauſam in Tragoediâ *Zungchin* Chorum induxit Apoſtolorum (*a*), ut ita dicam; in nostrâ fabulâ omnia eo tempore fieri finxit, quo celebrari ſolent Christi natales, ut ſcilicet humani generis ab illo ſervati imago cum urbis liberatae imagine coniungeretur: et ut, quaecumque iam per ſe magna erant atque ſublimia, ſublimiora redderentur, magisque ſolemnia per illam fatorum Amſtelaedami coniunctionem cum festo in Christi nati memoriam celebrato. — Quo melius igitur ſpectatores Dei gubernationem in Gysber-

(*a*) Misſionarisſen.

berti fatis agnoscerent, Chorum induxit Virginum Amstelodamensium, qui diserte urbis liberationem Deo tribuit: Chorum Nobilium, qui Christi nati laudes extollit, Deumque in carminis sui fine precatur, ut Tyranni, innocentibus insidias struentis, mentem mutet; quod egregie a spectatoribus ab infantium Bethlehemi caede ad urbem insidiis hostium iam iam capiendam incendioque delendam, transferri potest; — Chorum denique Clarissarum, qui miserandam illam caedem describens, imminens sibi fatum describere videtur. — Omnes autem illi Chori affectibus religiosis animos spectatorum imbuunt; quod sane nemo diffitebitur, nisi qui sensu prorsus atque intelligentiâ sit destitutus. Caeterum, qui in exitu advenit Raphaël, captae urbis causam indicare videtur, ubi dicit:

O Gijsbrecht! zet getroost Uw schouders onder 't kruis
U opgeleit van God: 't is al vergeefs dit huis
Verdadight; hadden wij 't in ons behoed genomen
Het waer met Amsterdam zoo verre nooit gekomen.

Eius autem Angeli adventus probabilis factus est spectatoribus, tum quod illi per totam fabulam religiosis affectibus imbuti sunt, tum, quod

quod adventui illi quasi viam multa ex eodem genere praepararunt. Deus enim cum Sanctis suis Gysberti per totam fabulam curam gerit: in somnio a Mathildae Velseniae umbrâ monetur Badelocha, ut marito indicet hostes urbem tenere, iisque eripiendos esse Gosewinum et Clarissam: ei mox urbem fortissime defendenti et ab hostibus fere circumvento splendens apparet nubes, ex eâque prodiens vox eum monet ut Gosewinum Clarissamque liberandi causa claustrum adeat, ad quod, splendore nubis illius ductus, pervenit salvus et ab hostium impetu immunis.

Sic ergo maiestate divinâ plena sunt omnia: magisque etiam idonea ad spectatores piis imbuendos affectibus, quam Graecorum Tragoediae in quibus ostendebatur ineluctabilis Fati vis, atque Iovis et Nemeseos iustitia.

Huius igitur fabulae praecipuus finis est duplex, plane ut apud Graecos; solebant illi Deorum reverentiâ atque timore, simulque erga infelices misericordiâ spectatorum animos afficere. Sic etiam in hac Vondelii Tragoedia moventur omnes de Gysberti, Badelochae, totiusque urbis miserrimo fato: agnoscunt omnes Dei gubernationem. Hoc consilium per totam fabulam elucet: ut patet, praeterquam ex ipsâ actione, ex magno numero sententiarum in eâ oc-

cur-

currentium quibus illud exprimitur ex. gr. in his versibus:

Het hemelsche gerecht heeft zich ten lange leste
Ontferremt over mij, en mijn benaeude veste,
En arme burgerij: en, op mijn volx gebedt
En dagelijx geschrey, de bange stadt ontzet.

Dat weet hij, die het al bezichtight uit den hoogen,
En wat in duister schuilt met zijn doorzichtige oogen
Ontdeckt tot op den gront, en alle harten kent;
Waerom hij oock mijn recht gehandhaest heeft in 't endt,
En met den zegekrans mij heerlijck begenadight,
En tegens al de maght der vijanden verdaedight.

'k Beveel mij in zijn hand, die recht van onrecht scheit,
En streckt in 's hemels stoel der onderdruckten trooster.

'k Geloof, Godts engel heeft den vijant wech gedreven
Als 't heir der Assijriers; etc.

Dien

Dien d' Opperste beschermt, heeft eene vaste stut.

Godts schickinge, ick beken 't,
Is stercker dan de mensch, of zijn geboorte-starre,
En of ons brein iet bouwt, zij stoot het al om verre,
En gaet een andren gangck.

Ick trock zoodra niet aen mijn beste en hoogtijts kleeren,
Om in de kerck met al de stadt te triomfeeren
Voor Godt, die 't leger dreef van de aengevochte wal.

Geen tegenworstelen noch strijden magh U baeten:
Godts heilgen hebben kerck en outers lang verlaten.

Oock steecken we alle bey noch midden in den druck
En wachten op den slagh van 't uiterste ongeluck:
Ten zij het Godt verzie en zet de wraecke paelen.

'k Verwacht een uitkomst dan, en geef het op aen Godt.

Op-

Opdat ick niet en repp', hoe gruwzaem de sol-
daet
Na 'et schennen mart'len durf den Godgewijden
staet;
Daer al de volgende eeuw met laster van zal
spreecken,
En dat Godts streng gerecht te zijner tijdt wil
wreecken.

'k Getroost mij al wat Godt U toelaet te gehengen.

Peter. *D' onsterfelijcke Godt heeft alles in zijn hant.*

Badeloch. *Och! of de goede Godt zich mijnes wou ontfermen!*

Peter. *Mevrouw, betrouw op hem: hij kan ons wel beschermen,*
En voert zijn eigendom, door water, vier en vlam.

Badeloch. *Gelijck de brant getuight van 't gloeiende Amsterdam.*

Peter. *'T is zijn gehengenis: wie durf zich daer in mengen?*

'T

'T is tijt, want zonder Godt
En onze hulp, 't was omgekomen met dit ſlot.

Fieri aliter non poteſt, quin, quicumque haec audiant aut legant, Deum agnoſcant omnia regere atque gubernare, quaeque alicui mala accidant, bonis poſtea compenſare: hinc igitur omnino homines decere ut eius voluntati imperioque ſe ſubmittant; ſicut facit, Raphaëlis auditis monitis, Gysbertus:

Nu buigh ick mij voor Godt, mijn lief, mijn
uitverkoren:
Nu weiger ick geenſins naer Uwen raet te hooren:
En legh hier 't harnas af: hier baet geen tegenweer:
Nu Godt dit huis verlaet en gelt 'er zwaert noch ſpeer.

Caeterum in miſericordiâ atque terrore excitandis, ſicut Graeci Tragici, ita etiam Vondelius fuit feliciſſimus. Ad eos affectus augendos non parum facit ἀναγνώρισις et hanc ſecuta περιπέτεια, de quibus diximus. Timent omnes atque horrent, quando in actû III° ignarum omnium nihilque mali ſuſpicantem vident Gysbertum, quum ipſi (ex actû II.) iam noverint quid hos-

hostes habeant in animo, et quam feliciter iis omnia cesserint. Maximâ autem misericordiâ moventur, lacrimas Badelochae videntes, eiusdemque audientes querelas tum de infelici suâ vitâ moerentis, tum de mariti fato sollicitae. Et ad misericordiam movendam multum conferunt pulcherrimae illae descriptiones, narrationes et comparationes, quales sunt in actû II°. *Helaes wat gaet mij aen*, et quae sequuntur: Chorus item ante et post actum Quartum: Arnoldi in eiusdem actûs scenâ II^a^, ipsius Gysberti in V^i^ actûs scenâ I^a^ et nuntii tandem narrationes; mors item Arnoldi, Gysberti fratris, in scenâ II^a^ eiusdem actûs; tota denique scena IV, et imprimis haecce Badelochae ad filiam verba:

Och, dochter, moeders troost is krancke toeverlaet;
De klockhen deckt vergeefs het sidderende kiecken,
Voor een doortrapten Vos, met schaduw van haer wiecken;
Hij grijpt ze beide en stroit de pluimen in de wint,
En koelt zijn lust; en ruckt de moeder van het kint.

et inferius a vs.

Zeer gaerne, brave helt, vergun me slechts een bede.

us-

usque ad:

Voor 't scheiden laet mij toe, dat ick mijn bede stort.

His igitur omnibus Graecis Tragoediis simillima est haecce pulcherrima Vondelii fabula.

Sed alterâ etiam parte cum iis convenit. Sicut scilicet Aeschylus *Persas*, Sophocles *Oedipum Coloneum*, Euripides denique *Supplices*, patriam suam celebrandi causa conscripserunt; ita Vondelius, qui Coloniae quidem Agrippinae natus erat, maximam tamen vitae partem Amstelodami transegerat, quo etiam admodum puer cum parentibus profectus fuerat, fabulam hancce suam composuit, ut urbem, cuius indigena dici potest, laudibus extolleret; praecipue, quoniam recens exstructum fuerat theatrum, in quo (ut ipse in Dedicatione ad Hugonem Grotium dixit) primum volebat fabulam agi, quae urbis incolis placere posset. Hunc vero finem optime est assecutus, inducendo Raphaëlem, qui Amstelodami futuram gloriam pulcherrimis versibus praedixit, neque mirum est magnopere eam fabulam spectatoribus placuisse, quippe cuius argumentum (de quo supra diximus) ex antiquissimis eorum urbis et proavi fatis (plane ut apud Graecos), haustum erat (*a*).

Fi-

(*a*) De consilio quod Vondelio fuit Virgilii Aeneidos

Fines igitur huius Tragoediae esse eos quos diximus, negari non potest; neque dubitamus, quin eos de industriâ assequi poëta studuerit.

Quales denique vidimus (in Partis I[ae] Capite VI°) multas in Graecorum Tragoediis occurrere sententias quibus laudatur virtus, celebratur patriae amor, aliaque huius generis docentur, tales in Vondelii etiam Gysberto Aemstelio multae occurrunt. Sic ex. gr. non sufficere fortitudinem, sed Angelorum etiam ope esse homines adiuvandos dicit Gysbertus:

. . . . . Wapens zijn onnut, zoo d' engelen niet
waecken
En 't ijverigh gebedt van 't geestelijcke volck.

Discordiae damnum hoc Willebordi versu notatur:

Het wintert fel, wanneer een wolf den and'ren eet.

et paullo infra:

De tweedracht is een pest, die allen staat te
schroomen.

Immoderatam militum iram reprehendit Gysbertus:

Een

dos librum II[um] exprimendi, iam supra egimus in Capite primo.

Een woedende gemeente en ſtaet in recht noch reden,
Wen ze iemant over magh.

Meliorem Deo nullum esſe hominum custodem ait Clauſtri ianitor:

De beste wachter is, de ſtercke en groote Godt.

Vosmerus dicit eum, qui inſidias feliciter ſtruere cupiat, adesſe debere, quo tempore a ſuis exſpectetur:

Wie zich derf onderwinden
Een aenſlagh vol gevaers, moet pasſen op zijn tijt.

Feliciores esſe, qui humili vivant conditione, quam qui potentiâ divitiisque ſplendeant, pulcherrime dicit Badelocha:

Hoe veel geluckiger zijn arme en ſlechte dorpen;
En hutten laeg gebouwt, min ſtormen onderworpen
Dan eenigh heerenhuis, dat door 't geboomte ſteeckt,
En daer het bulderen des wints zijn kracht op breeckt.

Goſewinus Horatianum illud:

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

expresſit, dicendo:

Most niet onſchuldigh volck de ſchult der Heeren boeten?

Deum

Deum autem unice precandum, neque homines divinis honoribus esse afficiendos, Gysberto, qui ad eius pedes provolutus eum orabat, ut fugâ saluti suae consuleret, idem dicit Gosewinus:

Den grooten Godt alleen zij eer in 't hemelrijck!
Wij bidden u, stae op: gij doet ons ongelijck,
Dat gij ter aerde knielt voor sterffelijcke menschen.

Animadversione dignae etiam sunt sequentes sententiae, altera hostium legati:

'T is wijsheit, dat men zich uit noot te buiten ga.

altera Gysberti:

Een krijgsman wint genoeg, al wint hij niet dan tijd.

item, quae leguntur in eiusdem legati sermone ad Gysbertum, a versu:

Maer dat men Oversten wil schuiven op den hals.

usque ad:

Verschoon uw leven toch, en gun deze eer aen mij.

qui totus sermo plenus est sententiis verissimis et cum re, de qua agebatur, omnino convenientibus.

Neque praetermittendae sunt sequentes:

'T is oock getrouwigheid, wanneer men scheit uit noot.

et:

De weerhaen van de kans kan ligtelijk verkeeren.

et:

Men recht met jammeren noch jancken hier niet uit;
De traenen doen 't hem niet: de wreetheit wort gesluit
Met dapperheit en moet: waer laet gij u vervoeren?
Het kermen is onnut: men moet de handen roeren.

Quam veritatem non his tantum verbis sed actionibus etiam suis per totam fabulam commendavit Gysbertus.

Annotatione etiam digna sunt haecce Raphaëlis verba:

Valt u 't verwoesten der Godtsdienstigheit te lastigh,
Volhardt bij 't out geloof en Godts altaer stantvastigh,
Op 't spoor der ouderen, u moedigh voorgetreen,
Zoo draeft men recht naer Godt door alle starren heen.

nec non Gysberti:

Nu Godt dit huis verlaet, en gelt er zwaert noch speer.

Petri denique haec sententia:

De liefde tot zijn lant is yeder aengeboren.

Amo-

Amoris autem coniugalis exemplum egregium hac in Tragoediâ praebuisse Badelocham, vix opus videtur, quod moneamus.

Sic igitur disputationis nostrae partem etiam alteram absolvimus. Iuvat nunc breviter, eorum quae diximus, praecipua recensere capita, quo melius appareat nostra de Vondelii fabulâ sententia, et modus quo ad propositam quaestionem respondimus.

Vidimus igitur originem Graecae Tragoediae eiusdemque incrementa: auctores item et cultores: inspeximus etiam, sed cursim tantum, theatri Graeci rationem. Et haec quidem continentur Prolegomenis.

Tum vero ipsam Tragoediam Graecam penitius intuiti sumus; exposuimus quinam argumentorum in Graecis Tragoediis tractatorum fuerint fontes; nec non qualia essent illa argumenta; ostendimus in Graecis Tragoediis observatam fuisse unius actionis temporis locique aptam et connexam rationem, cuius caussam esse diximus perpetuam Chori in scenâ praesentiam: ad Graecarum Tragoediarum partitionem mox progressi, egimus de Prologo, de Episodiis deque Exodo: pauca item diximus de *tristi* Exitu omnes omnino Tragoedias decente; deque nodi solutione per *Deum ex machina*, qui dicitur.

Mox inſpeximus Perſonarum mores: vidimus quales iis tribuerent Graeci, quidque in iis obſervarent; postquam in antecesſum de ipſis perſonis, de earum numero, et qualitate, nonnihil in medium protuleramus.

Ad Chorum deinde accesſimus: breviter primum, quae quod ad ſcenam de eo dicenda videbantur, expoſitis, ostendimus cauſas Chori a Graecis Tragicis conſervati; commoda quae ex eius uſu nascebantur, et officia quae praeſtare ſolebat.

Finem denique, quem ſibi in Tragoediis ſuis proponebant Graeci, pro viribus nostris, ex ipſis eorum operibus expoſuimus.

In ſecundâ vero parte ad alteram quaestionis propoſitae partem reſpondere conati ſumus: ad eam nempe, quâ postulatur ut ad Graecae Tragoediae rationem exigatur Vondelii nobilisſima fabula, Gysbrecht van Amſtel.

In Prolegomenis igitur diximus de ſpectaculorum ante Vondelium, et ipſo eius tempore, conditione: deque eâ ipſius vitae parte, quâ decerni nobis posſe videbatur, eum Graecos Tragicos imitari ſtuduisſe.

Mox in *Capite Primo* vidimus argumentum ex Virgilio quaſi hauſtum dici posſe, quippe quem in eo tractando presſe ſecutus fuit Vondelius: ſimiliter autem Graecos Tragoediarum ſuarum argumenta ex Epicis poëtis petere ſolitos fuisſe:

de-

desumtum porro Vondelianae Tragoediae argumentum ex antiquisſimis patrii heroïs fatis, plane ut apud Graecos: taleque esſe, ut misericordiam terroremque moveret, ideoque agentes induci etiam arctisſimis vinculis cum Gysberto iunctas perſonas; mutasſe denique Vondelium ea quae mutanda et de ſuo fingenda putabat, iisque omnibus convenire eius Tragoediae argumentum cum Graecarum fabularum argumenti ratione.

Praemisſis paucis de Historico ſpectaculo, obſervavimus in *Capite Secundo*, loci unitatem a Vondelio neglectam fuisſe, neque actionis unitatem eodem modo obſervatam, quo a Graecis: temporis etiam perpetuitatem eum interrupisſe. Disputaveramus autem antea de quaestione: quaenam fabulae Vondelianae dicenda ſit actio? Cauſam vero unius actionis, temporis locique aptae et connexae rationis, non eodem modo a Vondelio, quo a Graecis obſervatae, esſe vidimus non bene perſpectam Graecorum Chori rationem.

In *Tertio Capite* egimus de Vondelianae fabulae partitione; ostendimus ei inesſe Prologum, ut apud Graecos: ab alterâ parte Epiſodia Graecis esſe ſimilia, ab alterâ vero ab iis discrepantia; exitum convenire cum Graecorum Ἐξόδῳ. Diximus item de *Raphaële*, ſive de Deo ex machina: de tristi fabulae exitu: expoſito tamen, in capitis initio, totius fabulae argumento, investigatâque et expoſitâ eius origine, ne forte

ma-

male de ea iudicaremus: diximus denique de ἀναγνώρισι et περιπέτεια.

Capite Quarto disputatum est de Perfonis in Vondelii fabulâ occurrentibus: diximus autem de earum numero; ostendimus nullam earum esfe fupervacaneam: Gysbertum esfe primariam perfonam; nuntium a Vondelio inductum fuisfe, nullumque illi nomen tributum. Tum vero, ad *mores* progresfi, eorum rationem cum Graecis Tragoediis multum convenire demonftravimus: etenim fublimes eos, convenientes, conftantes, et tales omnino, quales eas habuisfe traditione notum erat, Vondelium perfonis fuis tribuisfe. Sic autem eum perfonas agentes induxisfe, ut quaecumque facerent dicerentve necesfario aut probabiliter ex eorum moribus fequerentur. Amftelodami denique incolis meliores quam hostibus mores tribuisfe, tum, ut primariam perfonam mifericordiâ fpectatores profequerentur, tum vero prae urbis, in qua iam diu degerat, amore.

In *Penultimo Capite* diximus de Choris. Et primo quidem de eorum fublimitate et pulchritudine; maleque eos fentire probavimus, qui Choros a Vondelio non fuisfe adhibendos ftatuant: probabiliter enim eos cum totâ actione iunctos esfe. Caufam deinde expofuimus cur Vondelius eos fervaverit: tum vero discrimen inter Graecorum Chorum et Vondelianos ostendimus, nec non quatenus cum illo hi conveniant. In

In *Capite* denique *Ultimo* demonſtravimus finem fabulae Vondelianae esſe eum, ut ostendatur Dei gubernatio, miſericordiâ autem terroreque ſpectatorum afficiantur animi. Vondelium hanc fabulam compoſuisſe, ut Amſtelodami incolis placeret, ſuaeque urbis laudes celebrâret, plane ut Aeſchylus in *Perſis*, Sophocles in *Oedipo Coloneo*, Euripides denique in *Supplicibus*, fecerant, etiam a nobis obſervatum fuit. Probavimus tandem, ſicut Graecas Tragoedias, ita etiam Vondelii fabulam plenam esſe pulcherrimis utilisſimisque, variis de rebus, ſententiis.

Et ſic quidem, quantum in nobis erat, omnia quae ad propoſitam quaestionem pertinere nobis videbantur, expoſuimus. Neque tamen de opere nostro ita existimamus, quaſi ſit omni numero abſolutum. Etenim, ſi perfectum quid facere cuique homini nato ſit difficillimum, planeque adeo eius viribus maius; quanto magis arduum illud est iuveni, cui propter aetatem plurima deficiunt; cui nondum maturum est iudicium; a quo multa adhuc ignorantur; multa, quae fortasſis bene intelligat, male exprimantur? Nos igitur virium nostrarum debilitatis probe conſcii, licet de opere nostro humiliter, ut decet, ſentiamus, deque eventu, optatisſimo quamvis, deſperemus, non tamen potuimus illud non mitte-

te-

tere vobis, Viri Clarisſimi. Erigebat enim nos cogitatio, *iuvenibus certamen esſe propoſitum:* adeoque nihil vos exſpectare niſi quod a iuvenibus proferri posſit. Accesſit licita gloriae cupiditas, qua movemur omnes et ſaepe ad optima quaeque excitamur. Maximum vero pondus habuit deſiderium profectuum nostrorum edendi ſpeciminis, quo, ſi res feliciter ſuccedat, fructum ostendamus, quem ex Praeceptorum nostrorum inſtitutione percepimus, quodque iis tamquam animi, pro innumeris beneficiis gratisſimi, exiguum documentum offere posſimus. Sin autem ſuperati discedere cogamur, illud ſaltem nobis ſolatio erit, quod iucundisſimis et elegantisſimis rebus temporis nostri partem impendimus; quod Graecam Tragoediam penitius intuiti fuimus; quod totam eius rationem melius iam, quam antea, tenemus; quod Vondelii fabulam pulcherrimam cum Graecorum operibus comparando, eius famae haud exiguam cauſam deteximus; quod denique talibus incubuimus, qualia, tum ad mentis facultates acuendas, tum praecipue ad ſenſum pulcri bonique magis magisque excitandum perficiendumque, maxime valere, et nobis et omnibus omnino pulcri bonique ſtudioſis viſa ſunt, et in aeternum videbuntur.

F I N I S.

HERMANNI CHRISTIANI VAN HALL,
AMSTELODAMENSIS,
IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,
MED. STUD.

COMMENTATIO,

QUA RESPONDETUR

AD

QUAESTIONEM BOTANICAM,

AB ORDINE

MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS

PROPOSITAM:

„ *Conficiatur brevis enarratio ſystematum Bota-*
„ *nicorum, quae inde a Caeſalpino usque ad*
„ *Linnaeum inprimis inclaruerunt. Adda-*
„ *tur expoſitio praeſtantiae ſystematis ſexualis*
„ *Linnaei, qua non tantum perſpiciatur,*
„ *quibusnam in rebus praecedentia ſystemata*
„ *ſuperaverit, verum etiam, quaenam ipſi*
„ *deſint, atque impediant, quominus perfec-*
„ *tum dici posſit.*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

PROOEMIUM.

Felicem saepe praedicarunt iuvenem illum, qui in studiis semper summam quaereret felicitatem atque ita utilitatem cum oblectatione coniungeret. Nec iniuria felices studiosi vocantur, ii praesertim, qui Naturae scrutandae, quousque vires tendant, incumbunt atque in eius contemplatione maximum quaerunt oblectamentum, summas ponunt delicias. Sed, quanto maius hoc Naturae scrutandae oblectamentum, quanto maiores hae deliciae evadunt, quando nosmet ipsos oblectando, simul utilitatem nobis assequi et gloriam carpere possumus? Tunc iuvenilis animus excitatur, tunc ad altiora et maiora tendere audemus, et gloria, stimulus ille ad omnia bene facienda fortissimus, nobis ad incipiendum animos, ad elaborandum patientiam praebet. Non parum autem haesitantem confir-

mavit, labantem mentem erexit utilitas hocce opere percipienda, e Linnaei praecepto: „ Optandum foret, ut tirones omnibus asſuescerent methodis. — Postquam examinaverint iuniores Botanici plantas ſecundum omnes Methodos, apti ſunt ad ferendum matura de ſingulis iudicia, quae tam raro alias occurrunt, cum communiter apud omnes unica in pretio ſit methodus, reliquae autem minus" (1).

Quamvis autem hisce confirmatus rem tentare, et cupiam, et audeam, non tamen omni metu liberatus ſum; ſed cum ſaepe in hac disſertatione ipſe debeam iudicare, forſitam ſaepius, quae minus vera videntur, proferam, quod in iuvenili praeſertim opere adeo frequenter accidit; ſed haec ipſa mea iuvenilis aetas veniam, ut ſpero, dabit, ſi quando mihi in tantis auſis vires deſuerint. Hac ſpe igitur audacter rem aggresſus ſum, ſententiae Quinctiliani memor: „ Quae huic operi deſunt ſuppleat aetas; non enim differendum est tirocinium in ſenectutem, nam quotidie creſcit metus, maiusque „ fit,

(1) In praefatione ad clasſes plantarum. De hac autem, quam ſystematum ſcientia affert, utilitate conf. Oeder, *Einleitung zu der Kräuterkenntniſs*, Th. I. p. 134. ſq.

„ fit ſemper, quod auſuri ſumus, et dum deli-
„ beramus, quando incipiendum, incipere iam
„ ſerum ſit; quare fructum ſtudiorum viridem
„ et adhuc dulcem promi decet, dum et venia,
„ et ſpes est, et paratus favor, et audere non
„ dedecet" (1).

Ut autem iusta quadam ratione argumentum tractarem, eo ordine processi, quem ipſa mihi quaestio ſponte quaſi offerret; commentationem ſcilicet diviſi in duas ſectiones, quarum altera enumerationem praecipuorum ſystematum, quae ante tempus, quo primum ſexuale ſystema edidit Linnaeus, prolata fuerunt, contineat; altera ſexuale ſystema primum exponat, deinde eius praeſtantiam prae caeteris indicet et quid etiamnum huic deſit, ut perfectum dici poſſit. Primam porro ſectionem in tria capita diviſi, in quorum primo quaedam de ſystemate univerſe exhibui, in altero enumerationem ſystematum illorum, quae ante illud Rivini edita fuere, a fructu maxime petita; in tertio illud Rivini expoſui et eorum, qui hunc ad Linnaeum usque ſecuti ſunt, quae ſystemata aliis praeſertim partibus quam fructui, innituntur. In ultimae ſectionis capite priori ſexualis ſystematis expoſitionem, in altero eius praeſtantiam, in tertio eius-

(1) Inſt. Or. XII, 6.

eiusdem vitia exhibui. In enumerandis autem ſystematibus eum ordinem ſervavi, ut, quae prius edita fuere, ea et ipſe prius deſcriberem; quamobrem et cuique ſystemati annum, quo primum editum fuerit, adpoſui: denique ſingulis expoſitis, ſimul breviter ea addidi, quibus aut culpanda aut laudanda methodus videretur.

Iam plura monenda me habere non puto; fidenter autem ipſe meum iudicium, ubi diiudicando opus videtur, proferam, Ciceronis illam ſententiam meam omnino faciens: „ ſequi„ mur probabilia, — et refellere ſine pertinacia „ et refelli ſine iracundia parati (ne dicam gra„ viſi) ſumus" (1).

(1) Tusc. Quaest. II, c. 2.

SEC.

SECTIO PRIOR.

CONTINENS

ENUMERATIONEM SYSTEMATUM BOTANICORUM, QUAE ANTE SEXUALE SYSTEMA LINNAEI IMPRIMIS INCLARUERUNT.

CAPUT PRIMUM.

DE SYSTEMATE UNIVERSE.

§ I.

Natura, alma omnium rerum mater, tellurem plantis ornavit, iisque maximo numero, summa varietate. Si cogitemus hodie plus quam quinquaginta millia specierum hominibus innotuisse (1), ea-

(1) Miro certe modo iste specierum numerus pau-

earumque numerum in dies augeri, quis unquam Botanicus has omnes uno oculorum intuitu complecti, quis ex infinita illa rerum ubertate, ex isto varietatis labyrintho sese unquam bene expedire possit, nisi aptum viae ducem sequatur, qui certas illi definitasque regulas condat, quibus absque metu confusionis progredi, plantas ex earum characteribus rite a se invicem discernere, memoriamque in retinendis nominibus sublevare queat. Nam si unquam in obscuritate face, in ambagibus viae duce indigemus, certe in regno vegetabili iis opus est.

§ II.

paucis annis increvit. Linnaeus, in prima specierum editione, anno 1753, 7300 species, in secunda, anno 1763, 7500 enumerat. Murray, anno 1784, numerum esse 9000 statuit. Persoon, anno 1806 in synopsi 21000 species enumerat, quibus si ex aliis libris in Cryptogamicis, quas ille nondum edidit, 6000 species addamus, numerus erit 27000. Brown, (Gen. rem. p. 4.) species 37000 innotuisse credit. Humboldt, (Proleg. Nov. gen. p. 11.) numerum esse 44000 putat. De Candolle, (Th. elem. p. 23.) anno 1813 plus quam 40000 adesse statuit. Idem anno 1817 ad minimum 50000. De hocce autem specierum numero omnino conferendum diarium, cui titulus: *Bibliotheque universelle redigée a Genève. Sciences et Arts*, *Oct.* 1817. *p.* 119. in quo haec, quam tetigimus, viri Clarissimi de Candolle computatio.

§ II.

Hunc viae ducem, has procedendi regulas quod nobis offert, id systema dicitur, cuius duae sunt species. Altera, systema naturale, genera illa, quae plurimis characteribus conveniunt, coniungit, clasfesque, ut ita dicam, Natura duce componit (1). Hoc certe systema reliquis omnibus anteponendum foret, nisi duobus iisque maximi momenti vitiis obnoxium esset, quod scilicet primo tironum institutioni nullo modo idoneum est, quoniam in eo plantas reperire nequit, nisi maiores iam in re herbaria progressus fecerit, et deinde quod pericula facta ad illud perfectum inveniendum, certe ad aetatem Linnaei, ne dicam ad hunc usque diem, successu caruerunt, cum ipse dicat Linnaeus: „ Non „ sperare fas est, quod nostra aetas systema „ quoddam naturale videre queat et vix seri ne- „ potes" (2).

Sys-

(1) De methodo naturali eiusque vitiis, conf. Celeberrimi viri G. Vrolik, notissima dissertatio *de studio Botanico recte instituendo*, praemissa *Catalogo plantarum medicinalium*, Amst. 1805. p. 10 et 11.

(2) In praefatioue in genera plantarum § 9. Conf. etiam de Gorter, *leer der Plantkunde*, *Amst.* 1782. *p.* 139, qui idem fere monet.

Systema contra artificiale unum characterem, vel paucos, systematis fundamentum expetit, et secundum hanc normam classes ordinesque constituit, qui quidem characteres non semper primo intuitu in oculos incurrunt, attamen accuratius observanti in omnibus reperiri debent.

§ III.

Quae Linnaeus proposuit methodi naturalis fragmenta mala praecipue sunt, eorumque notae valde precariae. Sic *Oleraceae* ab usu, *Inundatae* a loco, aliae alio modo male distinguuntur.

E recentioribus Iussievi systema naturale maximis laudibus effertur, sed nec ipsa illa methodus perfecte naturalis dici potest, sed, quamvis caeteris melius ad naturalem ordinem accedat, tamen pluribus etiamnum vitiis foeda videtur. Cum vero mihi in hac dissertatione de methodo artificiali agere praesertim sit propositum, deque systematibus ante Linnaeum, praestabit de methodo naturali Iussievi tacere, ne nimis a proposito aberrem (1).

§ IV.

(1) De vitiis Iussievi systematis consuli omnino me-

§ IV.

Linnaeus ipse naturalem methodum magni faciebat et methodo artificiali longe meliorem putabat (1). At vero, methodo naturali deficiente, huius loco artificialem assumendam esse arbitratus est, tum, ne ordine alphabetico scribere Botanici cogerentur, tum etiam, ut partes illas, quas systematis fundamentum ponerent, accuratius examinarent (2). Hanc igitur methodum adhibendam esse censet, donec ipsa methodus naturalis perfecta inveniatur. Hinc dicit Linnaeus: „ Nullum systema plantarum naturale, „ licet unum vel alterum propius accedat, ad- „ huc constructum est. — Interim tamen syste- „ mata artificialia, defectu naturalis, omnino „ necessaria sunt." (3). Et „ non nego, quin „ me-

meretur Kurt. Sprengel, *Anleitung zur kenntniss der Gewächse*, *Halle* 1808. *t. II. p.* 101. Usus sum hac editione, quam primam edidit Sprengelius. Alteram dedit anno 1817, in qua totum opus ulterius elaboravit et plurima omisit, quae in hoc nostro opusculo citantur.

(1) Conf. Linnaei, *Philosophia Botanica*, §. 206.

(2) Conf. Collectio Epistolarum Linnaei et opuscula pro et contra eum scripta, curante D. H. Stoever, Hamburgi 1792. p. 2. et p. 5.

(3) In systemate, p. 8. § 12.

„ methodus naturalis et nostrae et omnium in-
„ ventarum methodis longe praeferri deberet. —
„ Interim artificiales asſumendae ſunt claſſes et
„ ſuccedaneae" (1).

§ V.

Hoc artificiale ſystema eo perfectius erit, quo minor characterum conſtituentium numerus, ut ſimplicius ſit; quo magis hi characteres ſint conſtantes et manifesti, ne tironem in errores inducant; quo propius denique, ſalvis his requiſitis, ſystema naturali plantarum ordini accedat, id est, genera, quae habitu conveniant, quantum fieri potest, coniuncta ſervet. Bonum artificiale ſystema tironi quaſi lexicon est, cuius ope magnum naturae librum bene intelligat; nam ob illam in ſystemate artificiali characterum paucitatem et conſtantiam illius ope tiro facile ignotas plantas notas ſibi reddere potest; quod ſecus in ſystemate naturali. Hinc Linnaeus: „ Methodus naturalis ſola valet in dia-
„ gnoſi, cum clavis methodi naturalis vix ac
„ ne vix posſibilis ſit" (2).

§ VI.

(1) In praefatione in genera plantarum, § 9.

(2) In ordinum naturalium fragmentis, § 9.

§ VI.

Variorum ſystematum Botanicorum alia aliis praeſtantiora; unumquodque autem ſuas meretur laudes, unumquodque ad rem Botanicam amplificandam inſervit; tum quoniam variis illis ſystematibus animi attentionem in varias plantarum partes accuratius intendimus, atque adeo has melius cognoscimus, tum quoniam variis artificialibus ſystematibus, ſi rite conſtituta ſint, magis magisque ad naturale ſystema accedimus, ad quod perfectum inveniendum vota omnium Botanicorum tendunt.

Fuere quidam naturae ſcrutatores, qui ſystematum utilitatem negarent, fuere qui illa adesſe in dubium vocarent. Buffonus praeſertim, vir ille in caeteris doctrinis adeo praeſtans, methodum in Botanicis lapidi philoſophico comparat, quaeſito a multis, a nemine reperto. Hunc vero ſatis ſuperque refutatum videmus ab illustri La Moignon Malesherbes (1), quem citare melius iudicamus, quam Buffoni opinionem

(1) In libro cui titulus: *Obſervations ſur l' Histoire Naturelle générale et particulière de* Buffon *et* Daubenton, Paris 1798. t. I. p. 19. ſqq. et pag. 48. ſqq.

nem impugnantes, ipsius sententiis, ne dicam verbis, uti.

Hisce breviter praemissis accedamus ad singula systemata, atque ea ex positis principiis, simul et ulteriori ratiocinio diiudicare conemur.

CAPUT SECUNDUM.

DE SYSTEMATIBUS ANTE RIVINUM.

§ VII.

Qui ante Caesalpinum Botanici prodiere varia ratione plantas in ordinem redegerunt, alii ratione alphabetica, ut Turnerus (1), alii secundum plantarum magnitudinem (2), plures denique ordinem quemdam naturalem sequi conati sunt. Dodonaeus (3) primus naturalem quemdam or-

(1) *A new herbail P.* 1, *Lond.* 1551.

(2) Videantur I. B. Theodosii, *Epistolae medicinales in quibus plura de materia herbarum edisserit, nempe de herbis trientalibus, dodrantalibus et quincuncialibus, Basil.* 1553.

(3) *Cruydeboek*, Antv. 1553.

ordinem, quamvis imperfectisſimum, in operibus ſuis ſervavit. Melius vero Lobelius (1) et post eum Cluſius (2) plantas in naturales familias digerere conati ſunt. Hi triumviri immortales, quos laeti Belgas nuncupamus, antiquisſima methodi cuiusdam naturalis exempla dederunt et plura ad Botanices incrementum contulerunt. Sed de vera methodica Botanices ſcientia melius etiam meritus est Conradus Gesnerus, de quo iam agamus.

§ VIII.

Vir ille (ut Tournefortii optimi hac in re iudicis verbis utar) „ publicum bonum iu- „ vandi adeo ſtudioſus, totius historiae natura- „ lis parens, ac veluti promptuarium" (3), primus omnium obſervavit plantarum notas characteristicas a partibus fructificationis potius, quam a caule foliisve petendas eſſe, quod et amicos ſaepius monuit (4) et ipſe in iconibus, quas

(1) Stirpium nova adverſaria, Lond. 1570.

(2) Rariorum ſtirpium per Hispanias obſervatarum historia, Antv. 1576.

(3) Institutiones rei Herbariae, Paris 1700. p. 51.

(4) Conf. Gesneri, Epiſtolae medicae, Tiguri 1577.

quas edidit, obſervavit, partes florum esſentiales inprimis delineando. Primus omnium verae methodi rationem ſingulari, qua praeditus erat, ingenii ſagacitate perſpexit, adesſe nempe genera, quae plures ſpecies, et clasſes, quae plura genera continerent. Laus illi igitur iure tribuitur, illum prima ſystematum rudimenta poſuisſe, atque ita posteros in viam duxisſe, et forte iam ipſe methodum in univerſum Florae regnum condidisſet, niſi mors eum citius artibus doctrinisque eripuisſet: anno enim aetatis 49 peste occubuit.

§ IX.

Haec tamen univerſi ſystematis inveniendi gloria Caeſalpino (1) relicta fuit, qui primus vere ſystematicus fuit. Equidem hoc Caeſalpini inventum conſiderans, ſimulque ad Botanices eo tempore conditionem attendens, non posſum non viri ingenium admirari, qui omne regnum vegetabile uno oculorum intuitu conſpexit, totum mente complexus est, quod ante eum nemo ne tentaverat quidem, unde de eo

(1) Edidit hoc ſystema in libro, nunc temporis rarisſimo, cui titulus: Libri XVI. de plantis, Florent. 1583.

eo ſcribit Linnaeus: „ Caeſalpinus mi„ hi magnus; quantum erat primam ſic conde„ re gentem!". (1).

Procedendum itaque esſet ad ipſum eius ſystema exponendum, ſed doleo mihi non licuisſe citatum Caeſalpini opus inſpicere; quamobrem ab omni parte certa de eo ſcribere nequeo: ſcriptores enim in exponendo hocce ſystemate disſentiunt, cum ob Caeſalpini operis raritatem, tum ob vocabulorum, quibus utebatur, obſcuritatem. Merito enim Linnaeus (2) hoc ſystema *obſcurum ob terminos artis proprios* vocat. Linnaeus (3) et Willdenowius (4) alio modo quam Hallerus (5) illud expoſuere. Ab hoc rurſum Sprengelius (6) differt. Cum vero Linnaeus et Willdenowius, duo illi ſummi viri, in eo conſentiant et Willdenowii liber illis Halleri et Sprengelii recentior ſit,

(1) Conf. Collectio epiſt. Linnaei, p. 23.

(2) In clasſibus plantarum, Leidae 1738. p. 1.

(3) In philoſophia Botanica, § 54.

(4) *Grundriſs der Kräuterkunde*, *Berlin* 1810. § 136.

(5) In bibliotheca Botanica, Tiguri 1771. t. I. § 357.

(6) In historia rei Herbariae, Amſt. 1807. t. I. p. 426. ſqq.

ſit, horum virorum auctoritati cedere conſtitui. Neque etiam discrimen illud adeo magnum est, ut nostro propoſito non ſufficiat.

§ X.

En itaque ſystema, quale Linnaeus illud et Willdenowius expoſuerunt: clasſes hae ſunt:

1. Arbores corculo ex apice ſeminis.
2. ——— ——— e baſi ſeminis.
3. Herbae ſolitariis ſeminibus.
4. ——— ——— baccis.
5. ——— ——— capſulis.
6. ——— binis ſeminibus.
7. ——— ——— capſulis.
8. ——— triplici principio, fibroſae.
9. ——— ——— ——— bulboſae.
10. ——— quaternis ſeminibus.
11. ——— pluribus ſeminibus, Anthemides (Radiatae).
12. ——— pluribus ſeminibus, Cichoraceae ſive Acanaceae (Semiflosculoſae).
13. ——— pluribus ſeminibus, flore communi (Flosculoſae).
14. ——— pluribus folliculis.
15. ——— flore fructuque carentes (Cryptogamicae).

§ XI.

§ XI.

Ut veterum multa, ita et hoc ſystema est ſystema naturale, artificialibus conſtitutum fundamentis. Et primo quidem in eo vitium offendimus, quod herbas et ſuffrutices ab arboribus auctor ſecrevit, quam tamen diviſionem in omnibus ante Rivinum ſystematibus, quin etiam in multis post eum etiam reperimus. Certus autem limes inter herbas et arbores inveniri non potest, nam et climate et cultura ſaepe herbas in ſrutices, fruticesque in arbores mutari, experientia omniumque melioris notae botanicorum conſenſus ſatis ſuperque docuerunt (1); quam ob rem merito haec diviſio a Rivino, Linnaeo, aliisque reiecta est. Deinde ſystema hoc iis forte temporibus ſufficiebat, cum, minori plan-

(1) Vid. Linnaeus, in *Phil. Bot.* § 209, ubi dicit: „ Diviſio in arbores et herbas videtur esſe „ adeo naturalis ac in ſe fallacisſima et lubrica", et in epiſtola ad Hallernm (vid. Collectio epiſt. p. 25). „ Arbores et herbas coniungendas esſe ſequi- „ tur et ab inſpectatione plantarum. quid enim dif- „ fert herba ab arbore?" conf. etiam Linnaei, *praelectiones in ordines naturales*, curante P. D. Gieſeke, Hamb. 1792. p. 23. et Willdenow, *Kräuterkunde* § 132. et 395.

plantarum numero, doctrina Botanica adhuc ſimplicior erat; ſed hodie, re Botanica adeo amplificata, tam multis novis plantarum generibus detectis, notisque accuratius obſervatis, cuique patebit, huic ſystemati vel novas clasſes addendas, vel veteres in eo mutandas esſe. Tertio, non oportuit illum, methodi fundamentum e fructu deſumentem, tamen 8^{am} et 9^{am} clasſes e radice, 11^{am}, 12^{am} et 13^{am} floris ope discernere. Male denique, ut ulteriores obſervationes docuere, plantas ultimae clasſis flore fructuque carere credebat. At vero, cum mihi praecipue propoſitum ſit, merita ſystematis ſexualis Linnaei, cum illis, quae illud antecesſerunt, conferre, vitia, quae in muscis aliisque Cryptogamicis commiſere Caeſalpinus, caeterique ſystematici ante Linnaeum, omittenda puto; cum nec ipſe Linnaeus has bene noverit plantas, ſuamque huius rei ignorantiam ſaepius profesſus ſit (1).

As-

(1) Ita Linnaeus anno 1737, postquam methodum ſexualem iam in lucem ediderat, in litteris, quas ad Hallerum dedit, inter alia haec ſcribit: „ Quaeſo per Deos, ſi quid certi noveris, me inſtru- „ as circa ſexum muſcorum." Alibi: „ In muſcis „ nihil valet Cliffortius, nec ego, nec Belga

„ ul-

Asſeclam nactus est Caeſalpinus Adamum Zaluziansky, *Method. herb.* Prag. 1592.

§ XII.

Post Caeſalpinum vera methodus diu in abiecta conditione remanſit: multi recesſerunt a bona, quam ille monſtraverat via, inter quos heterodoxos, ut a Linnaeo vocantur, alii, ut I. Bauhinus(1), Lobelii vestigia prementes, naturales quosdam ordines componere tentarunt, ſed adeo imperfectos, ut ſystemata compoſuisſe dici non posſint. Alii peius plantas in clasſes distinxerunt. Ita Parkinſonus (2) plantas modo ſecundum vires, modo ſecundum locum, quo crescant, modo ſecundum earum formas digesſit. Beslerus (3) ſecundum anni tempora, in quibus floreant; Fiſcherus

„ ullus." Et: „ Ego nil ſcio in imperfectis." Vid. Collectio epiſt. Linnaei, p. 7, 8. et 12. Conf. Kurt. Sprengel, *Hiſt. rei Herbariae*, t. II. p. 330.

(1) In prodromo hiſt. gen. plant., Ebrodun 1619.

(2) In theatro Botanico, Lond. 1640.

(3) In Horto Eystettenſi, Norib. 1613.

rus (1) secundum astrologiam plantas divisit.

Unus tamen hac epocha de Botanices scientia systematica bene meritus est, Fabius Columna Italus, qui, quamvis in operibus suis methodicam normam secutus non sit, tamen ostendit, quomodo secundum florem et fructum genera exhibenda sint, quarum partium notitia in omni genere constituendo summi est momenti (2).

Hanc autem illius generum constituendorum propositionem Botanici non, vel male, secuti sunt ante Tournefortium, qui eadem fere, quam ille indicaverat, ratione certa primus genera determinavit.

§ XIII.

In praeceptis, quae ad genera constituenda dedit Columna, vestigia Gesneri pressit, ad fructificationis partes maxime attendens; his vero sa-

(1) In Methodo nova herbaria plantarum ad septem summa genera redactarum, Brunsvic. 1656.

(2) In Ecphrasi, parte altera, Romae 1616. p. 63. seqq.

saporem etiam addit, ut ex ipsius verbis patet: „ Foliorum effigies in conferendis generibus „ parvi facimus, non enim ex foliis sed ex flo- „ re seminisque conceptaculo et ipso potius se- „ mine plantarum affinitatem diiudicamus, res- „ pondente praesertim sapore in reliqua plantae „ parte" (1). Sapor autem pessimus est plantarum character: in diversis enim hominibus diversum sensum producit neque accurate definiri potest: unde magna, si saporem tamquam characterem certum admittimus, in distinguendo confusio oriri debet (2).

§ XIV.

Cum Columna Iungius (3), Professor Hamburgensis, firma Botanices fundamenta posuit. Hic vir eximius, cui plantarum sexus non plane ignotus erat, nec a sapore, nec a colore, aut odore, aut loco, aliisque rebus accidentalibus, aut usu medico posse specificam differentiam peti docet; sed ab iis solis partibus,

(1) Ibidem, p. 69.

(2) Conf. Linnaeus, *Phil. Bot.* § 268.

(3) In Duxoscopiis physicis minoribus, Hamb. 1662.

bus, quae certae magis ſint neque cultura aut temporibus mutentur. Ab eo ſystematici permulta didicerunt, et Iungius, quamvis ad ſystematicos referri non posſit, tamen inter eos ſummo iure numerandus, qui praeceptis ſuis ad meliorem ſystematicam notionem viam posteris munierunt. Hallerus plura Iungio tribuit, quam revera ipſi tribuenda ſunt.

§ XV.

Saeculo fere post Caeſalpinum praeterlapſo, Moriſonus (1) Scotus aliud ſystema edidit, in quo 18 clasſes poſuit:

1. Lignoſae Arbores.
2. ——— Frutices.
3. ——— Suffrutices.
4. Herbaceae Scandentes.
5. ——— Leguminoſae.

6.

(1) In Historia plantarum univerſali Oxonienſis, ſeu herbarum distributio nova per tabulas cognitionis, ex naturae libro detecta, Oxonii 1680. Haec est operis pars ſecunda: pars prima de arboribus periit, partem tertiam, mortuo Moriſono, explevit Iac. Bobartius, anno 1699. Schelhammerus (in additam. ad Conring.) apud Moriſonum opus integrum ſe vidisſe testatur.

6. Herbaceae Siliquosae.
7. ——— Tricapsulares.
8. ——— a numero Capsularum dictae.
9. ——— Corymbiferae.
10. ——— Lactescentes, sive Papposae.
11. ——— Culmiferae, sive Calmariae.
12. ——— Umbelliferae.
13. ——— Tricoccae.
14. ——— Galeatae.
15. ——— Multicapsulares.
16. ——— Bacciferae.
17. ——— Capillares.
18. ——— Heteroclitae.

§ XVI.

Dolendum est Morisonum in hoc systemate non unam selegisse notam et secundum hanc omnes classes posuisse; sed, ad naturalem ordinem nimis attendens, et hoc, et plurimis aliis vitiis methodum inquinavit. Etenim in plerisque notam, qua classis insignitur, in fructu quaesivit; at in quatuor prioribus classibus ad habitum, in aliis quibusdam ad florem respicit. Alterum illi vitium est, separatio lignosarum plantarum ab herbaceis: quae separatio in hoc systemate peior etiam est quam in illo Caesalpini: quoniam Morisonus lignosas insuper in ar-

arbores, frutices et suffrutices (non plantas perennes, sed parvos frutices) distinxit: quae distinctio maxime incerta est, merito dicente Linnaeo: „ intra fruticem et arborem „ nullos limites posuisse naturam, sed vulgi „ opinionem" (1).

§ XVII.

In singulis etiam clasfibus vitia quaedam offendimus. Quam perversa e. gr. distinctio inter 8am et 15am clasfem? In ordinibus saepissime ad vegetationis partes, habitumque plantarum attendit: quod omnino vituperandum. Nam, etsi non negaverim, habitum nobis ad genera discernenda aliquando opem ferre posse et partes vegetationis specierum differentias optimas dare, non tamen cuiquam facile largiar, has ad clasfes ordinesve constituendos quid valere. Etenim partes vegetationis, ad quas habitus certe referendus, saepisfime variant et longe incertiores sunt partibus fructificationis, quod et experientia et omnium melioris notae, iam a Gesneri temporibus, Botanicorum monita cuique persuadere debent (2). Genera autem ali-

(1) Vid. *Phil. Bot.* § 78.

(2) Hinc et Linnaeus, *Phil. Bot.* § 164.: „ Dis-

aliqua e fructificatione primus, licet adhuc imperfecte, Morisonus creavit.

§ XVIII.

Denique et ei imputatur, ipsum saepe plantas ad clasfes reduxisse, ad quas reduci non debuerant. Hinc maxima confusio oriri potest: unde non inepte de eo dicit Linnaeus: „ Morisonus secutus naturae filum implicat suum „ Ariadneum (conf. *Phil. Bot.* § 156) in „ Gordios solo gladio explicandos" (1), quam sententiam ibidem exemplis confirmat. Et iure hanc ob rem culpatur Morisonus: nam, si, ut in eius systemate, ad *Leguminosas*, *Fragaria*, ad *Verticillatas*, *Asperifoliae* referuntur, caeteraque ad hanc rationem, quis e tanta confusione tiro sese umquam bene expedire posset? Imo, si eo modo systema conditum sit, fax illa, quae lucem alias praeberet, nil nisi tenebras afferat.

Non tamen omni virtute caret haecce methodus: nam clasfes quasdam naturales auctor rite digessit, et Caesalpini vestigiis, si tem-

„ Dispositio vegetabilium primaria a sola fructificatione desumenda est." Conf. § 209.

(1) Vid. *Phil. Bot.* § 209.

temporum rationem habeamus, optime incesſit. Et, ut Tourne fortii verbis utar: „Moriſonus ſummis laudibus excipiendus, longe „ vero maioribus, ſi a ſuis abſtinuiſſet" (1).

Secutus est Moriſoni methodum Paullus Ammannus, Profeſſor Lipſienſis, omisſis tamen foliis et aliis magis accidentalibus (2).

§ XIX.

Duo ſystemata Ioh. Raius Anglus, post varia per Europam itinera, obſervationum fructus edidit. Priore (3) hae 25 clasſes, ſive, ut vocat, genera ſumma continentur:

1. Arbores.
2. Frutices.
3. Herbae Imperfectae.
4. —— Flore carentes.
5. —— Capillares.
6. —— Stamineae.
7. —— Gymnomonospermae.

8.

(1) Inſtitutiones rei herbariae, Paris 1700. p. 53.

(2) Character plantarum naturalis, Lipſiae 1685.

(3) Methodus plantarum nova, Lond. 1682. et Historia plantarum, 3 vol. Lond. 1686, 1688. et 1704. paucis mutatis.

8. Herbae Umbellatae.
9. —— Verticillatae.
10. —— Asperifoliae.
11. —— Stellatae.
12. —— Pomiferae.
13. —— Bacciferae.
14. —— Multiſiliquae.
15. —— Monopetalae uniformes.
16. —— —— —— difformes.
17. —— Tetrapetalae Siliquoſae.
18. —— —— —— Siliculoſae.
19. —— Papilionaceae.
20. —— Pentapetalae.
21. —— Frumenta.
22. —— Gramina.
23. —— Graminifoliae.
24. —— Bulboſae.
25. —— Bulboſis affines.

Hoc ſystema refutare operae pretium non erit, quoniam Raius ipſe hoc reiecit, et aliud multo perfectius edidit. De hoc tantum loqui itaque ſufficiat.

§ XX.

Altero hae 33 claſſes exhibentur (1):

1.

(1) Methodus plantarum emendata, Lond. 1703.

1. Herbae Submarinae.
2. —— Fungi.
3. —— Musci.
4. —— Capillares.
5. —— Apetalae.
6. —— Planipetalae.
7. —— Discoideae.
8. —— Corymbiferae.
9. —— Capitatae.
10. —— ſolitario ſemine.
11. —— Umbelliferae.
12. —— Stellatae.
13. —— Asperifoliae.
14. —— Verticillatae.
15. —— Polyſpermae.
16. —— Pomiferae.
17. —— Bacciferae.
18. —— Multiſiliquae.
19. —— Monopetalae.
20. —— Di - tripetalae.
21. —— Siliquoſae.
22. —— Leguminoſae.
23. —— Pentapetalae.
24. —— Floriferae.
25. —— Stamineae.
26. —— Anomalae.
27. —— Arundinaceae.
28. Arbores Apetalae.

29. Arbores fructu umbilicato.
30. ——————— non umbilicato.
31. ——————— ficco.
32. ——————— filiquofo.
33. ——— Anomalae.

§ XXI.

Magna hoc Raii fystema laude dignum est, eam praecipue ob caufam, quod naturalem ordinem fatis bene perfpexit et clasfes quasdam compofuit revera naturales. Morifonum maxime fecutus, illius methodum certe non peiorem reddidit. Clasfes Morifoni Pomiferarum et Bacciferarum retinuit. Vitia autem magna magnas huius fystematis virtutes occultant. Raius ipfe profitetur, Europaeis plantis fuam methodum tantummodo fufficere, exoticis forte infervire non posfe. Deinde, quoniam adeo attendit ad naturales familias, non fecundum unam fructificationis notam omnes clasfes difpofuit, unde tiro plantam ignotam, huius fystematis ope nullo modo notam fibi reddere potest.

§ XXII.

Sed forfitan quis mihi obiiciet, illud Raii esfe fystema naturale: non itaque opus esfe, ut ti-

tironum institutioni inserviat, dummodo doctioribus ordines naturales rite exhibiti sint. Iusta sententiae meae reprehendendae causa fuisset, si modo bonum esset systema naturale. Vitiosum autem esse, vel levis methodi consideratio, et praesertim classes 26ª et 33ª demonstrant.

Imperfectum ergo est, si ut systema naturale, peius etiam, si ut systema artificiale consideratur; non itaque hodie eo uti possumus. Haec autem veteribus systematicis praecipua errorum causa videtur, quod plerique methodum naturalem cum artificiali coniungere conati sunt, atque ita utramque perdiderunt: quod Raio praesertim et Morisono imputatur.

Raius, ut qui eum praecesserunt, arbores ab herbis male seiunxit, ita tamen, ut non magnitudinis modo rationem habuerit, sed hoc discrimen inter herbas arboresque melius definiverit. Arbores enim plantas *gemmiparas*, herbas *gemmis carentes* vocavit.

§ XXIII.

Veteres herbas ab arboribus diviserunt, ut sensibus quid indulgerent, et plantas, quae adeo, ut herba ab arbore, habitu differunt, in methodis affines non ponerent. At vero in Raii systemate neque illud, licet forte non maxi-

maximi momenti, propositum attingitur. Et iam magnum illius divisionis incommodum apparet, nam si discrimen inter herbas et arbores non accurate, sed modo magnitudine definimus, dubia, ut iam monuimus, et obscura plura remanent; si vero cum Raio discrimen gemmarum ope, quae sola certa discernendi via est, definimus, contra naturalem affinitatem omnino peccamus. Etenim permultae sunt arbores, quae gemmis carent: multas enumeravit Linnaeus (1), et multae iis e posterioribus observationibus addendae sunt. Hinc in methodo Raiana, secundum ipsius definitionem, permultae arbores ad herbas referendae sunt, quod certe in hoc systemate, in quo herbae ab arboribus seiunguntur, absurdissimum est.

§ XXIV.

In generibus autem constituendis, Raius notas inconstantes et fallacissimas elegit, nam folia et habitum non modo, verum etiam colores, sapores, odores et magnitudinem ad characteres genericos retulit, quinimmo flores et fruc-

(1) Vid. *Phil. Bot.* § 85.

fructus hisce postposuit. Nam, ut ipse dicit (1): „ perinde illi est et plane non veretur, „ si modo plantae plures partes et accidentia si- „ milia habeant, totove habitu et textura con- „ veniant, quamvis etiam floris figura, eiusque „ petalorum numero, femineque nudo, vel „ vasculo incluso, ac cellularum in quas divi- „ ditur eiusmodi vasculum numero differant, ad „ idem genus reducere." Quodsi huic regulae obsequamur, quid inde oriundum? Nonne necessario genera fixa eorumque constantia et firmitas omnis in summum damnum Botanices evanescere debent? Hanc itaque Raii in generibus constituendis viam deseramus, et potius illa meliori incedamus, quam Vaillantius, Dillenius, et praesertim vir summus Linnaeus recte nobis ostenderunt.

Raium plurimi secuti sunt, inter quos vir doctissimus Dillenius (in horto Elthamensi, Lond. 1732).

§ XXV.

E veteri (§ XIX.) Raii systemate magnam partem suum systema deduxit Christophorus Knau-

(1) In Prolegomenis ad methodum emendatam, Lond. 1703.

Knautius (1) Medicus Halenſis, in quo plantas ſecundum has 17 claſſes diſpoſuit:

1. Herbae petaloſae fructu carnoſo, Bacciferae.
2. —— petaloſae fructo membranaceo, Monopetalae.
3. —— petaloſae fructu membranaceo, Tetrapetalae regulares.
4. —— petaloſae fructu membranaceo, Tetrapetalae irregulares.
5. —— petaloſae fructu membranaceo, Pentapetalae.
6. —— petaloſae fructu membranaceo, Hexapetalae.
7. —— petaloſae fructu membranaceo, Polypetalae.
8. —— petaloſae fructu membranaceo, Multicapſulares.
9. —— petaloſae fructu nudo, Gymnoſpermae.
10. —— petaloſae fructu nudo, Solidae.
11. —— petaloſae fructu nudo, Papposae.
12. —— apetalae, Apetalae.
13. —— apetalae, Stamineae.

14.

(1) In enumeratione plantarum circa Halam Saxonum, Lipſiae 1687.

14. Herbae apetalae, Inconſpicuae.
15. —— apetalae, Imperfectae.
16. Lignoſae, Arbores.
17. ———, Frutices.

§ XXVI.

Quae huic ſystemati vitio verti posſunt, fere conveniunt cum illis, quae ceteris veterum ſystematibus obiecimus. Herbas a lignoſis plantis Knautius ſeparavit, has inſuper in arbores et frutices diviſit. Aeque ac veterum ſystematicorum multi, ad fructum non tantum, verum etiam ad petalorum numerum et regularitatem reſpexit, atque adeo non ſecundum unam notam characteristicam clasſes exhibuit, unde tironi difficillimum est ſystema. Mirum itaque videri non poteſt neminem eo uſum fuisſe, niſi ipſum Knautium in enumeratione plantarum circa Halam Saxonum indigenarum.

§ XXVII.

Melius, quod ſequitur, Pauli Hermanni, Profesſoris Lugduno-Batavi, ſystema videtur (1).

Clas-

(1) Florae Lugduno-Batavae flores, Lugd. B. 1690.

Hic

Classes eius sunt 25:

1. Herbae Gymnospermae monospermae, Simplices.
2. —— Gymnospermae monospermae, Compositae.
3. —— Gymnospermae dispermae, Stellatae.
4. —— Gymnospermae dispermae, Umbellatae.
5. —— Gymnospermae tetraspermae, Asperifoliae.
6. —— Gymnospermae tetraspermae, Verticillatae.
7. —— Gymnospermae polyspermae, Gymnopolyspermae.
8. —— Angiospermae bulbosae, Tricapsulares.
9. —— Angiospermae, capsula unica, Univasculares.

10.

Hic liber ab Hermanni discipulo Zumbach editus, ipsius continet dictata et systema. Revera autem hanc methodum ab Hermanno profectam esse testantur Sherardus (in *praef. ad Hermanni Paradisum Batavum*, Lugd. B. 1705.) Linnaeus (in *Bibliotheca Botanica*, Amst. 1751. p. 101.) et Hallerus (*Bibl. Bot.* t. I. § 798).

10. Herbae Angiofpermae, capfulae binae, Bivasculares.
11. —— Angiofpermae, capfulae tres, Trivasculares.
12. —— Angiofpermae, capfulae quatuor, Quadrivasculares.
13. —— Angiofpermae, capfulae quinque, Quinquevasculae.
14. —— Angiofpermae, filiqua, Siliquofae.
15. —— Angiofpermae, legumen, Leguminofae.
16. —— Angiofpermae multicapfulares, Multicapfulares.
17. —— Angiofpermae carnofae, Bacciferae.
18. —— Angiofpermae carnofae, Pomiferae.
19. —— Apetalae calyculatae, Apetalae.
20. —— Apetalae glumofae, Stamineae.
21. —— Apetalae nudae, Muscofae.
22. Arbores incompletae, Iuliferae.
23. —— carnofae, Umbilicatae.
24. —— carnofae, Non Umbilicatae.
25. —— non carnofae, Fructu Sicco.

§ XXVIII.

Dolendum est, Hermannum aeque ac qui eum antecesſerunt, herbas ab arboribus ſecrevisſe, ipſumque fructistam etiam corollae rationem habuisſe. Male porro *Asperifolias* habitu a *Verticillatis* distinxit, male *Compoſitas* in *Lactescentes* et *Pappescentes* diviſit, aliosque eius generis errores commiſit. Hanc autem methodum plurimis vitiis maculatam esſe ipſe ſentiens Hermannus, aliam edere in animo habuit, ſed mors eum in ipſo opere rebus humanis eripuit, cum hanc, non tamquam accuratam et perfectam modo, ſed in tironum gratiam, ut eos in ſtudio ſublevaret, ediderit (1). Et ſane, ſi eo reſpectu rem conſideremus, ſatis bene Hermannus propoſitum attigisſe dicendus est. Etenim omnibus enumeratis hoc ſystema, quod ad facilitatem et perſpicuitatem tironibus, longe antecellit. Secutus est Hermanni ſystema Laur. Heisterus (2), illudque defendit Hermanni discipulus Olaus Rudbeckius, Iun. (3).

CA-

(1) Testante Sherardo, in *praef. ad Paradiſum Batavum.*

(2) In ſystemate plantarum generali e fructificatione, Helmſt. 1748.

(3) In disſertatione de fundamentali plantarum notitia recte acquirenda, Traj. ad Rhenum 1690.

CAPUT TERTIUM.

DE SYSTEMATIBUS RIVINI, ET EORUM, QUI EUM USQUE AD LINNAEUM SECUTI SUNT.

§ XXIX.

Quae huc usque consideravimus systemata, fructui praesertim innituntur; huncce autem characterem non sufficere, vel ipsi, qui illam notam elegerunt, systematici exemplo suo docent, cum non ex hoc fonte solo omnes primarias divisiones haurire poterant, sed, licet fructistae, tamen corollae habitusque rationem habere cogebantur. Primus omnium Rivinus (1), Professor Lipsiensis, solam corollam respexit et secundum illam unam notam omnes classes disposuit, primus herbarum ab arboribus divisionem reiecit. Huius igitur systema, me saltem iudice,

(1) Introductio generalis in rem herbariam, Lipsiae 1690. Ordines plantarum flore monopetalo irregulari. Lipf. 1690. Ordines plantarum flore tetrapetalo irregulari, Lipf. 1691. Ordines plantarum flore pentapetalo irregulari, Lipf. 1699.

ce, omnibus praecedentibus antecellit, et Rivini ingenium magni facere debemus, qui tantam in systematibus mutationem suo Marte facere ausus sit et multa magnaque systematicorum ante eum vitia evitare potuerit. Dolendum est, Rivinum non totum elaborare potuisse systema, sed tantum fundamentum et aliquas partes elaboratas dedisse. Ulterius autem methodum illam perficere conati sunt Heucherus (1), et post eum Ruppius (2), iuvenis ad Botanicam natus, sed praematura morte studiis ereptus, qui illam in compositis inprimis emendavit.

§ XXX.

Attendit Rivinus praecipue ad regularitatem corollae numerumque petalorum, atque ex iis classes, sive, ut eas, Raium secutus, appellat, genera summa, composuit; e fructu autem ordines sive genera minora deduxit.

Classes hae sunt:

1. Flores regulares monopetali.
2. ——————— dipetali.
3. ——————— tripetali.

4.

(1) In Horto Wittenbergensi, Wittenb. 1711.
(2) In Flora Ienensi, Francf. 1718.

4. Flores regulares tetrapetali.
5. ——————— pentapetali.
6. ——————— hexapetali.
7. ——————— polypetali.
8. ——— compofiti ex flosculis regularibus.
9. ——— compofiti ex flosculis regularibus et irregularibus.
10. ——— compofiti ex flosculis irregularibus.
11. ——— irregulares monopetali.
12. ——————— dipetali.
13. ——————— tripetali.
14. ——————— tetrapetali.
15. ——————— pentapetali.
16. ——————— hexapetali.
17. ——————— polypetali.
18. ——— incompleti imperfecti.

§ XXXI.

Character, quo clasfes in hoc fystemate distinguuntur, facile obfervari poteſt. Hanc ob caufam, tum etiam ob perfpicuitatem, quam habet, facillima esfet haec methodus, nifi character e petalis defumtus in una eademque planta pluribus mutationibus esfet obnoxius. Nam et quod ad corollae numerum faepius aberrat

rat (1), et eiusdem regularitas nullam dare potest certitudinem, cum et ipsa saepe a regulari norma aberret (2). Denique et in eiusdem generis variis speciebus varia saepe reperitur, ut multis nobis exemplis docuit Linnaeus (3).

§ XXXII.

Fuere et aliae huic systemati obiectiones. Ita Raius (4) et Dillenius (5) de methodo Rivini queruntur, *quod secundum illam plantae cognatae et congeneres separantur, dissimiles vero et alienae sive diversi generis consociantur.* Idem in hoc systemate vituperat Adansonius (6), in illo nullam omnino classem natu-

(1) Hoc confirmatum videas a Willdenowio *Kräut.* § 168, 169 et 170, et a Linnaeo, *Phil. Bot.* § 178.

(2) Vid. Willdenow, *Kräut.* § 174. et Linnaeus, *Phil. Bot.* § 180.

(3) In *Phil. Bot.* § 169.

(4) In prolegomenis ad methodum emendatam.

(5) In dissertatione de variis plantarum methodis, praemissa Catalogo plantarum sponte circa Gissam nascentium, Francf. 1719.

(6) In libro cui titulus: *Familles des Plantes*, Paris 1763. Preface p. 29.

turalem reperiri dicens. Hoc vero, non huic tantum, verum artificialibus systematibus fere omnibus imputari potest, neque adeo vitium ita magnum dicendum est, ut ob illud totum systema reiiciatur. Magis autem Rivinus improbandus, quod genera non satis accurate definierit et aliquando plura, quam oportuerat, condiderit, characteres genericos adsumens, qui non satis magni momenti sunt, ut ad genera discernenda valeant, quod et illi obiecit Dillenius (l. c.). Nomina autem generica et specifica primus rite confecit, eodem fere modo, quo nunc ea plantis imponuntur.

Asseclam nactus est celebrem Hebenstreitium (1) aliosque. Fuere etiam qui hoc systema cum iis Tournefortii et Linnaei coniungere conati sunt, de quibus postea.

§ XXXIII.

Camellus praecedentia systemata reiecit et novum plane atque mirum systema ex numero valvularum pericarpii condere conatus est (2). Uti-

(1) De continuanda Rivinorum industria in eruendo plantarum charactere, Lipf. 1726.

(2) In syllabo stirpium in insula Luzone Philippi-

Utinam non nova tantum, verum et meliora induxisſet!

Septem ſub clasſibus univerſum regnum vegetabile ordinavit, ſcilicet:

1. Pericarpia Afora.
2. ——— ——— Unifora.
3. ——— ——— Bifora.
4. ——— ——— Trifora.
5. ——— ——— Tetrafora.
6. ——— ——— Pentafora.
7. ——— ——— Hexafora.

Hoc ſystema maximam ob brevitatem nullius pretii in Botanicis est: clasſes enim adeo vastae ſunt, ut non, niſi maximo labore, quis plantam in tanta multitudine reperiat. Hoc ſystema igitur finem illum non attingit, ad quem omnia, et praeſertim artificialia ſystemata tendere debent, ut ſcilicet Botanices ſtudium facilius efficiant, facemque in obſcura nocte praebeant. Neque etiam ad has clasſes omnes plantae referri posſunt. Mirum itaque videri non potest hoc ſystema Botanicis haudquaquam placuisſe.

§ XXXIV.

Cum in Anglia Raius ſuum ſystema magis ma-

pinarum primaria, adnexa Raii Historiae plantarum generali, Lond. 1693.

magisque perficiebat, Rivinus in Germania aliud edebat; tertius eodem fere tempore exsurgit systematicus in Gallia, Tournefortius: et triumviri hi, quamvis in systematibus omnino discreparent, quinimmo saepius litigiosis scriptis inter se dimicarent, tamen quasi iunctis viribus methodicam nostram plantarum scientiam promoverunt. Cum vero Raius ad fructum magis, Rivinus ad numerum petalorum eorumque regularitatem attenderent, aliam viam ingressus Tournefortius figuram corollae et numerum petalorum respexit, atque ex iis characteribus methodum formavit, sane elegantissimam, quam plurimi Botanici omnibus tunc notis anteposuere atque in deliciis habuere, usque ad aetatem Linnaei, quando illud in coelo Botanico novum sidus minora lumina obscuravit, atque aliud systema huius loco imposuit. Sed, etiamsi Tournefortiana methodus hodie usui non amplius inserviat, manet tamen et nomen et honor auctoris huius systematis, quod certe suis laudibus insigne est.

§ XXXV.

Systemati, cum de eo loquebamur, Rivini meritas laudes tribuimus, eas et nunc Tournefortio tribuimus. Ille magis accurate leges

ges systematis artificialis secutus est, hic melius plantarum cognationem naturalem servavit. De hoc autem Tournefortii systemate paullo fusius loqui constituimus, tum, quoniam ante Linnaeum fere omnes hoc caeteris anteposuerunt, post Linnaeum nonnulli sexuali etiam praetulerunt, tum quoniam ipse Linnaeus hoc systema maximi fecit; quinetiam Buffonus (1), atque Adansonius (l. c.) Tournefortii et Linnaei systemata inter se comparantes illi palmam tribuunt. Accuratius igitur Tournefortii, quos in systemate commiserit, errores perscrutabimur, ut postea illud Linnaei contra tantorum virorum iudicia rite defendere queamus.

§ XXXVI.

Classes has 22 posuit (2):

1. Herbae et suffrutices floribus monopetalis campaniformibus.
2. ——— et suffrutices floribus monopetalis infundibuliformibus et rotatis.

3.

(1) *Histoire naturelle generale et particulière par* Buffon *et* Daubenton, Amst. 1766. t. I. p. 6 et 7.

(2) In opere cui titulus: *Elemens de Botanique*, Paris 1694. III. Vol. Altera editio Latine prodiit: *Institutiones rei Herbariae*, Paris 1700. III. Vol.

3. Herbae et ſuffrutices floribus monopetalis anomalis.

4. ——— et ſuffrutices floribus monopetalis labiatis.

5. ——— et ſuffrutices floribus polypetalis cruciformibus.

6. ——— et ſuffrutices floribus polypetalis roſaceis.

7. ——— et ſuffrutices floribus polypetalis roſaceis umbellatis.

8. ——— et ſuffrutices floribus polypetalis caryophyllaeis.

9. ——— et ſuffrutices floribus liliaceis.

10. ——————————— polypetalis papilionaceis.

11. ——— et ſuffrutices floribus polypetalis anomalis.

12. ——— et ſuffrutices floribus flosculoſis.

13. ——————————— ſemifloscu-loſis.

14. ——— et ſuffrutices floribus radiatis.

15. ——— et ſuffrutices floribus apetalis et ſtamineis.

16. ——— et ſuffrutices, qui floribus carent et ſemine donantur.

17. ——— et ſuffrutices, quorum flores et fructus conſpicui deſiderantur.

18. Arbores es frutices floribus apetalis.

19. Arbores et frutices floribus amentaceis.
20. ——— ——— ——— ——— monopetalis.
21. ——— ——— ——— ——— rosaceis.
22. ——— ——— ——— ——— papilionaceis.

§ XXXVII.

Quod in antiquioribus systematibus adeo frequens vidimus, divisionem scilicet herbarum et suffruticum ab arboribus et fruticibus, idem et in hoc systemate vitium offendimus. Hanc divisionem iam refutavimus: non lubet itaque eandem operam iterum praestare. Iam hac, licet vitiosa, distinctione semel admissa, illa in bono systemate ubique admittenda foret; hoc vero auctor non fecit, sed, raro quidem, attamen aliquando herbas sub arboribus collocavit. Ita e. gr. *Sambucum Ebulum* L. (*l'hièble*) herbam ad *Sambucum*, adeoque ad arbores retulit. Illam igitur plantam tiro in 17 prioribus systematis classibus quaeret, sed frustra. Nec vero solum in hoc culpandus Tournefortius, verum etiam in aliis systematis partibus pugnantia eum scripsisse arbitror. Etenim caeteroquin ubique classium sectionumque (quo nomine ordines appellat) fundamentum in partibus fructificationis, quae sola in systemate via nos ad vera ducit, quaerens; tamen in classe 22ª sectiones a

D fo-

foliis distinxit, adeoque contra regulas, quas dedit, ipse peccavit.

§ XXXVIII.

Laudatur Tournefortius, quod genera ex lege artis primus condidit; vituperatur autem, quod eadem aliquando foliorum, radicum et habitus ope male distinxit. Ita in *Isagoge ad rem herbariam* p. 61, floribus quidem et fructibus genera a se invicem discernenda esse monet; at vero mox subiungit: „ Non solum „ caeterae omnes plantarum partes, sed earum „ affectiones, crescendi modus, habitus et fa- „ cies exterior in auxilium vocari debent, cum „ flos simul et fructus non sufficiunt ad genera „ recte distinguenda."

In speciebus magis etiam devius factus est Tournefortius, varietates plurimas in specierum numerum inducens; quare species erroneo fundamento superstructas ita numero adauxit, ut summum ex eo respublica Botanica detrimentum ceperit. Ita testatur Linnaeus, „ Tour- „ nefortium castra anthophilorum intran- „ tem, vidisse, tamquam polyedro, in uno „ Hyacintho 63 et in unica Tulipa 93 species, „ quam re ipsa essent, plures (1)." Hinc Tour-

(3) In *Phil. Bot.* § 266.

Tournefortius anno 1694 iam 10146 species cognovit, cum Linnaeo in prima specierum editione, anno 1753, non plures quam 7300 innotuissent. Hic enim varietates ad species summo iure reduxit, quod illi vitio vertere Adansonius (1) non debuerat. Sexum autem haudquaquam agnovit Tournefortius, quin stamina et pistilla plantarum vasa excretoria habuit.

§ XXXIX.

Ultimum denique et maximi momenti contra hoc systema argumentum auxilio veniat. Tournefortius scilicet in systemate, ut diximus, corollae maxime innititur, quod systematis fundamentum admodum incertum videtur. Namque et in multis generibus variae species et in iisdem speciebus singulae plantae, quod ad corollae figuram et numerum saepe magnopere differunt, quod plurimis exemplis docuit Linnaeus et scriptores Botanici post eum confirmarunt (2). Genera au-

(1) *Fam. des plantes pref.* p. 115, ubi dicit: „ M. „ Linnaeus, *par un zèle tres condamnable a voulu* „ *en* 1735 *supprimer toutes ces variétés.*"

(2) Conf. Linnaei, *Phil. Bot.* § 169 et 182.

autem ob illud in artificiali systemate divisionis fundamentum, quod ex arbitrio cuiusque pendet, discerpere non licet, neque etiam numerum specierum praeter necessitatem augere. Genera enim et species natura creavit (1) et quae natura coniunxit homini divellere non licet.

§ XL.

Praeterea, quamvis Tournefortius multas distinctas et satis constantes corollarum formas bene ceperit, non tamen plurima illa formarum discrimina, quae natura polymorpha in floribus creandis exhibet, omnia classibus suis comprehendere potuit; unde classibus 3ª et 11ª omnes continentur corollarum formae, quae ad reliquas classes referri non potuerant. Etiamsi autem omnes corollarum figuras proprio nomine insignire, omnesque ad classes reducere potuisset, non tamen in posterum in usu manere posset systema. Etenim novis plantis detectis saepissime etiam novae corollarum formae deteguntur. In eo igitur casu vel novae classes creandae vel omnes eo usque ignotae corollarum formae,

Willdenow, *Kraüt.* § 176. Kurt. Sprengel, *Anleitung zur kenntniss der Gewächse*, T. II. p. 89.

(1) Conf. Linnaei, *Phil. Bot.* § 159.

mae, qualescunque ſint, ad unam claſſem anomalium nomine reducendae forent.

§ XLI.

Accedit etiam, ut probem, corollae figuram ad ſystema minus valere, quod aliae corollarum formae in alias ſaepe ita transeunt, ut limitem inter eas ponere difficillimum ſit, cum ob naturae inſignem varietatem, tum ob varias ideas, quas varii homines de formis habent. Formam enim verbis ita definire, ut nemini dubium quoddam remaneat, res omnino ardua est, et ſaepe, aeque ac odorem ſaporemque plantae, illam definire non posſumus. Quis e. gr. varias campaniformium corollarum figuras ita deſcribet, ut tiro talem primum videns e ſola definitione campaniformem esſe agnoscat? Quis diverſas corollae formas in *Alisma*, *Sagittaria*, *Ranunculo*, *Myoſuro*, omnes *Roſaceas* vocandas esſe credat, quas tamen corollas omnes Tournefortius *Roſaceas* appellat (1)?

Haec de forma corollae Tournefortio etiam obiecit Raius: „ Generum," inquit, „ differentiae a ſtructura floris ſumtae, non posſunt non esſe incertae et obſcurae, cum de „ ſimi-

(1) Inſtitutiones rei herbariae, p. 285—293.

„ ſimilitudine florum vix duo conveniant; quin „ ſi demus ſimilitudinem dari inter aliquos, quo- „ usque extendenda ſit haec ſimilitudo in con- „ ſtituendis generibus et ubi limes diverſae for- „ mae floris; verbi gratia, inter *Caryophyllaceos* „ et *Roſaceos* et inter utrosvis horum et *Tetra-* „ *petalos Siliquoſarum* ſit ſtatuendum, quis quae- „ ſo, determinabit (1)?"

§ XLII.

Denique non omnes plantarum ſpecies corolla gaudent; has igitur diſcernere methodus illa non poteſt, quod et ipſe ingenue profesſus eſt Tournefortius (*Inſtit. rei Herbariae* p. 67) dicens: „ Fateor methodum meam nequaquam „ abſolutam esſe; cum clasſes plantarum, quae „ floribus carent comprehendere nequeat; ſed „ cum illae pauciores ſint, methodus, quae „ caeteris hucusque propoſitis longe magis com- „ moda videtur, reiici non debet, cum paucio- „ ribus vitiis urgeatur et ad plantarum cogni- „ tionem extempore asſequendam conducat." In eo autem haud dubie laudanda methodus, quod in univerſum ſatis bene ad naturalem accedat, et ſecundum Adanſonii (loco citato) ſententiam,

(1) In praefatione ad methodum emendatam.

am, sex classes revera naturales sunt: 4ª nempe 7ª, 9ª, 10ª, 13ª et 14ª; sectionum autem plus quam tertiam partem vere naturalem habet Adansonius, e 122 nempe sectionibus 48 naturales dicit. Quodsi cum Adansonio credere possumus Tournefortium, si diutius vixisset, divisionem inter herbas et arbores reiecturum fuisse, eo certe non parum methodum perfecisset. Haec methodus multos habuit sectatores, inter quos praecipue citandi Plumierus qui distinctionem inter herbas et arbores recte reiecit (1), Feuillaeus (2), Vaillantius, qui illam in compositis emendavit (3), Ant. Iussievus (4), Michelius (5), Seguierus (6) et nuper in Gallia Guiartus, qui novum systema edidit antiquo Tournefortiano innixum (7).

§ XLIII.

(1) Genera plantarum Americanarum, 1703.

(2) *Journal d' Observat. Physiq. et Botan.* 1714.

(3) *Memoires de l' Academie des Sciences de Paris* 1718, 1719, 1720 et 1722.

(4) Plantae per Galliam, Hispaniam et Italiam observatae etc.

(5) Nova plantarum genera, Flor. 1729.

(6) Plantae Veronenses, Veronae 1745.

(7) *Classification Végétale, ou Exposé d'une nouvelle methode calquée sur celle de* Tournefort, Paris 1807.

§ XLIII.

Ex enumeratis iam systematibus Hermanni, Raii emendato et Tournefortii suum deduxit Boerhaavius, quod his 34 classibus constabat (1):

1. Plantae simplicissimae Submarinae.
2. ——————— Terrestres.
3. ——————— Capillares.
4. —— magis perfectae Gymnopolysper-mae.
5. —— magis perfectae Gymnodisper-mae Umbelliferae.
6. —— magis perfectae Gymnomonosper-mae Simplices.
7. —— magis perfectae Gymnomonosper-mae Planipetalae.
8. —— magis perfectae Gymnomonosper-mae Radiatae.
9. —— magis perfectae Gymnomonosper-mae Nudae.
10. —— magis perfectae Gymnomonosper-mae Capitatae.
11. —— magis perfectae Gymnodispermae Stellatae.

12.

(1) Index plantarum horti Lugduno - Batavi, 1710.

12. Plantae magis perfectae Gymnotetrafpermae Verticillatae.
13. —— magis perfectae Gymnotetrafpermae Asperfoliae.
14. —— magis perfectae Gymnotetrafpermae Tetrapetalae.
15. —— magis perfectae Monangiae.
16. —— —— —— —— Diangiae.
17. —— —— —— —— Triangiae.
18. —— —— —— —— Tetrangiae.
19. —— —— —— —— Pentangiae.
20. —— —— —— —— Polyangiae.
21. —— —— —— —— Multifiliquofae.
22. —— —— —— —— Siliquofae.
23. —— —— —— —— Tetrapetalae Cruciformes.
24. —— magis perfectae Leguminofae.
25. —— —— —— —— Bacciferae.
26. —— —— —— —— Pomiferae.
27. —— —— —— —— Apetalae.
28. —— —— —— —— Monocotyledones Bracteatae.
29. —— magis perfectae Monocotyledones Apetalae.
30. Arbores et frutices Monocotyledones.
31. —— —— —— Apetalae.
32. —— —— —— Amentaceae.

33. Arbores et frutices Monopetalae.
34. ——————— Rosaceae.

§ XLIV.

Boerhaavius, quem merito Sprengelius dicit „ Virum et medica arte felicissimum et chemiae scientia doctissimum, adeoque pium, integrum, modestum et liberalem, ut immortale praebuerit virtutum omnium exemplar (1)," vir ille adeo excellens, systema in Botanicis imperfectum valde composuit, quod praeter praeclarum nomen auctoris, pauca praeclara exhibet. Postquam Rivinus herbas ab arboribus secernendas non esse in methodo sua ostenderat, antiquam Boerhaavius malam istam separationem retinuit: postquam Rivinus et Tournefortius unam tantummodo notam classium fundamentum eligendam esse exemplo docuerant, ille antiquiorum vestigia premens ad plures, ad fructum nempe, corollam et cotyledones attendit. Multis hoc systema vitiis scatet; attamen in laudem Boerhaavii dicendum est, ipsum in generibus constituendis Tournefortium rite secutum es-

(1) Hist. rei herbariae, T. II. p. 199.

esse, quamvis in speciebus cum eo saepius erraverit.

Hebenstreitius, quem (§ XXXII) Rivini sectatorem vidimus, post reditum ex Africa Boerhaavii methodum amplexus est (1).

§ XLV.

Christianus Knautius, Bibliothecarius Halensis, Rivini systema suo emendare conatus est (2). Cum Rivinus in methodo regularitati corollae magis quam petalorum numero insisteret, Knautius numerum regularitati praefert.

Classes has 17 exhibuit:

1. Monopetali uniformes.
2. ——— difformes.
3. Aggregati uniformes.
4. ——— difformes.
5. Uniformi - difformes.
6. Dipetali uniformes.
7. ——— difformes.

8.

(1) In libello de methodo plantarum e fructu optima, Lipsiae 1740.

(2) In methodo plantarum genuina, Lipsae et Halae 1716.

8. Tripetali uniformes.
9. ——— difformes.
10. Tetrapetali uniformes.
11. ——— difformes.
12. Pentapetali uniformes.
13. ——— difformes.
14. Hexapetali uniformes.
15. ——— difformes.
16. Polypetali uniformes.
17. ——— difformes.

§ XLVI.

Quae de Riviniana methodo loquentes de certitudine regularitatis et numeri corollae diximus (§ XXXI.), eadem et huic systemati obiicimus. Quos Rivinus in universum errores commisit, eosdem fere et Knautius commisit; alios autem sibi proprios plures addidit. Et primo quidem semina nuda adesse negavit (l. c. p. 9.); quae vero vulgo sic dicuntur, vocat utriculos vel capsulas monospermas. Apetalos flores non adesse Knautius male arbitratus est; petala enim ad floris *essentiam* requiri, in quibus autem corolla desit, perianthium corollae munere fungi credit. In *Aggregatis*, quo nomine ab eo

Com-

Compositae insigniuntur, *Dipsaceas* cum *Capitatis* et *Semiflosculosis* male confudit: aliosque huiusmodi errores plurimos commisit. In generibus male aliquando e caule characteres petiit.

Non mirum igitur, neminem hanc methodum post Knautium adhibuisse.

§ XLVII.

E Rivini systemate iuncto cum illo Tournefortii novum edidit Pontedera (1), Professor Botanices Patavinus, quod has 27 classes continebat:

1. Incertae, Incerti.
2. ———, Floribus destituti.
3. Gemmis carentes, Imperfecti.
4. ———————, Anomali.
5. ———————, Labiati.
6. ———————, Campaniflores.
7. ———————, Hypocrateriformes.
8. ———————, Rotati.
9. ———————, Infundibuliformes.
10. ———————, Flosculosi.

(1) In Anthologia, Patav. 1720. et Dissertationes XI. Botanicae in Horto Academico Patavino, Patav. 1720.

11. Gemmis carentes, Lingulati.
12. ————————, Radiati capitulis.
13. ————————, Anomali.
14. ————————, Papilionacei.
15. ————————, Liliacei.
16. ————————, Caryophyllaei.
17. ————————, Cruciformes.
18. ————————, Umbellati.
19. ————————, Filamentosi.
20. Gemmiferae, Filamentosi.
21. ————————, Apetali.
22. ————————, Anomali.
23. ————————, Campaniformes.
24. ————————, Rotati.
25. ————————, Infundibuliformes.
26. ————————, Papilionacei.
27. ————————, Rosacei.

§ XLVIII.

Pontedera methodum suam illis Rivini et Tournefortii superstruens, multa etiam ex horum systematibus vitia depromsit. Aeque quidem ac Tournefortius ad familias naturales satis bene attendit, sed aeque ac ille plantas gemmis carentes a gemmiferis seiunxit, aeque ac ille ad anomalium plantarum classes saepe confugere debuit, ut in iis species colloca-

ret,

ret, quas in caeteris collocare non potuisset. Iisdem fere vitiis, quibus illa Rivini et Tournefortii, hoc systema foedum est, licet aliqua horum evitaverit, et genera omnino bene consideraverit. Fuit Pontedera vir doctus et optime de republica Botanica meritus.

Praeter hunc etiam alii Rivini et Tournefortii systemata coniungere conati sunt, inter quos Kramerus (1) et Schaefferus, quorum hic tabulas secundum systema Rivino-Tournefortianum incidi curavit, in quibus maiores divisiones sive classes a Rivino, minores a Tournefortio petivit. Hae tabulae, in quibus omnes fructificationis partes breviter descripsit, tironi maximi usus esse possunt, ut genera et facile et accurate noscat. In tironum gratiam adiecit tabulas systematis sexualis Linnaei et synonyma generum apud scriptores praestantissimos. Hoc opus eo praesertim, quo vixit, tempore utilissimum erat (2).

§ XLIX.

(1) Vid. eius tentamen Botanicum seu methodus Rivino-Tournefortiana, Dresd. 1728.

(2) Vid. I. C. Schaefferi, Isagoge in Botanicam expeditiorem, Ratisbonae 1759, et eiusdem Botanica expeditior, genera plantarum in tabulis sexuali-

li-

§ XLIX.

Primus omnium Profesſor Monſpelienſis Magnolius e calyce novam methodum propoſuit (1). Non quidem ipſe illam edidit, ſed post mortem in chartis inventam eam filius Antonius Magnolius cum orbe erudito communicavit.

Prima eius diviſio est herbarum ab arboribus, quo facto, ambas in tres partes ſeparavit, in plantas ſcilicet, quae calyce externo (calyce ipſo) tantum; in eas, quae calyce interno tantum (pericarpio) inſtructae ſunt; denique in eas, quae utrumque posſident. Herbas calyce externo tantum praeditas in duas partes diſtinxit, in plantas nempe in quibus calyx includit et in quibus ſustinet florem; denique 12 priores clasſes corolla distinxit: atque ita hae 15 clasſes ortae ſunt:

1. Herbae calyce externo includente florem ignotum.
2. —— calyce externo includente florem ſtamineum.

3.

libus et univerſalibus aeri inciſa exhibens. Ratisbonae 1762.

(1) Character plantarum novus, Monſp. 1720.

3. Herbae calyce externo, includente florem monopetalum.
4. —— calyce externo, includente florem polypetalum.
5. —— calyce externo, includente florem compofitum.
6. —— calyce externo, fustinente florem monopetalum.
7. —— calyce externo, fustinente florem polypetalum.
8. —— calyce interno tantum.
9. ———— externo internoque, flore monopetalo.
10. —— calyce externo internoque, flore di- five tripetalo.
11. —— calyce externo internoque, flore tetrapetalo.
12. —— calyce externo internoque, flore polypetalo.
13. Arbores calyce externo tantum.
14. ———— interno tantum.
15. ———— externo internoque fimul.

§ L.

Postquam in praefatione libri citati Magnolius non parum fystema Tournefortianum impugnaverat, quas tamen obiectiones

maxime a Raio atque Dillenio petiisse videtur, et ostendere conatus fuerat, hanc methodum neque ullam aliam e corolla fructuve desumtam, in Botanicis sufficere; ipse novam e calyce methodum componere annisus est, hanc meliorem credens. Sed, quanta spe decidit? Filius certe, secundum Halleri iudicium (1) melius fecisset, si egregii patris haud egregium opus reticuisset; patris enim gloriae parum consuluit, hac systematis editione labem illi inferens. Vitia enim plurima in eo reperiuntur: herbarum ab arboribus divisionem Magnolius admisit: ad calycem non modo, verum ad fructum etiam et corollam attendit; in arboribus denique imperfectissimum est systema totque aliis vitiis refertum, ut de eo Sprengelius dicere potuerit. „ Tota divisio est mire arbitraria, nil nisi lusus „ ingenii, neque decem genera idoneum sibi locum habent" (2).

E calyce Linnaeus (3) etiam systema confe-

(1) In Bibliotheca Botanica, T. I. § 789, ubi haec verba occurrunt: „ Egregii viri imperfectum opus „ melius silentio pressum fuisset, in quo nimium sit „ errorum."

(2) Vid. Hist. rei Herbariae, T. II. p. 62.

(3) In classibus plantarum, Leidae 1738. p. 405.

fecit, quoniam vero hoc non nisi post sexuale systema edidit, de sexuali tantummodo loquendum erit.

§ LI.

Vidimus igitur, quomodo e paucis illis, quae antiquiores systematici docuerant, magis magisque ad methodi perfectionem accesserint Botanici. Vidimus, quomodo Gesnerus princeps exstiterit, et viam posteris muniverit; quomodo Caesalpinus, neglectis saeculi nugis, fundamentis iis systema imposuerit et Columna et Iungius veram doctrinam praeceptis suis confirmaverint. Vidimus Morisonum, saeculo praeterlapso, Caesalpini methodum magis perficientem. Vidimus eodem fere tramite incedentes Raium, Hermannum, caeteros, tandem Rivinum et Tournefortium systematibus iam melioribus Botanicam illustrantes.

Iam nova via panditur, iam e tenebris Arcticis novum illud Botanices lumen elucet, iam vir exsurgit, qui omnem Botanicam mutat, doctrinam firmat, viamque posteris sternit: qui re familiari pauper, ingenii divitiis totum orbem ditavit. Iam Linnaeus exoritur et singulari

ſagacitate novam invenit methodum, ſumma admiratione dignam; ad quam fuſius exponendam iam nunc, adeoque ad alteram opuſculi noſtri partem tranſeamus.

SEC-

SECTIO POSTERIOR.

DE

LINNAEI SEXUALI SYSTEMATE.



CAPUT PRIMUM.

EXPOSITIO SYSTEMATIS.



§ LII.

Sexus plantarum, cui sexuale systema innititur, nonnullis iam ante Linnaeum innotuerat. Iam olim Plinius dixerat: „ Arboribus, „ immo potius omnibus, quae terra gignat, her- „ bisque etiam, utrumque sexum esse naturae „ diligentissimi tradunt. — Mas in palmite flo- „ ret. Femina citra florem germinat, tantum „ spinae modo" (1).

Post

(1) Historia naturalis, L. XIII. c. 4.

Post hunc Zaluziansky (1), Iungius (2), Bobartus (3), Raius (4), Grewius (5) et Mentzelus ſexum aliquo modo noverant. Ita Mentzelus (in Herbario Iaponico apud Breynium ſervato, anno 1695) „ ſtatuo, in-
„ quit, omnem plantam esſe ſexus foeminini et
„ maſculini, vel in duabus plantis ſeparatim
„ vel in una planta ſimul, tamquam hermaphro-
„ ditici. Huius cognitionis cauſa dudum et ſu-
„ pra 40 annos conſtitui publicare analogiam
„ Macrozoi et Microzoi, ſive hominis et plan-
„ tae."

Camerarius (6) genitalia plantarum oſtenderat: Vaillantius (7) et Blairius (8) illa adesſe perſpicue ſatis demonſtrarant; ſed neuter horum aequalibus omnino perſuadere potuit; Linnaeus huius rei veritatem extra omnem

(1) Methodus herbaria, Prag. 1592. L. III. 4.

(2) Duxoſcopiae phyſicae minores, Hamburgi 1662.

(3) Vid. Blair, *Botan. Esſays*, Lond. 1720. p. 243.

(4) Historia plantarum, 1686. Vol. I. p. 17. et in praef. ad Syll. exotic.

(5) In anatome plantarum, Lond. 1685.

(6) Epiſtola de ſexu plantarum, Tubing. 1695.

(7) Sermo de ſtructura florum, Lugd. Bat. 1717. Gallice et Latine.

(8) *Botan. Esſays*, Lond. 1720.

nem dubitationis aleam posuit et sexui systema superstruxit, cuius aliqua fundamenta iam ante eum posuerat Ioh. Henr. Burckhardus (1).

§ LIII.

Anno 1731. Hortum Uplandicum conscripsit Linnaeus, in quo primum haec a staminibus et pistillis petita methodus occurrit. Postea anno 1735. systema naturae edidit, in quo totam methodum ulterius elaboravit. Classes huius systematis 23 priores plantas, quae dicuntur, phanerogamicas continet, ultima cryptogamicas, sive quarum stamina et pistilla non satis conspicua sunt. Phanerogamicarum classium 20 priorum flores hermaphroditi sunt, reliquarum diclines: quae altera divisio. Hae iam 20 classes rursum divisae sunt in plantas, quarum stamina et pistilla libera sunt et in eas, in quibus partes hae quodammodo cohaerent. In illis denique prioribus 15 classibus, staminibus liberis, attendit ad illas, in quibus stamina quaedam caeteris longiora sunt, quod in 14ª et 15ª classibus locum habet, et in qui-

(1) Epistola ad Leibnitium, qua characterem plantarum naturalem, nec a radicibus, nec ab aliis partibus minus essentialibus peti posse ostendit. Wolfenbuttel 1702.

quibus eiusdem longitudinis reperiuntur, ut in 13 clasſibus prioribus. Hae denique numero ſtaminum distinguuntur, 12^{a} autem et 13^{a} clasſes numero quidem a reliquis, ſtaminum vero insertione a ſe invicem discernuntur. Etenim ſi ſtamina calyci impoſita ſunt, ad Icoſandriam, ſi receptaculo, ad Polyandriam planta est referenda.

§ LIV.

Ex hisce diviſionibus hae clasſes exortae ſunt:

1. Monandria, ſtamine unico.
2. Diandria, ſtaminibus duobus.
3. Triandria, ſtaminibus tribus.
4. Tetrandria, ſtaminibus quatuor.
5. Pentandria, ſtaminibus quinque.
6. Hexandria, ſtaminibus ſex.
7. Heptandria, ſtaminibus ſeptem.
8. Octandria, ſtaminibus octo.
9. Enneandria, ſtaminibus novem.
10. Decandria, ſtaminibus decem.
11. Dodecandria, ſtaminibus duodecim ad novendecim.
12. Icoſandria, ſtaminibus plus quam novendecim, calyci inſertis.
13. Polyandria, ſtaminibus plus quam novendecim, receptaculo impoſitis.

14. Didynamia, ſtaminibus quatuor, quorum duo caeteris longiora.
15. Tetradynamia, ſtaminibus ſex, quorum quatuor caeteris longiora.
16. Monadelphia, filamentis in unum fasciculum connatis.
17. Diadelphia, filamentis in duos fasciculos connatis.
18. Polyadelphia, filamentis in tres vel plures fasciculos coalitis.
19. Syngeneſia, antheris connatis.
20. Gynandria, ſtaminibus piſtillo inſertis.
21. Monoecia, floribus masculis et femineis in una eademque planta.
22. Dioecia, floribus masculis in una, femineis in altera planta.
23. Polygamia, floribus hermaphroditis et masculis aut femineis in eadem ſpecie.
24. Cryptogamia, floribus occultis, ſive quae florent intra fructum vel parvitate oculos noſtros ſubterfugiunt, ut dixit Linnaeus, in editione ſyſtematis anni 1735.

Ordinum characteres a piſtillis deſumuntur; in ultimis autem claſſibus magis a ſtaminibus.

§ LV.

§ LV.

Sexum Tournefortius negavit et Pontedera (1) docte plurimis argumentis oppugnavit, hunc vero satis superque refutavit Blairius (l. c.). Sed sexum non tantum, verum etiam totum illi superstructum systema invidia ductus aggressus est Siegesbeckius (2), qui ab Heistero, ut arma contra Linnaeum susciperet, excitatus dicitur (3), sed Linnaei gloriae melius, quam suae hisce conatibus consuluit. Et primo quidem vir bonus systema carpit, tamquam moribus infestum: tum etiam iniuriis Linnaeum lacessit dicens: „ eum hypothesibus turbare scientiam, nec „ quicquam conferre ad solidiorem rei herba„ riae doctrinam (l. c. p. 59.)"

Non melius contra eundem arma movit Heisterus (4). Sed Linnaeus, ut virum magnum

(1) Anthologia, Patav. 1720.

(2) Fecit hoc in Epicrisi in Linnaei systema plantarum sexuale, edito una cum Botanosophiae verioris brevi sciagrapha, Petropoli 1737. de quo libro Linnaei sententiam videas in collectione Epist. etc. Linnaei, p. 35.

(3) Conf. collect. Epist. etc. Linnaei, p. 32.

(4) Meditationes et animadversiones in novum systema Botanicum sexuale Linnaei, Helmst. 1741.

num decet, obtrectatorum invidiam contemſit et tacuit. Ipſius autem ſystema defenderunt et egregie vindicarunt Browallius (1), et Gleditſchius (2). Quod autem Linnaeo obiiciunt, ipſum multa a Iungio accepisſe, illud procul vero est, cum Iungii illud, quod tetigimus, opus, non niſi ſenex plurimis iam operibus editis, viderit (3).

§ LVI.

Plures autem hocce ſystema nactum est fautores, eosque Botanicos ſummos, Gronovium, Iacquinum, alios. Royenus Linnaeo ſtipendium annuum pollicitus est, ſi hortum Lugduno-Batavum ſecundum ſexuale ſystema in ordinem redigere vellet. Boerhaavius, quamvis ipſe antea iam ſystema edidisſet, nihilominus hanc a ſua plane diverſam methodum magni fecit et collaudavit admodum: quin etiam obtrec-

(1) Examen Epicriſeos in ſystema plantarum ſexuale, Abo 1739; recuſum Lugd. Bat. 1743.

(2) Conſideratio Epicriſeos Siegesbeckianae, Berol. 1740.

(3) Conf. omnino Collect. Epiſt. etc. Linnaei, p. 111 et 112. et Gieſekius, in notis ad illum locum.

trectatores postea eius merita agnoverunt, et dignam ipsi laudem tribuerunt (1). Possim plura celeberrimorum scriptorum testimonia et nostri temporis Botanicorum fere omnium consensum in partes vocare, ut sexualis systematis praestantiam ex hisce probem: possim A. Iussievi, Professoris Parisiensis exemplum citare, qui senex Linnaei iuvenis systema adoptavit et secundum illud Horti Parisiensis plantas digessit, licet olim secundum Tournefortii methodum dispositas (2); sed non auctoritate illud evincere volo, ipsa systematis accurata consideratio arma dabit, quibus illius praestantiam indicare et tueri possim.

(1) Attentione digna sunt, quae Linnaeus, anno 1773 amico Thunbergio scripsit, ubi dicit. „Pontifex, qui ante quindecim annos libros meos „comburi iussit, simulac in terris ditionis suae de„prehenderentur, Professorem Botanices, methodi „meae ignarum, nunc a munere removit, aliumque „in eius locum suffecit, qui secundum methodum „meam praelectiones habebit.". Conf. Collect. Epist. etc. Linnaei, p. 92.

(2) Conf. Collect. Epist. etc. Linnaei, p. 166.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

QUO INDICATUR SEXUALIS SYSTEMATIS PRAESTANTIA.

§ LVII.

Primo loco spectemus basin systematis sexualis, cuius prae caeteris praestantia indicata, ad ipsum systema vindicandum accedamus.

Qui ante Linnaeum systemata condidere, fructum, corollam, vel calycem tamquam normam eius adhibuerunt. Itaque primum de his, mox de staminibus et pistillis videamus.

Fructum firmum esse systematis fundamentum systematicis olim persuasum erat. Rivinus hanc sententiam iam impugnavit, Linnaeus falsam esse pluribus exemplis docuit (1). Ex hoc fonte plurimi veterum in systematibus errores derivandi. Hinc systematici fructistae, qui vocantur, vel ad alias quam fructus notas respicere, vel anomalium classes condere cogebantur, vel si, ut Camellus, ad fructum modo et ad illum una tantum ratione attenderent, systema ob

(1) Vid. *Phil. Bot.* § 176, 177 et 183.

ob nimiam clasſium paucitatem earumque ſimul magnitudinem nullius uſus in Botanicis eſſe poterat. His vitiis obnoxia eſſe ſystemata omnia, quae fructui innituntur, ſtatim apparebit fructistarum ſupra enumerata ſystemata conſideranti.

§ LVIII.

Corollam in methodo fructu eſſe notam certiorem atque adeo meliorem, neutiquam negamus (1); non tamen ad ſystema condendum ſatis valere nobis perſuaſum est. Nam quod ad numerum et regularitatem corolla fallax ſaepe et incerta est, neque illius figura ſufficientes, aut ſatis definitos praebet characteres, ut pluribus iam monuimus § XXXI, XXXIX, XL et XLI. Difficile denique est corollam rite a calyce discernere, ad quas partes distinguendas plures Botanici iam regulas quasdam dederunt; ſed perfecta hac in re certitudo adhuc deſideratur (2). Linnaeus ipſe discrimen inter calycem et corollam incertum eſſe affirmat. Sic de Orchidibus haec dicit: „ Fructificatio Orchidum irre„ gularis, valde ſingularis. Determinari enim „ nequit, quidnam ſit calyx? quidve corolla? [illegible] „ nec

(1) Conf. Linnaei, *Phil. Bot.* § 176, 177.

(2) Conf. Willdenow, *Kraüterkunde*, § 166.

„ nec multum refert, quia natura inter utrum-
„ que limites non posuit" (1). Calyx, licet huic ultimo incommodo etiam obnoxius, tamen corolla certior nota est (2), atque ea forte ratione Magnolii methodus praecelleret, nisi aliis, tam multis, tamque magnis vitiis foeda esset, quae iam tetigimus.

§ LIX.

Hisce omnibus, tamquam methodi basis, praestant stamina et pistilla. Partes enim, quibus natura semina, ultimum vegetationis limitem, progignit caeteris magis constantes atque inmutabiles esse, iam ratio a priori docet, et illustrium Botanicorum monita confirmant (3). Observamus quidem aliquando unam speciem ab alia eiusdem generis staminibus differre, aut stamina in eadem specie cultura mutari (4); hoc ve-

(1) Vid. Prael. in ordines naturales plantarum, curante Giefeke, p. 180. Ord. VII. et p. 168. Ord. V.

(2) Conf. Linnaeus, *Phil. Bot.* § 182.

(3) Conf. Linnaeus, *Phil. Bot.* § 182. et Kurt. Sprengel, *Kenntnifs der Gewächse*, T. II. p. 105.

(4) Conf. Linnaei, *Phil. Bot.* § 182. et Kurt. Sprengel, *Kenntnifs der Gewächse*, T. II. p. 116, 125, 129 et 130.

vero vitium non ſtaminibus tantum, verum magis etiam notis characteristicis priorum ſystematum imputatur, neque ita facile in artificiali ſystemate evitari potest. Plurimos autem characteres hae partes praebent, quibus claſſes et ordines absque confuſione conſtituantur et genera ſaepius optime distinguantur. In calyce et corolla dubium ſaepe remanet, ſitne pars, quam videmus, calyx, an forte corolla. In ſtaminibus autem et pistillis huic incertitudini locus non datur. Denique hae partes in omnibus plantarum ſpeciebus adſunt; plura namque genera carent calyce, carent corolla; nulla vero ſpecies ſtaminibus pistillisve diſtituta est. Inveniuntur, fateor, quandoque plantae iis orbatae, ſed hae vel flores plenos habent, vel e diclinibus ſunt; illarum flores monſtra ſunt, harum, ſi plura eiusdem ſpeciei individua conſulas, ſtaminibus pistillisque praedita invenies.

§ LX.

Fuere, qui Linnaeo obiicerent partes plantarum ſexuales adeo exiguas esſe, ut oculorum aciem effugiant, niſi ſemper lentibus uti et microscopio quaſi in manu plantas examinare vellemus (1); ſed cogitent hi, nullum naturae ſe-

(1) Buffon et Daubenton, Hist. nat. I. p. 7. Hout-

ſcrutatorem non aliquando lente indigere et virum obſervationibus asſuetum has partes facile absque microscopio discernere posſe; cogitent Linnaeum ipſum omnes has partes ſemper absque lente conſpexisſe (1) et in cryptogamicis Dillenii characteres illis Michelii antepoſuisſe, quoniam hi difficiliores ſunt, nec ſine lente indagari posſunt. Denique, ut Browallii hac de re verbis utar, „ ſi vel „ maxime ſenſibus rudioribus minus forent „ obviae notae characteristicae a Linnaeo as„ ſumtae; leviores tamen ſunt, quae accurata „ diligentia ſuperari posſunt, difficultates, quam „ quae incertitudine pertinacisſima et inſupera„ bili muniuntur. — Nec laboris et attentionis „ pi-

Houttuyn, *Nat. Hiſt.* Amſt. 1773. IIe Deel Ie Stuk p. 249. Siegesbeckius, Epicriſis etc. p. 49 et 50.

(1) Linnaeus (obſervationes in regno vegetabili. 17.) ipſe ſcribit: „ Methodum meam difficultatem „ parere nimiam harriolor Botanicos iam dicere, ad „ examinandas nempe partes has minimas floris, vix „ nudis oculis conſpicuas. Reſpondeo: quodſi mi„ croscopium, inſtrumentum maxime necesſarium, „ quivis curioſus ſecum habeat, quid plus opus? Ego „ tamen examinavi hos omnes plantarum flores nudo „ oculo, absque omni microscopiorum uſu."

„ pigebit, modo optatam feriamus metam et de „ re certi evadamus" (1).

§ LXI.

Praeſtantia igitur baſeos ſexualis ſyſtematis prae caeteris indicata, iam de ſyſtemate ipſo videamus. Et primo quidem in laudem eius dicendum est: clasſium diſpoſitionem ita ingenioſe inventam et clasſes ita conſtitutas esſe, ut ſemper eaedem manſurae ſint, neque novis detectis generibus mutari aut novae illis addi debeant, quod ſecus in antiquioribus, praeſertim eorum, qui nimis ad clasſes naturales in ſyſtemate artificiali attenderunt; quod et experientia docuit; reliquorum enim ſyſtemata nunc plurimis novis generibus detectis non amplius in uſum vocari posſunt; Linnaeano autem ſyſtemati in hunc usque diem nulla nova clasſis addenda, neque antiqua *hanc ob cauſam* mutanda fuit. Hinc iam olim de eo cecinit Royenus (2):

Si quid habent veri vatis praeſagia, Florae
Structa ſuper lapidem non ruet iſta domus.

§ LXII.

(1) In examine Epicriſeos, p. 26.

(2) In Flora Leidenſi praef., p. 16.

§ LXII.

Antiquorum systematum auctores saepe ad plures notas respicere videmus; Linnaei autem methodus, ut ipse Adansonius (1), ceteroquin illi non favens, affirmat, inter omnes methodos maxime nomine *systematis* digna est, quia uni tantum parti insistit et secundum hanc omnia disponit. Veteres saepius ad plures attenderunt, unde systemata eorum adeo nonnunquam obscura, ut suo loco iam diximus. Hi etiam partium vegetationis rationem habuisse culpantur: Morisonus aliique, quin Tournefortius ipse hoc vitio methodos inquinavere; Linnaeus autem secundum regulas, quas ipse dedit, non modo non in classibus ordinibusque, sed neque etiam in generibus ad alias quam fructificationis partes attendit. Caesalpinus, Raius, praeter Rivinum antiquiores fere omnes, male herbas ab arboribus seiunxerunt; Linnaeus hanc divisionem summo iure reiecit, quod illi vitio vertere non debuerat Buffonus (2). Genera denique be-

(1) *Familles des plantes*, pref. p. 41.

(2) Hist. Nat. p. 7. Postquam Linnaeo obiecerat eum herbas arboribus inmiscuisse, de hoc, ut ipsi videbatur, vitio, deque integro systemate exclamat:

bene condidit et ſpecies rite definiendo, varietatesque ad ſpecies reducendo, Botanices ſtudium longe ſimplicius reddidit, atque adeo, quamvis aliter ſenſerit Adanſonius (1), huic doctrinae optime conſuluit. Hinc Tourneforto, anno 1694, ſpecies 10146, Raio, anno 1704, 18655 ſpecies iam deſcribentibus, Linnaeo anno 1753 in prima ſpecierum plantarum editione tantum 7300 ſpecies recenſentur (2).

§ LXIII.

Sexuale ſystema Botanici, atque inprimis Buffonus atque Adanſonius, ea praecipue ratione oppugnaverunt, quod in eo naturales claſſes atque ordines nimis divellantur, atque

mat: „*N' est ce pas ſe jouër de la Nature et de ceux „qui l'etudient? Et ſi tout cela n' etoit pas donné avec „une certaine apparence d' ordre mysterieux et enve„loppé de Grec et d' érudition Botanique, auroit on „tardé à faire apercevoir le ridicule d'une pareille „methode, ou plutot à montrer la confuſion, qui re„ſulte d' un asſemblage ſi bizarre?*"

(1) Conf. § 38.

(2) De varietatibus cum ſpeciebus non confundendis, conf. Collect. epiſt. etc. Linnaei p. 15.

que eo igitur naturae adverſetur (1). At vero iis reſpondere mihi liceat, primo, Linnaeum numquam ſuam methodum naturalem dixiſſe, quinimmo ſe naturalem methodum, ſimulac bona inventa fuerit, adhibiturum eſſe; hac vero in hunc usque diem deficiente, ſe eius loco ad uſum Botanicorum artificiale creaſſe. (conf. § IV.)

Fateor equidem ſystema artificiale quo propius naturae ordini accedat, eo perfectius eſſe atque igitur eo reſpectu nonnulla ſystemata recentiora forſan illi palmam praeripere; ſed ab antiquioribus, de quibus ſolis hic mihi agendum est, hac in re ſuperari nondum mihi perſuaſum est. Nam, ſive Rivini, ſive Tournéfortii ſystemata conſideremus, ſive Raii laudatam illam methodum naturalem, nulla, ut videtur, ea ratione ſexuali antecellit. Rivinus enim, leges ſystematis artificialis accurate ſecutus, longe magis quam Linnaeus naturalem plantarum ordinem divulſit. Tournefortius et Raius, quamvis omni modo ingenium torſerint, ut naturales fa-

(1) Conf. Adanſon, Lib. cit. I. p. 197. ubi de ſexuali ſystemate dicit: „ *Il ne remplit que très* „ *rarement, ou presque nulle part, l'objet qu'un Bo-* „ *taniste ſe doit propoſer en donnant une methode,* „ *qui est de rapprocher les plantes, qui ont le plus de* „ *rapport.*"

familias fervantes has artificialibus characteribus in ordinem redigerent, hisce conatibus fystemata longe obfcuriora reddiderunt, cum tamen eorum familiae naturales fere omnes in fexuali fystemate reperiantur.

§ LXIV.

Si ipfas Linnaei clasfes confideramus, plures animadvertimus, quas natura ipfa quafi dictasfe videatur. Sic 14ª, 15ª, 16ª, 17ª et 19ª clasfes fecundum nostrum iudicium omnino naturales funt, quin etiam faepe ita naturales, ut bona inter genera discrimina invenire difficillimum fit, omnibus fibi invicem adeo fimilibus. In ipfis autem aliis clasfibus, caeteroquin non naturalibus, aliquas tamen familias naturales obfervamus. Sic in prima clasfe *Scitamineae*, in 3ª *Enfatae* et *Gramina*, in 4ª *Stellatae*, in 5ª *Asperifoliae*, et naturalis maxime *Umbellatarum* ordo, in 6ª *Spathaceae* et *Coronariae*, in 10ª *Caryophylleae*, in 12ª *Senticofae* et *Pomaceae*, in 20ª *Orchideae*, in ultima *filices*, *musci*, *algae* et *fungi* reperiuntur. Dici igitur non potest Linnaeus contra naturalem plantarum ordinem, magis quam antecesfores peccasfe, et, etiamfi fecisfet, mihi tamen certum et perfpicu-

um

um artificiale systema inconstanti et obscurae methodo naturali praeferendum videtur.

§ LXV.

Si vero nunc, sexualis systematis praestantia indicata, et contra obtrectatores vindicata, illud systema cum antiquioribus comparemus, splendidiori omnino luce illustrata haec methodus apparebit. Illud cum omnibus prioribus conferre non multum utilitatis haberet, magna vero esset temporis iactura. Nos igitur brevitati studentes, cum illis modo comparabimus, quae ex antiquioribus plerumque optima censentur, cum illis scilicet Raii, Rivini et Tournefortii; neque dubitamus, quin si his sexuale systema praestare demonstraverimus, illud et caeteris palmam praeripere quisque percipiat. Qui autem plura hac de re velit, illa, quae singula systemata pertractantes diximus, adeat, et videbit, quam multis vitiis referta sint priora, quam multis virtutibus illud Linnaei excellat.

§ LXVI.

Raius in animo quidem habuit systema naturale condere, sed illius conatus, ut plurimi eorum, qui hoc tentarunt, successu caruerunt

et

et naturalem ordinem artificialibus, e fructu desumtis, legibus adstringere cupiens, medium quid creavit, quod nec tamquam naturale systema doctioribus plantarum affinitates agnoscendas exhiberet, nec tamquam artificiale tironi fidelis viae dux esset. In sexuali autem, systemate artificiali, classes omnes secundum genitalia plantarum ita dispositae sunt, ut tiro, modo terminos artis noverit, ignotam plantam in eo systemate invenire et denominare possit. Quantum igitur hoc perspicuum et fundamento firmo innixum systema Raiano antecellat, cuique, nisi praeiudicatis opinionibus occupatus sit, statim apparebit.

§ LXVII.

Si character, e quo Rivinus classes ordinesque disposuit, aeque constans observaretur, ac facilis et perspicuus est, forte difficilius esset, Linnaeani praestantiam prae illo tueri. Sed regularitati et numero petalorum maxime insistens notam elegit valde incertam, quod magis etiam in ordinibus locum habet, in quibus fructum respicit, ut pluribus iam monuimus.

Hinc totum systema labefactatur: nam quae domus non vacillabit, fundamento fluctuanti et infirmo? Quodsi igitur firmo et constanti funda-

men-

mento innitatur systema sexuale, hoc longe illi antecellere nemini dubium manere speramus.

§ LXVIII.

Illud autem Tournefortii, quamvis a Gallis patriae amore ductis nimis illi faventibus prae caeteris laudibus elatum, quamvis elegans sit et naturali methodo propius quam Rivinianum accedat, vix tamen melius quam illud cum sexuali comparari potest. Nam et corolla, e cuius variis formis clasſes distinxit, incertus est character et diverſae illae formae non ſatis definitae ſunt, unde anomalae clasſes, dedecus ſystematis, exortae. Plurimis denique aliis vitiis foedum est ſystema; nam et herbas ab arboribus ſeiunxit, et nonnunquam ad vegetationis partes attendit, et ſaepe contra regulas, quas dedit ipſe, peccat. Linnaeus autem ſui ſystematis merita nullis horum vitiorum obſcuravit.

§ LXIX.

In omnibus igitur antiquis, ut demonſtrasſe arbitramur, obſcura plurima et dubia reperiuntur: ſuam methodum clarisſima luce Linnaeus illustravit; illi ad vagas et incertas plantarum notas, quibus et ſaepe tota genera carent, attenderunt:

ſtunt: hic conſtantibus et certisſimis characteribus, qui ne in ulla quidem ſpecie deſunt, ſystema ſuperſtruxit; illorum plurimi plantas gemmis carentes a gemmiferis ſeiunxerunt: hic coniunxit; illi ſaepius ad vegetationis partes attenderunt: hic numquam; illi, quaſi in clasſibus ordinibusque non ſatis erravisſent, genera etiam et ſpecies in ſummum damnum Botanices commiſcuerunt, ita ut merito de iis dictum ſit: „ quoties ſur„ gat novus ſystematicus toties horrere orbem „ Botanicum" (1): Linnaeus clasſes et ordines non tantum firmas conſtituit, verum genera etiam et ſpecies ita digesſit, ut in posterum longe certiores manſurae ſint et monumentum auctori futurae ſint aeternum.

Totam Botanicam indefesſo labore reformavit Linnaeus et ſexuale ſystema condendo nobis nepotibusque nostris viae ducem obtulit, quem praecipue ſequentes doctrinam Botanicam magis magisque excolere et ad altiorem perfectionis gradum evehere poterimus.

(1) Vid. Linnaeus, in praefat. in genera plantarum, § 8.

CA-

CAPUT TERTIUM.

QUO INDICATUR QUID ETIAMNUM SEXUALI SYSTEMATI DESIT, ATQUE IMPEDIAT, QUOMINUS PERFECTUM DICATUR.

§ LXX.

Ut in omnibus operibus humanis, ita et in Linnaei systemate Botanico posterior aetas plurima vitia detexit. Non tamen eo laudes Linnaei detrectare volo, nam neque illius aetate res Botanica ad illud perfectionis fastigium, quo nunc cernimus, evecta erat, neque unus homo pro pluribus sapere potest. Denique de sexuali systemate cum Linnaeo dicam: „ quis caruit erroribus in diffusissimo na- „ turae constitutus campo? — Nec fastigium „ summum acquirit vasta arbor, prima qua erum- „ pit tempestate" (1).

Plures fuere optimae notae Botanici, qui in Linnaeano systemate vitia reprehenderunt non tan-

(1) Conf. Linnaeus, in Ep. p. 4.

tantum, verum et corrigere conati sunt. Hi iam nobis ansam praebebunt, ut vitia enumeremus, et quae factae fuerint mutationes, adducamus. Propositum itaque nobis est, quid systemati desit ostendere, tum etiam mutationes a Botanicis propositas afferre et diiudicare; denique quid vitii restet, quantum vires nostrae valeant, indicare.

§ LXXI.

Ut, prouti antea fecimus, a basi systematis rem ordiamur, primo loco dicendum est, has sexuales plantarum partes, quamvis satis certas, non tamen ab omni incertitudine inmunes esse; plura namque sunt genera in quibus una species ab altera staminibus eorumque numero praesertim, differat, quod maximo tironibus incommodo est. Sic ut e multis exemplis unum tantum adducam, quis *Verbenam bonariensem* primum observans, illam ob quatuor quae habet stamina quaeret in quarta classe; sed frustra, cum ad secundam pertineat. Huic incommodo ut obviam irent Koch (1) et Hedwig (2) operam navarunt. Ille species, staminibus discrepantes, quam-

(1) *Botanisch Handbuch*, 1797.

(2) *Belehrung die pflanzen zu troeknen*, 2. *Abschnit*.

quamvis uno eodemque genere continerentur, in varias clasſes digesſit; atque adeo unum genus nonnumquam in duas vel plures clasſes diviſum reperitur, quod illius opus tironibus maximae est utilitati, cum facilitatem in quaerendo praebeat. Hic paullo aliam viam ingresſus omnes a communi generico charactere aberrantes ſpecies congregavit et ad clasſes et genera reduxit; ſunt autem 124 genera. Quamvis nunc horum virorum conatibus hoc tironibus incommodum maxima pro parte deletum ſit, manet tamen in ſexuali ſystemate vitium; bono enim ſystemate artificiali omnes omnino plantarum ſpecies dignosci posſint oportet.

§ LXXII.

In clasſibus Linnaeus ad unam quidem notam ſystematis fundamentum, ſtamina ſcilicet, attendit, ſed ad illam variis modis, quod vituperandum videtur: cum enim in 11 prioribus numeri tantum ſtaminum rationem habeat, in 12ª, 13ª et 20ª ad inſertionem, in 14ª et 15ª ad proportionem, in 21ª, 22ª, 23ª ad diverſum ſexum attendit. Hoc magnum in ſexuali ſystemate vitium in clasſibus non tantum, verum in ordinibus etiam reperitur; namque in prioribus ordines pistillis discernens, eorum in 14ª et 15ª

e fructu, in posterioribus e ſtaminibus discrimen petiit.

§ LXXIII.

Vitio etiam Linnaeo vertitur ipſum in ſystemate nimis contra naturae ordinem peccasſe. Ipſum hac in re a prioribus non ſuperari iam ostendimus, quod vero eo nomine plura vitia in clasſibus reperiuntur, ſi cum perfectisſimo artificiali ſystemate conferamus, atque exinde multis mutationibus opus esſe, non infiteor. Ita genera Salvia, Rosmarinus, Monarda, Ziziphora cum corollâ, tum toto habitu ita cum *Verticillatis* conveniunt, ut nemo utrasque intuitus dubitare posſit, quin ad eandem familiam naturalem referendae ſint. Hinc Linnaeus in fragmentis methodi naturalis haec genera omnino cum *Verticillatis* coniunxit, ſed in ſexuali ſystemate perperam ſeparavit, Salviam, Rosmarinum, Monardum, Ziziphoram in 2ª clasſe, caeteras *Verticillatas* in 14ª collocans, quamvis illorum ſint ſpecies, uti Monarda didyma, quatuor ſtaminibus ſubdidymis praedita; harum inveniantur genera filamentis fere eiusdem longitudinis, e. g. Mentha, in qua longitudinis discrimen certe exiguum est.

§ LXXIV.

§ LXXIV.

Gramina fere omnia in 3ª classe reperiuntur, attamen Oryzam ad 6ᵃᵐ, Zeam, Tripsacum et Coicem ad 21ᵃᵐ, Holcum, Andropogon, Apludam, Aegilopem etc. ad 23ᵃᵐ classem retulit, quae tamen omnes habitu, flore, fructu, quin, si Oryzam excipiamus, 3 staminibus, 3ᵃᵉ classis charactere, cum graminibus conveniunt. Eodem modo e *papilionacearum* familia, naturalissima certe, plura genera in 10ª classe reperiuntur, reliquis ad 17ᵃᵐ relatis, dum in hac ipsa classe Diadelphia inveniantur plantae staminibus in unum fasciculum connatis. Pleraeque autem classes nullo modo naturales sunt, quin Adansonius duas tantum Tetradynamiam et Monadelphiam naturales habet, huic vero assentiri non possumus, ut iam monuimus § LXIV.

§ LXXV.

Ut vitia in 3 prioribus paragraphis adducta corrigerent, plures operam dederunt et eorum Thunbergius, Linnaei discipulus, prae caeteris memorandus, qui classes 20ᵃᵐ, 21ᵃᵐ, 22ᵃᵐ et 23ᵃᵐ dimittendas esse putat (1), quas mu-

(1) Hanc sententiam patefecit in Flora Iaponica, Lipsiae 1784. praef. p. 19 seqq.

mutationes omnes admiſit Haenke, in 8ª generum plantarum, quam curavit, editione, Vindobonae 1791.

Quod ad Gynandriam attinet quamvis ordo in ea *Orchidearum* valde naturalis ſit et verum clasſis characterem perſpicue oſtendat, ob illud tamen clasſis ſervanda ipſi non videbatur, quoniam esſentialis clasſis character, quod ſtamina cum piſtillis connata ſint, praeter *Orchideas* reliquis generibus fere non conveniat. Hanc ob cauſam praeeuntibus plurimis Botanicis, haec clasſis et nobis reiicienda videtur. Fuere tamen et alii, qui illam retinendam esſe arbitrati ſunt, inter quos Vahlius, qui primae clasſis *ſcitamineas* ad Gynandriam retulit, quem ſecutus eſt Sprengelius. Hanc autem, ut obiter moneam, inter *ſcitamineas* et Gynandriam affinitatem iam olim agnovit Linnaeus (1).

§ LXXVI.

Probanda videtur altera a Thunbergio propoſita mutatio, qua 21ªᵐ, 22ªᵐ et 23ªᵐ clasſes reiicit (2). Etenim has clasſes in reliquas commis-

(1) Conf. Linnaei, Epiſt. p. 30.

(2) Hanc ſententiam pluribus exemplis confirmatam videas in Flora Iaponica, praef. p. 21 et 22.

miscendo, sexus diversi ratio non amplius habeatur, methodus ita simplicior et magis perspicua evadit, quae praeterea sexus consideratio saepe fallax et incerta est; climatis enim mutatione sexus saepissime mutatur (1). Sunt autem hae classes, et praesertim ultima, nullo modo naturales et tironi difficillimae; si vero illas reiicimus, difficultas evanescit, naturalis ordo melius servatur, gramina denique 21^ae et 23^ae classis ad affinia tertiae classis reducuntur.

Huic mutationi multi assensum praebuerunt, uti Liljeblad, Suckow et Koch; penultimam vero classem Polygamiam non hi tantum, verum fere omnes reiecerunt, inter quos Vahlius, Voigt, Persoon, Sprengelius, quin Linnaeus ipse, testante Vahlio, in animo habuit Polygamiam delere, quod fecit Clarissimi viri filius (2).

§ LXXVII.

Gmelinus in 13^a, quam dedit, Linnaei systematis naturae editione classes 12^am et 13^am in unam classem Polyandriae sub nomine congregavit,

(1) Hac de re omnino conferendus Willdenow, *Kräut.* § 182.

(2) In supplemento Gen. et Spec. Brunsvicae 1781.

vit, illique asſentitur Suckow: quae quanti ſit habenda mutatio videamus. Si quidem illam admittimus, magis, fateor, unam in ſtaminibus rationem ſequitur ſystema; ſed contra tunc perdimus clasſem naturalem et perſpicuam, Icoſandriam ſcilicet, ut non naturalem et difficiliorem eius loco accipiamus, et, quamvis clasſis Polyandria Linnaei non naturalis ſit, tamen Icoſandria et Polyandria in unam clasſem coniunctae, ob naturalis ordinis defectum minus elegantes, ob maiorem magnitudinem difficiliores ſunt. Praeterea discrimen inter has duas clasſes, a ſitu ſtaminum petitum, optimum est et certisſimum (1). Haec igitur Gmelini mutatio mihi non necesſaria, et, pace auctoris celeberrimi dixerim, ad ſystematis perfectionem nihil conferre videtur.

Liljeblad aliam cum Polyandria propoſuit mutationem: Icoſandriam, clasſem revera bonam, agnovit, ſed Dodecandriam reiecit atque ad Polyandriam reduxit. Et ſane haec mutatio, quam Vahlius, Voigt et Sprengelius probant, potius admittenda foret; etenim hae clasſes non ſunt naturales et tantum numero ſtaminum distinguuntur, qui numerus ipſe in utri-

us-

(1) Conf. Linnaeus, *Phil. Bot.* § 179. Willdenow, *Kraüterkunde* § 181.

usque harum clasſium variis generibus magnopère differt, neque adeo in his tamquam certum et conſtans discrimen haberi potest.

§ LXXVIII.

Sed Liljeblad 21^{am}, 22^{am} et 23^{am} clasſes ſe reiecisſe et 11^{am} ad 13^{am} retulisſe non contentus, alia mutare inſuper molitus est: 7^{am} ſcilicet 8^{am}, 9^{am} et 10^{am} in unam clasſem coegit et 18^{am} reiecit. Prima mutatio, quoniam in illis clasſibus pauca tantum genera reperiuntur non multum nocebit; non vero eâ ad ſystematis perfectionem opus videtur; numerus enim, quo hae clasſes distinguuntur, in hisce ſatis conſtans est, ut retineri posſit. Quod vero Polyadelphiam reiecit, hoc omnino probandum videtur. Etenim character artificialis quo haec inſignita est clasſis, quod filamenta in plures fasciculos coalita ſunt, non ita certus est, neque huic tantum clasſi proprius. Namque et in aliis clasſibus, 12^{a} praeſertim, plantae reperiuntur, in quibus filamenta eodem fere modo concreta ſunt, et in Polyadelphia Polyandria ipſa ſaepe filamenta libera obſervantur: exemplo ſit Hypericum in quo haud raro illud videmus. Denique in Polyadelphia genera pauca naturalem affinitatem inter ſe invicem monſtrant, ſed multo magis cum quibus-

 dam

dam generibus aliarum clasfium, a quibus fystema ea feparat.

Polyadelphiam caeteris clasfibus inmiscendam esfe Voigt etiam et Perfoon autumant.

§ LXXIX.

Suckow praeter ea quae iam attulimus, 14^am^ etiam cum 4^a^; 15^am^ clasfem cum 6^a^ coniunxit, ne proportio flaminum clasfium character esfet, atque ea mutatione fimplicius et melius fystema reddidisfe credidit. At vero, huic fi adfentimur, duas pulcherrimas et maxime naturales clasfes amittimus, Didynamiam nempe et Tetradynamiam; nam, fi cuiusdam, harum certe clasfium genera naturali quodam vinculo continentur. Nullam autem 14^a^ cum 4^a^, nullam 15^a^ cum 6^a^ fimilitudinem ostendit, nifi numerum flaminum, quo numero ex illa mutatione hae clasfes peius discernuntur, quam fecundum Linnaeum flaminum proportione conflanti, quodque discrimen omnium generum habitus confirmat. Cur itaque duas clasfes a natura quafi conflitutas reiiciemus, ut e quatuor bonis duas clasfes vastisfimas et pesfimas formemus (1)?

§ LXXX.

(1) De clasfis Didynamiae praeflantia omnino conferenda laudata disfertatio viri Clarisfimi G. Vrolik, de ftudio Botanico recte inflituendo, p. 23.

§ LXXX.

Haec de clasſibus: iam de ordinum, quae factae fuerint, mutationibus paucis agamus.

In 19ª clasſe ultimum ordinem: Willdenowius, quod primus monuerat Berkheyus (1) reiecit et ad Pentandriam Monogyniam retulit, et iure: huius enim ordinis plantae nullam cum caeteris ſyngeſistis ſimilitudinem, niſi in antherarum coniunctione habent, quae etiam aliis generibus non ſemper deest, e. g. in Solano; quin etiam in hac ipſa Monogamia aliquando antherae non cohaerent.

Alia etiam in 21ae, 22ae et 23ae clasſium ordinibus mutanda propoſuit Willdenowius; has vero clasſes cum reiiciendas eſſe oſtenderim, ordines haud dubie etiam reiiciuntur. Quae autem in 24ª clasſe mutavere Schreberus et Willdenowius, haec, ut diiudicem, mihi nimis difficilia esſe haud pudet confiteri, meliusque videtur, meam hac in re imperitiam fateri, quam falſa forte proferre. Haec autem videas apud Willdenowium, *Kraüt.* § 152, et in eiusdem *Specierum Plantarum* editione notisſima, Berol. 1810. T. V. Intr. p. 41.

§ LXXXI.

(1) Vid. Ioannes le Francq van Berkhey, Expoſitio characteristica ſtructurae florum compoſitorum, Lugd. Bat. 1760. p. 10 et 11.

§ LXXXI.

Si iam has, quas bonas iudicavimus mutationes omnes simul reputemus, his classibus constabit systema:

1. Monandria.
2. Diandria.
3. Triandria.
4. Tetrandria.
5. Pentandria.
6. Hexandria.
7. Heptandria.
8. Octandria.
9. Enneandria.
10. Decandria.
11. Icosandria.
12. Polyandria.
13. Didynamia.
14. Tetradynamia.
15. Monadelphia.
16. Diadelphia.
17. Syngenesia.
18. Cryptogamia.

Ex antiquo igitur systemate Dodecandria ad Polyandriam relata; Polyadelphia, Gynandria, Monoecia, Dioecia et Polygamia caeteris classibus inmixtae sunt.

§ LXXXII.

§ LXXXII.

Hisce igitur mutationibus melius, nisi fallimur, quod humanae menti et iuvenili praesertim aetati proprium est, exorietur systema, quod, quamvis antiquo propius ad perfectionem accedat, longe tamen etiamnum a perfecti norma abest. Nondum una eademque ratio in discernendis classibus, nondum haec nota in omnibus eiusdem generis speciebus eadem est; manet familiarum naturalium divisio non probanda, quamvis in artificiali systemate difficulter evitanda, manent in ordinibus plura etiam vitia, ex iisdem fere fontibus derivanda, e quibus classium vitia manare indicavimus. Sed dubitandum videtur, an umquam systema ita perfectum nobis innotescere possit, quod, unam in classibus discernendis notam perspicuam et constantem sequens, plantas eo ordine disponat, ut a tironibus facile inveniri possint et simul naturales familias non dividat, quod igitur cum elegantia et pulchritudine methodi naturalis, tum certitudine et facilitate systematis artificialis excellat.

§ LXXXIII.

Nullum autem systema perfectum invenire poterimus, antequam omnes omnino plantas nove-

verimus; perfecto igitur, et naturali et artificiali in hunc usque diem deficiente, eo utamur, quod proxime ad bonum accedat.

Tale autem, nisi omnium, certe in hoc opusculo enumeratorum, systematum optimum sexuale praedicare haud dubito, praesertim si ea ratione, qua diximus, mutatum sit. Iamque me demonstrasse spero, illud, quamvis plurimis scateat vitiis, non tamen corrigi non posse, et si cum prioribus conferamus, longe iis antecellere, atque adeo vitiis illis, quibus nullum systema omnino non premitur, ipsius merita non obscurari. Sic itaque:

Linnaei *systema re vera omni honore et laude dignum est, si modo oculis ab invidia et vituperii pruritu alienis adspiciatur.*

Schaefferus.

